

B477

3



75B477



Národní knihovna ČR
Historické fondy

75B477/3

Národní knihovna



1002288570



DOCTORIS

PETRI CANISII

SOCIETATIS JESU THEOLOGI

**SUMMA DOCTRINAE
CHRISTIANAE,**

UNA CUM

*authoritatibus (praeclaris divinae Scripturae testimoniis
et aliis SS. Patrum sententiis) quae ibi citantur, hic
vero ex ipsis fontibus a Busaeo Noviomago fideliter
collectae, ipsis Catechismi verbis subscriptae sunt,*

continens Tomos quatuor.

secundam Editionem Coloniae, apud Geruvinum Caletum et haeredes
Johannis Quentel, anno MDLXIX. Cum Gratia et Privilegio Summi
Pontificis Pii V., item Romani Imperatoris Maximiliani II.

NOVISSIMA EDITIO,
perfideliter ac diligentissime peracta.

TOMUS TERTIUS.

**DE PRIORI JUSTITIAE CHRISTIANAE PARTE,
QUAE IN FUGIENDIS VITIIS SITA EST, SIVE
DE PECCATIS.**

CUM PETRI CANISII EFFIGIE, AERI INCISA.

AUGUSTAE VINDELICORUM.

APUD CAROLUM KOLLMANN, BIBLIOPOLAM.

MDCCCXXXIV.

(Viennae, in libraria Caroli Gerold.)

Quasi a facie colubri fuge peccata.

Ecclesiastici XXI. 2.

**Christus semel pro peccatis nostris mortuus est,
justus pro injustis, ut peccatis mortui, justitiæ
vivamus.**

I. Petri III. 18.

75 B 477/3



P R A E F A T I O.

Quum vero, adjuvante Deo, ad edendum et caput summae doctrinae christianae quintum, idque ad partem ejusdem capituli primam progressi sumus, quomodo prioribus tomis, ea ratione et huic maxime accommodatum, imoque opus esse putamus, ut uni saltem voci connexum partium intimum subjiciamus. Praeterea pro hac parte rem singularem debemus exponere.

De primo primum. Verbum Dei, quod audire et credere, quod amplecti et vivere, quo homines maxima fiducia ac spe pleni debent inniti, traditum est, in Ecclesia Dei per orbem terrarum universam viva voce consonans. Istud verbum de illis tribus, quae (sicut ait ¹⁾ Apostolus) nunc manent, ^{1) I. Cor. XIII. 13.}

A *

videlicet de fide, spe et caritate, quae fuere argumentum toni primi aut priorum capitum trium gravissimum, hoc verbum vitae una cum suis tribus Dei viribus, virtutibus sic dictis divinis tanquam semen caeleste cordibus hominum insitum, augetur, uberesque effert fructus tantum divino afflatu, ad quem homo cor suum convertat, cui quisque se toto animo dedat necesse est. Hunc afflatum divinum, has virtutes Dei atque tactus efficiunt per eminentiam sacramenta Ecclesiae Dei, quorum amplissima pertractatio argumentum fuit toni secundi aut capitum quarti. Ecce continuatio seriesque priorum partium, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur. Idem nexus et in sequentibus se praebebat.

Etsi vero Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate¹⁾, actiones nostras aspirando praeveniens, et adjuvando prosequens²⁾, homini tamen voluntarium non est ademptum. Ideoque unusquisque aut ad Deum ejusque verbum se convertens, virtutem amplecti, aut a Deo, salvatore suo, ejusque afflatu se avergens, peccato servire potest. Homo ex libero voluntatis arbitrio justitiam, quae Jesus Christus est Dominus noster, amplecti, aut servitutem potest subire diaboli, a quo omne malum ducit exordium. Sin vero quisquam Jesu Christo justitiae nostrae toto animo se tradiderit, fructus feret bonos, fruc-

1) Philipp. II. 13.

2) Oratio Eccles. : actiones nostras, quae sumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere.

tus justitiae christianae, quibus vocationem suam exornabit. Sin autem se tradiderit servituti principis hujus saeculi, servitio peccati, similis erit arbori malo, qui malos fructus facit, ideoque excidetur et in ignem mittetur.¹⁾ Ecce ratio clarissima, cur prioribus quatuor capitibus summae doctrinae christianae se quintum necessario subjungat, simulque hoc caput quintum in duas partes dividatur, videlicet in doctrinam de malo, quod nobis vitandum est, et in doctrinam de bono, quod est nobis agendum.

<sup>1) Matt. VII.
18. 19.</sup>

Hic tomus tertius doctrinam prioris partis justitiae christianae continet, partem negativam, doctrinam de iis, quae nobis non sunt peragenda, scilicet de peccatis. Quam subtiliter atque enucleate definitio peccati sit proposita, quam presse verbum sit dictum, quam accurate genesis mali explicata sit, quam perfecte ac plene notio peccati sit divisa, quam clare oculis objectum sit, quem in modum peccatum alterum alterius parens sit, ea omnia ab unoquoque legenda sunt et cognoscenda, ut ea admittantur. Exitium, quod ex iniquitate nascitur, ubique describitur, nec minus vero simul remedium praescribitur, quo vulnera peccati mortifera, morbusque letalis curari possunt, quod est maximomomenti; nam permulti concionatorum, catechetarum, confessoriorum etc. noxam et interitum peccati horrendum in modum describunt, ita ut nonnullos ad

desperationem adducant, nec vero peccatoribus fontem commonstrant, ex quo haurientes leprae mereri possunt. Petrus Canisius autem, doctor venerabilis et caelestis Psychologiae magister maximus noster et peccatum una cum malis horrendis incommodisque describit, et fontem salutis commonstrat.

Hic erat primus locus, quem lectoribus nostris a nobis explanandum esse existimavimus; secundus vero et singularis sequitur.

Tomus hic tertius in amplitudine, in plagularum, i. e., foliorum chartae numero alteris tribus nimis cedit. Qua de re occasionem nanciscimur peragendi, quod ab initio hujus operis consequi proposuimus, nimirum vitam Petri Canisii, venerabilis theologi, ad lectores nostros referre. Nec pauci hujus generis relationem cupidissime expectant. Quis enim non admodum laetabitur, illum celeberrimum cognovisse virum, qui aetate fidei nostrae periculosissima in Ecclesia Dei fuit vas electionis¹⁾, qui diebus certaminis quam maximi heros fortissimus, qui tempore contagiosae haereseos Apostolus, dies noctesque operatus, millia hominum e periculo atque interitu eripuit, cujus beatificationis, sanctificationisque processus novissimis diebus multum agitatur, qui processus fortasse brevi tempore ad exitum felicissime atque

¹⁾ Act. IX.
15.

gratissime adducetur? Qua de causa vitam nostri venerabilis Doctoris huic nostrae praefationi subjungere non dubitamus. Qua ratione tomus hic tertius et tribus tomis alteris similem ejusdem amplitudinis formam accipit.

Abhinc quidem jamjam complures annos vitam¹⁾ venerabilis Petri Canisii in germanica lingua elaboratam edidimus, nec non plurimam ejusdem partem in versionem²⁾ summae doctrinae christianae recepimus. Tunc temporis partim ex Dorigny³⁾, partim ex Radero ipsam elaboravimus. Nunc autem vitam nostri theologi praestantissimi, a Radero⁴⁾ brevissimo tempore post mortem P. Canisii elaboratam, sine ulla mutatione tradimus. Raderus enim ornate, nervose et copiosissime scripsit vitam, ex qua non tantum virum apostolicum, sed etiam originem atque rationem ipsius operis, nimirum summae doctrinae christianae, et editionem ejusdem, a Busaeo Novimago apparatus, cognoscimus.

Utinam et per hunc tomum et praecipue per vitam apostolici viri, quae Evangelium Dei oculis omnium objicit, saluti

1) Leben und Wirken des ehrwürdigen Vaters und Lehrers Petrus Canisius u. s. der Gesellschaft Jesu Theologen. Ein Beitrag zur Kirchengeschichte des XVI. Jahrhunderts für Deutschland und Bayern; nebst einer Zugabe von 38 Reflexionen über das Uebel und die Heilung unserer Zeit. Landshut 1826. bei Jos. Thomann.

2) Kurzer Inbegriff der christlichen Lehre, oder Katechismus des ehrwürdigen Lehrers Petrus Canisius, der Gesellschaft Jesu Theologen. Aus dem latein. Originalwerke ins Deutsche übersetzt. III. Auflage Landshut 1826. Bei Joseph Thomann.

3) Vita R. P. Petri Canisii S. J. gallico idiomate scripta a R. P. Joann. Dorigny, nunc latinitate donata etc., opera P. Petri Python. ex ead. S. J. Monach. 1710.

4) De vita Petri Canisii de societate Jesu Sociorum in Germania primi religiosissimi et doctissimi viri, bono rei catholicae nati, libritres a Mattheo Radero ex eadem societate conscripti. Monachii ex formis Bergiani apud Annam viduam.

VIII

P R A E F A T I O .

multorum consulatur, pro qua Deo Patri Domini
nostri Jesu Christi supplicat.

**Monachii ad D. V. in festo annuntiationis
B. V. Mariae MDCCCXXXIV.**

EDITOR

D e V i t a
R. P. PETRI CANISII

LIBER PRIMUS.

**PATRIA, NATALIS, EDUCATIO
CANISII.**

C a p u t I.

Non est obscurum mihi, viros et re ipsa pios, et opinione sanctitatis illustres, de generis splendore, majorum ceris, familiae claritate rogatos, vel ipso silentio nobilitatis ornamenta dissimulasse, vel caelum patriae loco indigetasse, vel averso sermone alia omnia respondisse, cum parentum et propinquorum caritates omnes, una religionis modestia, Christique amore commutassent. Sed non perinde alii de iis, ut ipsi de se tacuerunt; nam quanto studiosius illi domesticas laudes premere conati sunt, tanto curiosius caeteri pervestigarunt. Ut enim omnis insolens de se praedicatio foede sordet: ita modesta taciturnitas ignotum mirifice commen-

X DE VITA P. CANISII

dat, ac veluti publicum mundi sidus orbi terrarum spectandum proponit. Fuit Canisius inter suos bono loco natus, habuit parentes copiosos et consulares; praeter nomen tamen nihil admodum ex ipso potuit cognosci. Ex fratre, cognatis, popularibus, aliisque, si quid de sanguine Canisii, et propinquitate quaereres, discendum fuit. Ergo Sicambriis, (hodie Geldris) gente fortissima, et gentis urbe principe, magnorum ingeniorum alumna ortus, Noviomago patria, Theodoro Canisio avo, Jacobo patre, matre Aegidia Honwingana (cujus majores Silvaducis Noviomagum commigrarunt) jure poterat gloriari. Sed cum ad caelestis patriae metam cogitationes suas omnes destinasset, oblitus terrae, sui, suorumque altius (ut illi) caput humanis exeruit. Jacobus primam fere aetatem in cultu ingenii posuit; unde comparata sibi magna eruditionis fama, juris enim consultissimus erat, Lutetia Parisiorum evocatus, principis Lotharingiae liberos ad omnem virtutis et doctrinae laudem ac elegantiam coepit informare; simul in concilium et usum Reipublicae adhibitus, sero tandem patriae desiderio captus, impetrata missione ad Carolum Egmondanum Sicambrorum principem abiit, locumque inter primos Aulae et Senatus proceres invenit: quem ob eloquentiae et doctrinae excellentiam, provinciae praeses, gravissimis legationibus ad Christiani id temporis imperii Dominos, praefecit. Noviomagi consul nonum ex ordine, et extra ordinem, difficilioribus Reipublicae temporibus, duobus

Theodorus
Canisius
avus.
Jacobus pater
qui vir.

ipse Consulibus consularis adjunctus, perpetuum quodammodo magistratum gessit. Hic ipse est Jacobus, qui foederis inter Carolum V. O. M. imperatorem, et Guilielmum Sicambriae, Cliviae, Juliae, et montium principem, aliarumque praefectarum toparcham, atque ordines provinciae, potissimus auctor, ac veluti pater patratus fuit. Multa possent de universa et numerosa Canisiorum familia tradi, sed omissis hisce, quae vix nostra censi solent, ad Petrum ipsum veniamus, quem annus a Christo nato primus et vigesimus post millesimum quingentesimum, VIII. Idus Maji, qui D. Michaeli caelestium copiarum principi sacer est, in lucem feliciter edidit, cum Leo X. pontificatum, imperium Carolus V. administraret. Teneram pueritiae aetatem Noviomagi in primo literarum tirocinio, et virtutis rudimento posuit. Saepius enim jam tum futurae pietatis indicia prodebat, cum non raro, nocturnis horis, et diurnis sola remotaque a strepitu familiae captans loca, Numini supplicandus, votis et precibus intentus deprehensus est. Horrente setis tunica tenerum corpusculum afflictauit. Ipsis Orgiorum solemnibus, inter lantas mensarum epulas accumbens, a gustu vini pro debacchantium salute abstinuit. Erat Arnheimii *) Reinolda, per quam honesta et religiosa vidua, quae suis facultatibus Xenodochio transcriptis, id unum studebat, ut omnia vitae suae studia uni Deo probaret; huic iter facienti, inter Neomagum et Arnheimium, Deus familiariter aperuit, quae proxime

Natalis
Canisii.
MDXXI.

Pietas Canisii
pueri.

Reinolda vaticium de Canisio.
*) Reineram sive Reinhardam alii vocant.



XII DE VITA P. CANISII

secuturis annis tempestates rebus publicis imminerent, quae principum dissidia, qui religionum errores, quanti bellorum turbines omnes Germanias, Galliasque, et potissimum Belgas essent oppressuri. His subiecit, armis atcunque positis, religionem quoque Catholicam per novum religiosorum presbyterorum ordinem (societatem nostram designabat) instauratum iri. Haec oracula Numinis cum Reinolda in corona cognatorum exponeret, et inter ipsos propinquos Petrus Canisius tredecennis puer adstaret, Reinolda ad illum conversa, humerosque stantis permulcens: Et hic, inquit, unus ex illa familia sacerdotum Jesu erit, qui in sanandis Ecclesiae vulneribus desudabit. Quae omnia, quam vera praesenserit, eventa docuere. Idem religiosa et nobilis virgo de Canisio, ut infra, et de Reinolda pluribus ostendam, praedixit. Petrus adhuc in ephebis ad politioris literaturae elegantiam, et juris divini ac humani cognitionem comparandam, Coloniam Agrippinam profectus; doctorem vel domesticum, ut opinor, praeceptorem, vel politiorum certe literarum et eloquentiae magistrum habuit primum Nicolaum Eschium presbyterum; anno quippe MDXXXIV. in album contubernii Montani inscriptus legitur. Huic Eschio plurimum debuit virtus et innocentia Canisii, singulari studio ab illo custodita, de quo suo doctore, viro aeterna memoria dignissimo, et omnium praeceptorum exemplo haec ipse Canisius in libro confessionum, quem ad S. Augustini imitationem de se ipso scripsit, denarrat.

Nicolai
Eschii virtus
et cura de Canisio.

Ipsius enim verba, quod singularem spirent pietatem, et majorem faciant fidem historiae, placuit subscribere: *Caeterum (inquit) ut ad praeceptorem, immo ad patrem Eschium revertar, benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui talem tribuit tibi ad pietatem magistrum et hortatorem quotidianum, ut qui non mea, sed me, salutemque meam amaret, et curaret sedulo. Hoc ipso duce, displicebam mihi paulatim, ut rectius placerem tibi Deus, quem adhuc parum cognoscebam, minusque timebam in illo flore juventutis. Illius consilia, mores, exempla, novam veluti lucem inferebam oculis, et auribus meis. Illius auctoritate frangebam, et comprimebam praecipites motus, ac vanos ardores adolescentiae, illius familiaritate contentus, reliquas necessitudines et sodalitates facile neglegebam. Nullus (quod sciam) fuit mihi tum carior, ac conjunctior; tantumque illius judicio tribuebam, quantum a filio pater desideraret. Neque solum in confessione secreta me totum illi et saepe quidem aperiēbam, verum etiam prius quam nocte cubitum discederem, exponebam illi familiari colloquio (tanta erat fiducia) lapsus, ineptias, et sordes animae meae, ut illi judici rationem erratorum, ac transactae diei redderem, ac, si vellet, etiam peccatorum aliquam luerem poenam. Agnosco et reverenter laudo misericordiam tuam, quae semper et ubique vias meas prosperabat. O custos fidelis hominum, et protector vitae*

XIV DE VITA P. CANISII

meae Deus. Hunc virum Coloniae velut alterum Ananiam ad me instituendum, tibi que propius conjungendum (ut arbitror) certa providentiae tuae lege destinasti. Igitur ille pro me sollicitus esse pergebat, precabatur, flebat, benedicebat, praemonebat, urgebat, atque scribebat. Et cum aliquando ab illo abessem diutius, jamque in patria mihi plusculum indulgerem, ac laxiorem vitam amplexurus viderer, per illum ipsum ad me tum venientem, veluti dormientem filium excitasti, et negligentem corripuisti, et lapsurum erexisti, et imbecillum ad te revocatum illius cura et opera in via tua confirmasti. Pungebat cor meum cum ex illo audirem et discerem hujusmodi sententias: Servire Deo regnare est. Sola salus servire Deo; sunt caetera fraudes. Si Christum bene scis, satis est, si caetera nescis. Idem prudenter hoc agebat, ut quotidie caput ex quatuor Evangeliiis unum legerem, et in eo sententiam illustrem eodem die subinde meditandam exciperem, memoriaque tenerem. Accedebat et alia piorum auctorum lectio, per quos de timore et amore tuo me commonuisti. Nec minus juvabar sanctorum hominum praepositis exemplis, et inspectis historiis, in quibus saepe versabar. Hinc mea fides, et spes ad meliora spectanda excitabatur. Hinc mundi amor, et timor in animo meo magis evilescebat: Hinc evangelica tum praecepta tum consilia mihi calcar fortius, et desiderium impensius adjiciebant. Praevenisti me Domine misericordia tua, multis-

que modis, ne peccarem gravius, prohibuisti et a lata via, quae mundi amatores ad perditionem abducit, pedes meos cohibuisti. Tibi gratias dicant omnes innocentes, et sancti tui, quod posueris super me manum tuam, et singularem meae salutis vitaeque curam habueris continenter, illis praesertim annis, quibus adolescentes mundi blandimentis, carnisque voluptatibus dediti, dum a lege tua discedunt, se ipsos perditum eunt, et in mille Sathanae laqueos incidunt, quamvis imprudentes, morbosque saepe graviores contrahunt, quam quos tota deinde vita superare, et funditus evellere possint. Confiteor nomini tuo Deus lumen et virtus animae meae, qui pascis et regis me ab infantia mea, et cui numerati sunt omnes capilli capitis mei; gratias tibi ago de donis tuis, quaecunque in me, per me, et propter me operari dignatus es. Sub umbra quidem alarum tuarum die ac nocte protexisti, et quasi pupillam oculi tui me custodivisti, non secus ac aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, quae expandit alas suas, et assumens eos, portat in humeris suis. Tu omnes vias meas praevidisti, possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meae, super viam inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit non justitia mea, sed dextera et misericordia tua, cui sit omnis laus, et gloria in saecula saeculorum. Precor te Domine, fidelissime custos et amator humani generis, quam tribuisti gratiam indigno puero

XVI DE VITA P. CANISII

Vota Canisii
pro juven-
tute.

Observa
adolescenti.

Nuptias
repudiat.

Dat operam
philosophiae.

mihī, eam multis aliis infunde, auge, perfice, ut a mundi turbis, et periculis illis mature semoti, bonos piosque praeceptores habeant, quorum praeceptis et exemplis adjuti, morum vitia potius, quam barbarismum fugiant ac detestentur. Discant illi salutaria magis, quam vana, firma, non vaga sectari studia, et mihi observent proprium scopum, ut suo et aliorum commodo doctrina solida recte et convenienter uti velint et possint, primum quidem ad nominis tui gloriam, cui servire debent omnia; deinde vero ad profectum Ecclesiae tuae, cui magis quam patriae, amicis et parentibus gratificandum et obsequendum est. Vides, quantum Canisius in Eschii disciplina ad virtutem promoverit. Obtulit illi pater in sponsam, virginem opibus pollentem, forma praestantem, fortuna satumque nobilem, quam ille spe caelestium gaudiorum, constanter repudiavit. Ostendit illi parens Ecclesiasticos honores et opimas canonicorum conditiones; sed Canisius jam tum gloriam in gloriae et opum contempione quaerebat. Studia, post pueritiam, et caelestis sapientia Canisio maxime cordi erant, philosophiae tirocinium posuit apud Joannem Noviomagum, cujus in Bedam exstant scholia de temporum ratione, et natura rerum commentationes, Apologeticus pro Areopagitae libris, aliaque de numeris. Sed hoc sidus, draconis cauda perstrictum, haeresique occaecatum, et Coloniae extinctum a sepulorum quoque Catholicorum societate exclusum est. Canisius in philosophiae spatiis tan-

LIBER I. CAPUT I. XVII

tos processus fecit, uti, cum decimum nonum aetatis annum ageret, suprema philosophiae laurea in collegio Montano donaretur. Id locorum Canisius Andreae Bardewicii eruditi et clari viri contubernio utebatur, sensimque in doctorum virorum familiaritatem ingressus declamando, et quotidianis exercitationibus, cum dicendo, tum concionando non mediocrem eruditionis, facundiae et pietatis famam cum apud alios eruditos collegit, tum praesertim apud Laurentium Surium, quem sibi maxime conciliavit, cuique maximus deserendae impii Lutheri sectae auctor fuit: cum quo postea familiarissime vixit, et frequenter de sanctoris vitae disciplina ineunda, de rerum humanarum contemptione, caelestiumque desiderio pertractavit. Denique eo descenderunt ambo, ut fugientia omnia fugienda, et aeterna sibi unice complectenda arbitrarentur, quod praeclare intelligerent, summam vitae esse brevem, spes mortalium fragiles et inanes, vota incerta, nisi in caelo defigerentur. Haesit ergo apud S. Brunonis coenobium in Carthusia SURIUS, nec CANISIUS de re magis deliberabat, quam de familia, in qua cum operae fructu, Ecclesiae emolumento, ad majorem sempiterni Numinis laudem versaretur, quam illi Deus hac via, quam exponam, ostendit.

Andreas Bardewicus post Eschium vel cum Eschio hospes Canisii.

Laurentium Surium a Luthero avortit.

CANISIUS

a Petro Fabro societati primus e Germania adjungitur.

Caput II.

Canisius decurso Coloniae philosophiae studio, caelestium literarum mysteria mox ingredi, et sanctiori theologiae operam omnem impendere coepit. Ad quam rem felicius et commodius exsequendam, studuit omnia a se gaudia corporis removere, nuptiisque et conjugio in omnem vitam renuntiare. Quam ob rem ipso die S. Matthiae, cum annum ageret undevicesimum, castimoniam voto signavit, nec unquam postea resignavit; sed mente ad divina translata in studio sapientiae, quam purus et a corporis vitiis liber animus mirifice imbibit, miris modis profecit. Venerat interea loci Moguntiam Petrus Faber, e primo sociorum decemviratu a Cardinale Alberto Archiepiscopo Moguntino spirae vocatus, ibique res memorabiles gerebat, ad indictum a Paulo III. Tridenti concilium destinatus, quod per id tempus atrox inter maximos Christiani orbis principes Carolum imperatorem, et Franciscum Galliae regem, bellum exortum disturbavit, cum nusquam tutus viarum comiteus esset. Quae

Canisius castimoniam a-
dolescens vo-
vet.

MDXL.

Petri Fabri
virtus.

MDXLII.

causa fuit, quam ob rem Petrum Fabrum apud se Cardinalis retineret, ut aliquid e voluminibus sacris publice explanaret, qui mox caeleste psalmodiarum carmen Davidis coepit in academia Moguntina cum ingenti applausu explicare. Nec minus interim studii in rerum divinarum contemplationem aliorumque salutem omni ratione expediendam contulit, cum alios exemplo et modestia vitae, quae maximum habet ad permovendum momentum, alios literis, alios familiari sermone ad virtutis laudem, rerum praesentium contemplationem, sui despicientiam, Christi amorem incitaret. Longe proinde lateque fama viri dilata, absentes etiam, ut solet, in sui admirationem rapiebat, quae Canisium quoque Coloniae afflavit, tantoque videndi Fabri desiderio inflammavit, uti sibi tanti viri conspectum et congressum nullo modo negligendum putaret. Numinis igitur impulsu expeditus Moguntiam advolat, seseque Fabro religiosis meditationibus imbuendum committit, in quibus tantum rerum divinarum spiritum hausit, ut desertis omnibus studiorum praemiis, et speratis dudum honoribus abdicatus, totus in auctoritate Fabri esset, Deoque se, quantus quantus erat, et societati per prima vota, VIII. Idus Maji anno salutis parte tertio et quadragesimo emanciparet. Quod ipse Canisius conceptis verbis, Romae ex ipsius autographo exscriptis, et ad me transmissis, testatur, egoque lectori cognoscendum subjicio.

Psalmos exposuit Moguntiae Faber.

Canisius P. Fabrum convenit.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

MDXLIJL.
Votum Casi-
sii.

Anno 1543. die apparitionis S. Michaelis, aut in octava Maji, quae dies mihi natalis est, tribuens initium anni 23. aetatis meae, post maturam deliberationem, ego Petrus Canisius Novimagensis, voveo simpliciter Deo omnipotenti, B. Virgini Mariae, S. Michaeli archangelo et omnibus Sanctis, ex nunc me transiturum ad obedientiam societatis, quae dicitur Jesu Christi; similiter Domino Deo, et Sanctis ejus promitto firmiter et voveo, quod per divinam gratiam velim etiam ex nunc actualem assumere paupertatem, nisi quatenus et quamdiu Praepositus dictae societatis aut ejus loco M. Petrus Faber impederit, qui nunc dignatus est me in probationem suae societatis recipere. Voveo praeterea peregrinationem instituere ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli Romae, et hoc quam primum, si non aliter determinaverit idem M. Petrus. Quod si in ordinem societatis hujus me non acceptari contingat, volo me tunc statim obligatum esse, secundum consilium ipsorum professorum in eadem societate, ad acceptandum protinus ordinem alium probatum in vita communi, et approbatae obedientiae. Atque haec omnia duntaxat propter honorem et amorem Jesu Christi Domini nostri, deinde simul ad honorem et servitium gloriosae Virginis Mariae, sancti quo-

LIBER I. CAPUT II. XXI

que Michaelis, et omnium Sanctorum in salutem animae meae. Amen.

Sic praesenti manus meae subscriptione sic et sumptione sanctissimi corporis Christi perpetuo contestatum manere volo.

† † †

Modis omnibus oro simul et requiro, ut superiores mei me commoneant, corripiant, et ad haec observanda rigide compellant, si forte (quod absit) contingat me converti retro et meditari suffugium et excusationem ab omnium horum impletione.

Exstat et epistola Canisii Joanni Busaeo clare sociis viro inscripta, in qua de Fabro multa, et suo cum illo Moguntiae congressu, quando ad Conradum apud divi Christophori aedem parochum, quem Faber ex impura ad sanctam et religiosam vitam traduxerat, divertit. Epistolam Nicolaus Serarius Moguntiacae historiae inservit. Fabrum porro Canisius et praesentem et absentem tanti fecit, uti vix hominem, sed delapsum aliquem e superis caelitem veneraretur: quod ipsius Canisii literae ad familiarem datae, quando Moguntiae cum Fabro versabatur, attestantur in haec verba scriptae: *Secundis ventis Moguntiam veni, virum, quem quaesivi, si tamen vir est, et non potius angelus Domini, meo magno bono reperi; quo nec vidi, nec audivi doctiorem profundioreque Theologum, aut tam illustris eximiaeque virtutis hominem. Illi nil aequae in votis est, ac Christo cooperari in*

Nicolaus Ser.
Mogunt. lib.
V.

salute animarum; nullum ex illius ore verbum sive in usu, familiarique congressione, sive dum mensae accumbit, prodire audio, nisi quod Dei honorem et pietatem sonet, neque tamen ob facundiam audientibus gravis aut molestus est. Auctoritatem tantam habuit, ut ei se spiritualiter informandos multi religiosi, multi Episcopi, multi Doctores tradiderint; inter quos est Cochlaeus ipse, qui pro ipsius instructione gratias se reddere pares unquam posse negat. Multi sacerdotes et cujusvis ordinis ecclesiastici, vel concubinas abjecerunt, vel saeculum rejecerunt, aut a gravibus flagitiis ad frugem meliorem eo adnitente adlaboranteque sese receperunt. Quod ad me attinet, dici vix potest, quemadmodum exercitationibus illis spiritualibus animum meum ac sensus immutari, mentem novis caelestis gratiae radiis collustrari, et novo quodam me vigore affici senserim, sic ut et in corpus redundante divinae beneficentiae copia totus corroborari, atque in alium prorsus hominem transformari viderer.

COLONIAE

fundamenta collegii jacet. A propinquis vexatur.

C a p u t III.

Canisius a Fabro Coloniam remissus, caelestes in pectore faces, ex ore Fabri haustas, secum detulit in civitatem, quas mox familiaribus suis, atque inde aliis atque aliis admovit, quibus multorum ani-

mos ad futurae vitae spem amoremque vehementer inflammavit. Ac primum omnium hospitem suum

Semenstem
virtutis fa-
cit.

Andream Heerlaeum Bardevicium, theologiae candidatum, ad S. Gerionis canonicum societati mirifice conciliavit, et mox omnem B. Brunonis Carthusianorum familiam adeo sibi, Fabro et sociis omnibus devinxit, uti neque meliores tum Coloniae patronos, neque munificentiores in se fautores nostri, quos Canisio Agrippinam redeunti Faber socios adjunxerat, experirentur, quod societati tum primum Coloniae per Canisium natae vehementer profuit, cum inopiae patrum rerum ibi tum omnium

Carthusia-
norum Colo-
niensium in
primos soc.
Patres libe-
ralitas.

ogentium liberaliter succurrerunt. Ipse Prior Coenobii Gerardus Hammontanus adventum Fabri magnopere desiderabat, ut ab eodem vitae sanctioris praecepta cognosceret. Canisius interea Coloniae cum Alphonso Alvaro se totum in pauperum curam et officia caritatis non sine studiorum jactura effudit, ut hoc nomine a Fabro per literas fuerit dehortandus, et docendus, ita cum miseris tempus esse transmittendum, ne rebus majoribus et publicis idem subducatur; quaerendos potius, quos in hujusmodi occupationibus sibi possint certis temporibus sufficere; cursum studiorum nec dum ad metam perductum, non esse abrumpendum, interjungi subinde posse, non abjungi. Sed accidit interim, uti voluntate Numinis Jacobus Canisii parens e statione vitae evocaretur, et Petrus herciscundae haereditati domum citatus, Neomagum veniret. Quod ubi Faber (qui per eos dies Lovanio, ubi

maximas res gerebat, Coloniam venerat, ut novale Patrum lustraret) sensit, cum Canisium praesentem non offenderet, magnopere mirabatur, quid ei praeter spem obvenisset. Postquam patri funebria persolvere didicit, extemplo ad eum literas amoris et officii plenissimas expedivit, in quarum exordio, eum de morte patris aequo animo ferenda solatus, monet, ut quam primum Coloniam revertatur. Canisius, ut erat ad Fabri nutum factus, rebus utcumque compositis, et bonis magnam partem in pauperes tributis, Coloniam advolat, quem acerrimae novercae literae e vestigio consecutae in patriam revocabant, quibus gravissime querebatur, fundos paternos alienis erogatos, de haereditate nondum plene conventum, illum a peregrino homine per speciem religionis ob spem praedae circumventum, a suis avulsum; rediret ad suos, matris orbitatem solaretur, notos et agnos spe sua non destitueret, ignotos negligeret. Haec et his plura, quae ira et indignatio pleno thylaco suggerebant, mater Canisii noverca ad Fabrum. Faber Canisio recepto recreatus, ad novercam ipse cum Canisio rescripsit, docuitque se Canisio non fuisse bonorum in alienos partiendorum auctorem, nec Petrum ad se, spe ullius commodi aut nummi allectum, cum uterque et tota societas in verba paupertatis jurarint. Non erit abs re partem longioris epistolae apponere, unde spiritum et sapientiam Fabri discas.

VENERANDA ET CARISSIMA IN CHRISTO
DOMINA.

M. Petrum Canisium filium tibi quidem semper hactenus carissimum, nunc vero degenerem prorsus factum esse conquereris, idque mea unius opera factum arbitraris. Ego contra, cum videam honestissimum et optimum adolescentem firmissimo spiritus et amoris glutino mihi conjunctissimum ac unum prope mentis ac voluntatis consensione factum esse, non possum non ex animo optima quaeque illi velle et peroptare, usque eo ut propinquis ejus et consanguineis omnibus quidvis me debere arbitrer. Consanguineos dico non eos duntaxat, qui Christianae unionis et evangelicae perfectionis vinculo sunt devincti, sed eos etiam, quos secundum carnem amicos et conjunctos habet. Hinc fit, ut multum et frequenter Deo Optimo Maximo supplicem, ac preces fundam pro anima parentis illius nuper in Christo defuncti, pro tua consolatione, pro liberis, propinguisque vestris. Itane vero, inquires? Quid igitur est, quod M. Petrum a nobis avocasti, quem nobis praesentia sua, consilio, adjumento, et consolationi esse non ignorabas? Quid facias, obsecro, Christiana Domina, si ex una parte videas Christum Jesum in ipsius mente et spirituali profectu veluti deliciis quibusdam perfrui, atque conquiescere velle? ex altera vero carnales amicos atque propinquos in ejus carnali praesentia, bonisque fluxis et caducis glo-

Petri Fabri
litera ad Ca-
nisium nover-
cam.

riari modis omnibus percipere? Certe (si modo aequum me hic arbitrum admittere velis) consultius potui facere nihil quam illum in spirituali suo studio adjutum velle, neque tamen in eo gloriam aliquam quaerere, et simul operam dare, ne ex ejus fortunis vel teruntius unus in meum usum convertatur. Quaestio, ut audio, tota est de rebus temporalibus, paucis curae, quonam anima M. Petri perveniat. Sed id graviter et moleste multi ferunt, si, quae haereditario jure illi obvenerunt, alienentur. Dolemus glebam a gleba disjungi, animas vero nostras a suo conditore Deo, cui adhaerescere summae felicitatis, abstrahi, avellique non dolemus. Hoc autem, super quo vel emori cupio, si, hactenus, quod quidem sciam, illorum temporalium' bonorum quidquam in rem meam cesserit. Fidelis Deus, qui hac in parte me fidelem fecit, ut spero in gloriam suam, ut ne quidem statuere queam gloriam propriam in temporalibus. Cur ergo hic, inquires, non illum id facere prohibes, quod scis nobis omnibus esse longe gratissimum? quantum ille bonorum distraxerit, non mihi penitus est perspectum; neque tamen, ut libere, quod sentio, eloquar, ejus factum improbo. Quae enim alienare dicitur, ea in pios usus conversa esse intelligo, atque ita, si vere ratiocinari velimus, non tam alienata videri debent, quam proprio germanoque possessori Deo, cujus sunt omnia, quae hujus orbis finibus continentur, restituta. Et quod hic crimen? quam secum advexit

Si vis perfectus esse, vende, vende, quae habes, et da pauperibus etc.

supellectilem, eam et apud ipsum et in ipsius esse potestate scito. Aliud spectat haec paucorum congregatio; aliis lucris nostra inhiat societas, quam ut optet peritura, igneque consumenda aedificare, Caetera, quae de me sparguntur, vaniora esse sum ratus, quam ut a vobis iis fides adhibenda esse videatur, cum praesertim tales vos esse credam, qui et Deum timeatis, et de proximo non nisi bonum cogitare didiceritis. Nam quod me peregrinum et ignotum clamitant, non diffiteor; sum enim peregrinus, sicut omnes patres mei, sum, inquam, peregrinus in terra provinciae hujus et peregrinus ero in omni terra, ad quam me Dei bonitas deduxerit, quoad vixero. Nitor autem, et in hoc totus sum, ut possim fieri domesticus Dei et civis Sanctorum.

Repressit his literis Faber importunitatem tum novercae, tum cognatorum, sed ita, ut omnem moverent lapidem, quo nostri Colonia pellerentur. Retenti tamen Canisius et Leonardus Kesselius, de quo, ubi locus admonebit, plura referemus: atque haec quarto et quadragesimo supra millesimum quingentesimum acta conjicio. Proximo, qui fuit quadragesimus quintus, a patriae et patrimonii curis, Noviomagum reversus, se penitus expedit, ac deinceps oblitus sanguinem et propinquos, totum se Christo consecravit.

Socii Colonia pelluntur.
Leonardus Kesselius.

MDXLIV.

S T U D I A

prosequitur, sacris initiatur, docet,
concionatur, legationes obit.

C a p u t IV.

Erat Canisius ingenio ad sublimiora divinarum rerum studia factus, corporis et sui negligens, omniumque fere alienarum a literis occupationum incuriosus, uti amat esse, qui mente caelestia pertractant. **A**ttentissimus ad sacrorum oraculorum interpretationes, patrum sanctorum lucubrationes, sententiarum in obscuris dictis varietatem consensumque, cum avidissimis auribus aliorum dictata hauriret, oculis perlegeret, animo versaret, quaereret, in utramque partem disceptaret, ex quo magnas sibi eruditionis opes, ingentemque thesaurum sapientiae comparabat, quo postea ad condendos libros egregie usus est. **H**onore prolytarum, qui dignitatis gradus in academiis est summo proximus, affectus, coepit ingenii sui divitias multis vigiliis et sudoribus collectas exponere, eademque opera in Lyceo Montano Coloniae sacram Evangelii historiam explanare, et sacrarum literarum auditoribus in academia Pauli epistolam Timotheo inscriptam enarrare, simulque in aede sacra ad populum patria lingua pro concione verba facere. **H**oc ipso fere tempore sacris rite initiatus, Coloniae in coenobio

Nazarethano primum Deo, summo cum pietatis sensu, operatus est. De loco ipse Canisius literis suis testatus est, cum scripsit: *Cum ex Moguntia Colonia rediissem, jamque sacerdos per Catholicum Episcopum ordinatus essem, primum vero sacrum in coenobio Nazareth obtuli Domino; coepi quosdam e nostris alere etc. Ordines omnes Coloniae non Moguntiae suscepit, ut ipsemet notavit. Ibidem, inquit, (loquitur de Colonia) primum sacra docere et concionari coepi, tua suffultus gratia, nec alibi subdiaconus, diaconus et presbyter sum factus. Interim *) Cyrilli sanctissimi et doctissimi Pontificis Alexandrini nobilissima ingenii opera duobus distincta voluminibus castigavit, ediditque, et alterum Sebastiano Archiepiscopo Moguntino; alterum Theologiae studiosis nuncupavit. Uti mihi Canisii plenum et inundatum sapientia peccatus tanquam flumen occurrat, suis antea aggeribus et cataractis clausum, quod repente velut caelestibus auctum aquis, perruptis undiquaque repagulorum et crepidinum claustris, ripisque infusum, per aperta camporum longe lateque restagnarit. Animadvertit hoc Claudius Jaius, vir inter primos Ignatii commilitones de religione Catholica in Italia, Boica, Suevia, Austria, et Germania tota praeclare meritis, cujus encomium apud Ribadeneiram in vita Ignatii cognoses. Hoc, inquam, cum Jaius animadvertisset, Petrum adeo laboribus studiorum immersum oppressumque, veritus, ne aestu quamvis sanctarum et altissimarum occupationum abrep-*

*) Ex edit.
Melch.
Novosian.

tus, in brevia et syrtes deferretur, quod et facile fieri posse intelligebat, et factum non raro ex patrum historiis meminerat, Paraeneticas ad Petrum ex Vangionibus Wormatia, ubi tum Jaius morabatur, misit, quibus illum post honoris accepti gratulationem graviter et religiose monet, ut omnes ingenii, linguae, et calami labores in solum Deum sine malo dolo et popularis aurae captatione bona mente referat, nec aliud inde spectet aut expectet, quam Dei O. M., a quo omnia acceperit, laudem, ubique propagandam, et hominum salutem omnibus studiis procurandam. Hortatur deinde, ne sic detineri se docendi, concionandi, et scribendi munere patiatur, ut inde divini spiritus vis detrimentum capiat, aut religiosis precandi et contemplandi officiis sua tempora detrahantur aut contrahantur. Confirmat sententiam auctoritate S. Thomae Aquinatis, egregii Christianae disciplinae Philosophi, quem ostendit nunquam ad munus docendi, vel commendandi, vel scribendi, disputandive accessisse, quin prius ad aras confugeret, et propitiati Numinis praesentem opem imploraret. Nihil certe suscipi, nihil profici posse arbitratus, absque nutus divini adjumento, a quo omnia, quae usquam bene fiunt, in genus humanum beneficia profiscantur. Hac ratione Canisius nunc a Fabrico a nimia pauperum cura retractus ad studia; nunc per Jaium a studiis ad vota et pias meditationes impulsus, mediam inter extrema viam ingredi discebat, ut ex consuetudine non longa, cum Fa-

bro, Bobadilla, Jaio, optimis vitae, morum et virtutis magistris incredibile dictu sit, quantam sibi in rerum tractandarum usu prudentiam pepererit, quantum in divinis lumen acceperit, quantum ex omnibus fructum reportarit, uti non solum moderatorum suorum similis, sed etiam par efficeretur. Jam apud Ubios Agrippinos in oculis et ore omnium virtus, eruditio et matura quamvis in juvene prudentia Canisii versabatur, cum ipsius urbis et cathedrae supremum caput coepit languere, et a recto Catholicae religionis tramite in Lutheri et Buceris haeresiarum, et fidei, Numinis ac religionis desertorum (cum alter a S. Augustini, alter a S. Domini castris profugisset) sinistras partes inclinare, secumque subjectos in exitium trahere. Hermannus Weda is erat Archiepiscopus Agrippinus, et imperii Romani septemvir, in caelestium literarum cognitione parum bene versatus, eoque insidiis veteratorum et hostium religionis antiquae obnoxius circumventusque, Argentorato Bucerum, Melancthonem cum Pistorio, Sartorio, et aliis Catholicae Reipublicae pestibus e Saxonia evocavit, ubi ille palam venena feralis sectae spargere, et populo pro concione imponere, literatis edito reformationum scripto (quod cum antididagmate tanquam antidoto Coloniensis academiae ad manus habemus) fucum facere tentavit, eoque loci res erat, ut cum principe populus universus in discrimen haereseos veniret. Quod inter primos clarissimus et doctissimus vir Joannes Gropperus sensit, et cum univer-

Optimi virtutis magistri quantum prosint.

MDLIII.

XXXII DE VITA P. CANISII

MDXLVI. so Coloniensis academiae et cleri concilio Canisium ad Leodiensem antistitem adversus nascentem sectae flammam auxilium petatum legaverunt. In qua functione cum diutius cogretur Leodii propter rei gravitatem haerere, ne bonas horas otio transmitteret, more societatis interim cathedras procuravit, et festis diebus omnibus historiam evangelicam frequentissima concione explicavit, saepeque eodem die in Episcopo, paraeciaque binas conciones habuit, alias etiam Ecclesiasticos a Decano citatos ad officii munus exsequendum hortatus. Testantur literae Canisii ad Leonardum Kesselium, primum Coloniensem Collegii praesidem, quibus docet, ipso Natali Christi coactum ab Episcopo, qui fuit Georgius Austrius Maximiliani Romani nominis primi filius, ex tempore de rebus divinis apud ipsum et aulicos verba facere, singularique amoris significatione tractatum, ad mensamque adhibitum. Coloniensem ubi confecto feliciter negotio rediit, illico ab iisdem ad Carolum Quintum in castra super eodem negotio mittitur, quod ipse in confessionis libro de se, et annales Collegii Coloniensis testantur. Carolus sacrum ordinem clericorum Coloniensium cum academicis, citato ad causam dicendam Hermanno, in tutelam recipit, et contra pseudoepiscopum auxilia pollicetur, cum adversarii eundem defendendum suscepissent. Effectumque ut anno MDXLVII., a summo Pontifice exauctoratus et proscriptus honorem et tiaram Adulpho Schauenburgio cesserit. Gropperus ob fidem et operam Romanae Ecclesiae

Altera legatio commissa Canisio.

LIBER I. CAPUT IV. XXXIII

strenue navatam, nihil minus suspicatus Fride-
 rici Bonnensis Praesulis, Hermanni fratris, se-
 dem jussus occupare, demum etiam in sacrum pur-
 puratorum Romae Patrum consilium a Paulo IV.
 adscitus est, vir amplissimus, et quo affectus est,
 honore dignissimus, atque in profligata morum disci-
 plina cum omnium admiratione ausus esse sanctus,
 quando in suo conclavi ancillam, dum lecto stragula
 imponeret, deprehensam mox exturbavit, et lectum
 ipsum per fenestram cubiculi contactu faeminae quasi
 pollutum inquinatumque in viam dejecit. Cujus in-
 signem encomiasten egit Surius, cum de Hermanni
 exauctoratione narrans res anni MDXLVII. tracta-
 ret. Canisius dum in castris apud Carolum Colo-
 niensium causam urget, in Othonis simul Cardina-
 lis et Pontificis Augustani familiaritatem, magno
 optimi principis usu venit, a quo post obitam Co-
 loniensium legationem, cum Claudio Jaio ad conci-
 lium Tridentinum, anno Christi MDXLVII. cum
 ipse VI. et vicesimum ageret, est missus. Cupie-
 bant jam pridem vehementer Academici Agrippini
 Canisium secum retinere; sed cum is jam diu socie-
 tati juratus, in suorum se majorum auctoritate esse
 profiteretur, nec sine illorum permisso Coloniae de-
 gere posse affirmaret, consilium academicum lite-
 ras ad Bobadillam pro retinendo Canisio dedit, ex
 quarum sententia facile potest intelligi, quid de Ca-
 nisii spe et eruditione senserint: subjicerem verba
 nisi ad alia properarem. Enim vero cum per orbem
 Christianum societatis opera magnopere a Pontifi-

Gropperus
Cardinalis.

Gropperi vir-
tus et casti-
monia.

XXXIV DE VITA P. CANISII

cibus, Regibus et rebus publicis desideraretur, in tanta sociorum paucitate visum est Canisium avocare, ubi utilius operam collocaret, praesertim cum ea tempestate Patrum in ea civitate praesentia parum grata videretur, et socios Canisii, senatus edicto, quod a Canisii propinquis odium in nos, propter ipsum Canisium esset excitatum, tantum non proscripsisset, jamque Alphonsus Salmeron in Hispaniam esset revocatus, Bobadilla jam ante inde profecto, solo Leonardo Kesselio ibi relicto, qui caelesti potius quam humana ope societatis nomen ibi retinuit, et societatem ipsam postremo cum ingenti fructu Reipublicae restituit.

Leonardus
Kesselius vir
divinus.

Canisius, uti narrare coeperam, ad Othonem reversus, ab eodem cum Wolfgango Remio praeposito Augustanae Ecclesiae Tridentum ad sanctissimum Patrum concilium mittitur, ubi se cum Claudio Jaio Othonis legato conjunxit, et cum eodem Bononiam, quo sanctus Pontificum senatus diverterat, se contulit, ibique publice in maximo patrum consessu sententiam dixit, quae ex ipsius Canisii tabulis exscripsi. Reliquas ejusdem legationes a summo orbis Christiani praeside imperatas suo loco exponemus.

Tertia a Ca-
nisio legatio
obita.

MDCLVII.

ROMAM VENIT,

inde in Siciliam, et Roma rursus in Germaniam atque Ingolstadium.

Primo Canisii in urbem adven-
tas.

C a p u t V.

Concilio intermisso magis quam dimisso, Canisius cum Jacobo Lainesio Florentiam adiit, ubi reliquam aestatem ad septembrem usque transegit; inde ab Ignatio societatis auctore et praeside Romanam evocatus, divino plane se gaudio delibutum scribit, quod sibi urbis tam copioso tot sanctissimorum Christi athletharum sanguine purpuratae copia visendae esset facta. Traduxit Romae menses fere quinque, quibus in omnibus se religionis nostrae asceticis magno animi ardore exercuit. Mense Februario ineuntis anni MDXLVIII. destinatus in Siciliam cum Hieronymo Domenico Valentino, Hieronymo Natali Hispanis, Andrea Frusio Gallo, Benedicto Palmio Italo, et aliis claris societatis nostrae luminibus, cum fausta Pont. Max. Paulo III. apud quem Canisius publice dixit, appreciatione periculosa navigatione usus Messanam appulit. Collegii Mamertini primum egit rectorem Hieronymus Natalis, rhetorem Canisius in Lyceo, oratorem in templo; ex utriusque auditoribus magnum operae fructum retulit. Revocatus anno inse-

MDXLVIII.

Secundus in
urbem adven-
sus Canisiit.

Guilielmus
Bojorum
princeps Ma-
ximiliani pro-
avus, Socius
vocat in
Boicam.

quenti Romam, solenni votorum quatuor summo-
rum nuncupatione se totum usu et mancipio Deo
et Societati consecravit.

Eodem anno Guilielmus magnus Bojorum prin-
ceps Alberti parens, Guilielmi superstitis avus,
proavus Maximiliani hodie Boicae imperantis, fama
Societatis ad se perlata, putavit e re suorum fore,
si Patres in Boica ad luporum rabiem passim gras-
santium arcendam collocaret. Fremebant enim cir-
cum ovilia Christi immanes ferae, et magnam Ger-
maniae partem invaserant, foedumque in modum
lacerabant. Jam Provinciae Saxonum, Intuergo-
num, Vessonum, Sennonum, Incrionum, qui sunt
hodie Wirtenbergenses, Brunswicenses, Brande-
burgenses, Hessi, aliorumque Germaniae cum Bel-
gis populorum magnam labem acceperant. Liberas
civitates maximam partem eadem pestis occuparat,
Austria laborabat, Boica nutabat, et jam anceps
haerebat, in quam se partem inclinaret. Quod, ut
dixi, cum Guilielmi pietas sentiret, amans suae
gentis et salutis publicae, per Leonardum Eckium
virum eloquentia et sapientia praepollentem, eo
nomine Romam missum, petivit a summo Pontifice
et Ignatio auxiliares copias, quibus hostium vim
a suis defenderet. Missi auxiliatum Claudius Jajus,
qui priore anno Ingolstadii litteras sanctiores ex-
plicarat, Viennamque abierat, Alphonsus Salme-
ron, et Canisius noster, qui (cum ex Italia rever-
teretur) ad supremum doctrinae gradum adnotus,
Bononiae Theologiae Doctor proclamatus est. Gui-

Canisius
Theologiae
Doctor crea-
tur.

LIBER I. CAPUT V. XXXVII

lielmus praesentes amicissime complexus, omnes Ingolstadium ad sacrarum literarum doctrinam instaurandam, haereticorum pravitate concussam misit; ubi Salmeron D. Pauli epistolas, Claudius Davidis Psalmos explicavit, Canisius Petri Lombardi sententias ad docendi rationem redactas illustravit. Sed Alphonsus Salmeron in Italiam intra annum revocatus, Nicolaum Gaudanum habuit successorem. Claudius Viennam Austriae jussus petiit, vir omnium existimatione sanctus, qui Tergestinum Pontificatum sibi delatum ingenti animo repudiavit. Ingolstadii non diu moratus diuturnam imo sempiternam sui memoriam animis hominum infixit. Recognoscamus Academiae Ingolstadianae tabulam inter monumenta annalium servatam de Claudio ita loquentem: *Claudium Jajum Allobrogem fuisse, et doctorem ac Professorem, et de Societate Jesu testatur monumentum, quod illi in Schola sua posuere Theologi, quorum testimonium tanti apud me est, ut omnibus actis, et scriptis anteferam. Placidissimorum perhibetur morum fuisse, ut qui non solum eruditione excelluerit, sed et pietate, et cum pietate doctrinam, et cum doctrina parem conjunxerit pietatem, atque adeo, ut si quisquam alius in nostra Academia, certe ille cum apud infimos mediosque tum etiam summos et prudentissimos, certam quasi sanctitatis opinionem sibi compararit. Hunc nos supra laudavimus optima Canisio praecepta, docendi vivensque praescribentem, ut hoc minus mirere, qua via Canisius*

MDXLIX.
Defecerant a fide Joannes Pessendorfer, ut an MDXXV tabula Academica demonstrat;
Balthasar Hiebmaier Pacimentanus MDXXIII Viennae exatus MDXXVI.
Gerion Seiler, et Philippus Appianus Petri filius, de quibus Rottmarus in Annalibus.
Elogium Claudii Jaji.
Ex Annalibus publicis Academiae Ingolstadianae.

XXXVIII DE VITA P. CANISII

profecerit, et per quos ad virtutis culmen provectus sit, cum ejusmodi virtutis duces secutus est. Quod porro ipse Canisius, Ingolstadii dum sacras in Academia literas tractaret, populum pro concione doceret, supremum Academiae magistratum, Rector novo more gereret, encomium promeruerit, loquantur ipsa Academiae Ingolstadianae monumenta, in quibus praeter alia haec lego:

Sed ad propositum et incomparabilem virum Petrum Canisium diverto, cui tamen Encomiasticum minime polliceor, sed id tantum praestitutum, ut eum ab oblivione apud posteros vindicem, et is qualemcunque inter Theologos possit habere locum. Dicam quod sentio: Vir est divini prope modum ingenii et eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius, quod illi pene cum omnibus patribus de Societate commune est, Theologus profundus et lectionis infinitae, quod cum plurimis et quod illi neque omnino cum multis, neque omnino paucis est commune, Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter gravis et jucundus. Et rursum: In eo denique pietatis et eruditionis, vitaeque integritatis, omnisque virtutum generis, quae in ejusmodi virum cadere solent, quae Ecclesiasticos ornant et commendant illustre statuimus exemplum. Restituit ipse cum collegis suis Academiam loco suo et dignitati, cum post Eckium lumen Academiae et Germaniae solem, magnum adisset discrimen religionis, et ingens detrimentum post nefariam quorundam in Academia defectionem ac-

cepisset. Hoc tamen citra veterum doctorum atque etiam ipsius Domini Eccii, Theologi et doctissimi, et in disputando religionemque propugnando, felicissimi et fortissimi Hectoris, injuriam facile affirmarim, longe et elegantius, politiusque et compendiosius nunc pene omnes tradi docerique litteras, quam apud majores nostros fieri est solitum. Id quod ego saeculi potius illius barbariei, quae in omnes scientias vim suam exercuit, quam ipsis Doctoribus, quos acute, subtiliter et docte scripsisse et disputasse constat, tribuo.

QUID VIENNAE PROMOVERIT.

Caput VI.

Canisius re bene gesta Ingolstadii vocatu Ferdinandi Imperatoris cum Nicolao Gaudano inde profectus Viennam properavit, ubi coepta a Claudio Jajo et Lanoio Collegii Viennensis fundamenta absolvit, Ferdinando Caesari pro concione Evangelium exposuit, et cum non absque vitae discrimine regiam peteret, armata manu in aulam deduci Ferdinandus Canisium imperavit. In Academia sacra divinae legis mysteria interpretatus est, in quibus adeo copiose Caesari satisfecit, ut propter conceptam de Canisio non inanem sanctimoniae venerationem, Antistiti Viennensi extincto, non alium illo digniorem, quem sufficeret, judicaret. Quare per

legatum apud summum Pontificem omni ope contendit, uti Canisium vellet, juberet Viennae Pontificem esse: non esse ea tempestate commodiorem, nec iis temporibus opportuniorem, qui improborum hominum omnia contra fidem Romanam molientium conatibus voce, calamo, et virtutum studio possit obniti. Qua de re luculentum in vita Ignatii testimonium Ribadeneira dicit: *Anno, inquit, MDLIII. Ferdinandus Romanorum Rex, Petrum Canisium virum modestiae atque sapientiae laude in nostra Societate praestantem, acremque fidei Catholicae adversus haereticos defenso-rem optavit creari Episcopum Viennensem. Videbat enim cum in ipsa civitate Vienna, tum per universam Austriam haereseon pestem impune grassari, et pastore sanctissimo atque vigilante opus esse, qui a Christi grege luporum passim saevientium rabiem arceret. Cum igitur a Pontifice Julio III. hoc Ferdinandus Rex summis precibus contenderet, Pontifex rem totam ad Ignatium rejecit, ut, si ille probaret, quod Rex petebat, id ipse concederet. Negavit Ignatius id ex usu ac commodo Societatis fieri posse. Adhibitae sunt omnes machinae ad expugnandum illius animum, sed frustra; mansit enim semper in sententia, nec se ab illa ullis rationibus deduci passus est.*

Ejusdem Ferdinandi império Rudimenta doctrinae Christianae Canisius conscripsit, et in lucem, sine sui nominis, quod modestiae causa fecerat, ambitione, auctoritate tamen Caesaris evulgavit

(summam doctrinae Christianae dixit), quae res mire oculos adversariorum torsit, et multo gravius animos vulneravit, cum suas errorum technas, et strophas impietatis, quibus simplici aetati populoque illudere consuerant, aperiri et in lucem prolatas rideri damnarique senserunt. Proinde omnes certatim velut ad unam eandemque metam collineare, et inpetum in saluberrimum Canisii doctrinae Catholicae compendium facere, ac omni vi convellere conari, uti Caesaris impulsu coactus fuerit Canisius opus suum augere, et testimoniis patrum fulcire, et pro prima aetate ex ipsa epitome epitomen concinnare, nomenque suum Catechismo praefigere. Quod ipse Canisius epistola suae catechesi praefixa lectorique inscripta testatur. Sed multo illustrius et amplius est ipsius Ferdinandi Caesaris edictum, Viennae anno priore pro hujus libri auctoritate, et ipso Canisio, et Catholicae pietatis studio propositum, quod hujusmodi Hendecasyllabus commendat.

*Vis cognoscere, Christiane lector,
Quid sincera fides tua exigit, vel
Optet? hunc legito usque et usque librum,
Quem nunc Rex tibi Ferdinandus ipse
Laudavit, tibi quo foret vel ista
Consultum ratione, ne perires.
Quod si verius ipse vis probare,
Edictum poteris videre Regis.*

E D I C T U M

Caesareae Majestatis.

*F*erdinandus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, etc. Marchio Moraviae, etc. Comes Tyrolis, etc. Universis et singulis fidelibus nostris, tam Ecclesiasticis quam Saecularibus, Praelatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Marschalcis, Provinciarum praesidibus, Vicedominis, Praefectis, Burggraviis, Officialibus, Judicibus, Burgimagistris, Consulibus, et Communitatibus, omnibusque aliis et singulis subditis, et fidelibus nostris Provinciarum nostrarum, cujuscunque gradus, status, ordinis, conditionis, et dignitatis extiterint gratiam nostram Caesaream, et omne bonum. Magno cum animi nostri moerore perpendimus et videmus, quibus hodie quantisque motibus et periculis orbis Christianus undique concutiatur; potissimum vero miserandus ille status neglectae adeoque contemptae passim religionis saepe multumque nos et pios omnes decruciat, qua quidem religione, ut nihil est sanctius in terris, ita praeclarius ac firmiter Reipublicae ornamentum, ac robur esse nullum potest. Atque idcirco malarum artium nefarius Artifex, sanctae Ecclesiae bonorumque omnium hostis atrocissimus

Sathan, quantum humano generi praesidiū in vera religione positum sit, minime ignarus, annis ab hinc multis causam religionis passim oppugnat ac perturbat, ita ut majoribus viribus et copiis, frequentioribusque dolis et fraudibus, uno eodemque tempore ipsam antea nunquam oppugnasse videatur. Nec desinit adhuc satellites quosdam et ministros suos, qui editis suis libellis omnia impietatis studia foveant, disseminent, ac propagent, subornare; partim, ut qui a religione orthodoxa semel defecere, in erroribus et sectis, quibus se addixerunt, confirmentur; partim, ut qui etiamnum in tutissimis Ecclesiae Dei castris perdurant, hinc seducti factionum discipuli, et religionis nostrae Catholicae desertores fiant. Inter hos autem libellos, quorum ingens ubique proventus est, non parum virium ad religionem evertendam habent Catechismi (sic enim appellant) qui saepe tum brevitate, tum verborum elegantiae, et methodi specie commendati egregie fallunt, et imperitam illam nobilemque juventutem veritatis sinceritati natam, graviter vitiant, atque corrumpunt. Dum enim ex istorum libellorum lectione, venenum ipsu dulcedine blandum, simplicibus et incautis sumendum praebetur, priusquam id sentiant eorum animi novis et pestiferis opinionibus, quas evellere postea sit difficillimum, depravantur. Unde fit, ut eo doctrinae fermento semel infecti, Catholicae fidei, et sanctae matris Ecclesiae dogmata, et instituta veneranda negligant, fastidiant, atque non-

Studium Fer-
dinandi Im-
peratoris in
tuenda reli-
gione Catho-
lica.

nunquam etiam per contemptum oppugnent. Quae quidem in re, si quid consiliis, monitis, jussis, et edictis publicis Imperatore et Principe Christiano dignis profici potuit. Nos profecto, cum ad ista impietatis studia profliganda, tum ad sacrosanctae religionis nostrae Catholicae jura retinenda, officio nostro minime defuimus. Attamen grassatur in dies magis ac magis haec foeda lues, novique subinde ac novis illecebris infecti prodeunt Catechismi: sparguntur, leguntur, proponuntur in Scholis, majore sane periculo, quam simplices pueri et creduli, improvidique adolescentes, imperitique homines, et plerique omnes istiusmodi praecceptores sentire aut judicare queant. Quod igitur in gravi morbo boni medici, in exorta tempestate fidei naucleri faciunt, a nobis alienum non esse existimavimus, ut praesentissima nobisque ob oculos posita atque prospecta longe gravissima pericula ratione quadam aut depellamus omnino, aut saltem, quoad Deus potentem manum suam admo- verit, mitigemus. Quamobrem matura super his deliberatione habita, fidelibus nobis subjectis populis saluberrimum fore duximus, si in tanta dogmatum et sectarum varietate, catechisticae doctrinae librum, qui Orthodoxus sit, conscribi simul et fidelibus nostris populis evulgari commendari- que unice curaremus. Ad quod Catholicum opus conscribendum, inter alios non dubiae fidei ac doctrinae viros, honorabilem, religiosum, devo- tum, nobis dilectum Petrum Canisium, sacrae

Imperator
laudat Ca-
nisium.

Theologiae Doctorem delegimus, et cum ab eo fuisset conscriptus, aliorum etiam, quos non solum sacrosanctae Theologiae scientiae, verum etiam vitae innocentia et integritate perspicuos esse constat, iudicio et censurae subjecimus: quo certiores essemus, ne auctoritate nostra in lucem quidquam prodiret, quod Evangelicae doctrinae et sanctae Ecclesiae Catholicae ullo modo adversaretur. Posteaquam Dei Opt. Max. gratia factum est, ut commemoratus liber, magno ubique doctorum et procerum quoque Catholicorum applausu exceptus, in varias etiam linguas conversus, saepeque apud exteros recusus, et in Gymnasiis publicis simul ad docendum et discendum propositus fuerit, existimavimus, nos non abs re facturos, si eundem Catechismum ab auctore denuo recognitum, non solum rursus typis evulgari curaremus, verum etiam pro rudiorum captu in quodam compendium redigi juberemus, ac fidelibus nostris populis denuo auctoritate nostra commendaremus. Mandantes idcirco praedictis omnibus et singulis praecipue vero iis, qui nostro nomine et loco juris et Justitiae administrationem in provinciis nostris exercent, et in magistratu constituti sunt, ut hunc Catechismum solum, nullumque alium per Ludimagistros, praeceptores, ac Paedagogos pueris in Scholis publicae aut privatim proponi, praelegi, ediscendumque tradi magno opere curetis, atque omnino efficiatis, quatenus cum vos, tum ipsi gravissimam indignationem

nostram aliasque poenas delinquentibus et hujus edicti nostri contemtoribus pro arbitrio nostro irrogandas volueritis evitare. Haec enim est expressa mens et voluntas nostra. Datum in Civitate nostra Vienna, die X. Mensis Decembris, Anno Domini MDLX. Regnorum nostrorum Romani XXX. aliorum vero XXXIV. Maximus ex hoc Canisii libro fructus in omnem fere orbem redundavit, in omnibus templis, Scholis, Gymnasiis, Academiis juventuti praelecto et tractato, ut omnium fere gentium linguis Canisius coeperit loqui, Germanica, inquam, et Sclavonica, Italica, Gallica, Hispanica, Polonica, Graeca, Bohémica, Britannica, Scotica, Aethiopica, et (ut a domesticis didici) Indica et Japonica, ut omnium prope gentium doctor Canisius potuerit, possitque hodie non inmerito appellari. Quatruplici forma et ratione idem labor prodiit: brevissima, pro minima pueritiae aetate: iconibus etiam expressus, quibus per symbola et emblemata res, quae docentur, adumbrantur; mediocri ad juventutis Scholasticae usum, et pleno volumine, quod doctiores ad stabilienda Romanae Ecclesiae decreta et universam religionis nostrae institutionem adhibeant. Fecit haec fama Canisii, ut omnium aures haereticorum graviter feriret, a quibus Canis Austriacus dictitatus est, quod luporum nempe immanitatem retunderet, et a Christi ovilibus feras omnibus lupis nocentiores procul arceret. Auctoritas porro tanta viri erat, jam Provinciae ab Ignatio praefecti, ut

Canisius omnium prope gentium linguis per Caecchesin suam locutus.

Haereticorum scomata.

illum Societatis auctorem et conditorem vulgo proclamarent, omnibusque modis conarentur innocentiam ejus aliqua criminis infamia aspergere, cumque nihil esset, quod in morbus aut vita possent carpere, ad consuetum mendaciorum asylum confugerunt. Sic enim impius Ecclesiae, et summi illius Praesidis perduellis Joannes Wolfius I. C. in centenario sexto mendaciorum seu lectionum memorabilium ex Atheo Illyrico de nostro Canisio impudentissime fabulatur. *Jesuitarum praecipuus auctor, aut certe instaurator et propagator Canisius est, de cujus sanctitate et castitate multae praeclarae historiae circumferuntur. Inter quas non postremum locum obtinet illa, quae Moguntiae anno 1557 cum Abbatissa cognomento Catella accidit, a qua cum lauto hospitio exceptus esset, postquam poculis exhilarati sunt, ex communi canis cognomine amicitia contracta caninas nuptias celebrarunt. Et fabula tunc in Wormatiensi colloquio fuit toto notissima caelo. Haec supra omnes Moeonidas, Aesopos, Phaedros, fabulosus Illyricus, et mendax Wolfius, qui tamen vere fabulam ait fuisse, notam fabulam inquam, non historiam, cum eo anno Canisius Moguntiam nunquam accesserit, et Viennae Austriae Imperatoris Ferdinandi Ecclesiasten egerit, scripseritque sacram Catechesin. Accedit (ut ex Antistitarum Moguntinarum, Parthenonum seu Virginum sacram syllabis cognovi) nullam unquam Moguntiae in allo coenobio Abbatissam cognomine Catellam*

Canisius Societatis auctor creditus in Germania.

Illyrici fabula de Canisio.

XLVIII DE VITA P. CANISII

fuisse. Immo nec Moguntiae Collegium Societatis Jesu ullum fuit ea tempestate, primumque anno MDLXI. institutum est. Potuit fabula traxisse originem a quadam Hundia, ministra Coenobii, quam subpriorissam vocant, quae oblita suae nobilitatis et religionis, cum vili ministro Coenobii in pistrino nati clam profugit, et Francofurti desertrix votorum, et sacrilega sponsi caelestis Christi proditrix, in haeresi infelicem animam exhalavit. Multo honestius et verius, quamvis non Romanae religionis scriptor Henricus Pantaleon in Prosopographia virorum Illustrium Germaniae de eodem hoc elogium condidit: *Petrus Canisius Noviomagi apud Belgas natus et educatus anno circiter MDXXIV. Hic cum felici ingenio esset praeditus, operam literis dedit, atque imprimis Theologico studio incubuit. Id ut commodius praestaret, Jesuitarum Collegium ingressus, eum ordinem suscepit. Digreditur deinde in origines Societatis, et demum concludit. Cum ergo Petrus in Jesuitarum ordine plurimum profecisset, primo Ingolstadii Professor, postea ab Othone Cardinale ejus Ordinis fautore, Augustae Vindelicorum concionibus Praefectus fuit. Eam vocationem Petrus suscepit, atque tanto Zelo administravit, ut passim omnibus innotesceret. Tanta enim facundia fuit, ut Ferdinando Caesari et Pontifici Romano gratus et aliquoties ab iis vocatus fuerit. Ibi quoque etiamnum in auctoritate existens, a Germanis et exteris nationibus agnoscitur. Anno post receptam per Christum salu-*

In haeretico-
retoria.

Vorum ad-
versarii de
Canisio elo-
gium.

Natus est
anno 1521
non 24.

tem MDLV. B. Ignatius per literas Canisio in mandatis dedit, uti se cum Farnesio legato Pontif. M. ad comitia a Ferdinando rege, Ratisbonam indicta conjungeret, omnemque operam suam illi offerret praestaretque. Nam Carolus Q. M. omnibus imperiis se ultro abdicarat, et filio Philippo regnis omnibus haereditariis Hispaniarum, et quae ad earum ditionem pertinent, cesserat. Ferdinando Rom. regi germano fratri literis ad regulos Germaniae datis, imperium commendarat. Canisius praesto fuit omnibus, sed funera principum conventus morabantur. Interim Canisius provinciam curavit.

Ex literis B. Ignatii a Theodoro Busaco ad me misso.

P R A G A M

sociorum coloniam deducit: Wormatiam a Ferdinando Caesare ad colloquium mittitur.

C a p u t VII.

Ferdinandus Romanorum rex animadversa Canisii doctrina, religione, vita, morumque integritate, ex illo de sociis existimans, quorum virtutem in Viennensis collegii felici et salutari Reipublicae progressu perspexerat, putavit se Bohemorum etiam saluti consulturum, si Pragae collegium conderet, ubi mores populi emendarent, Hussitarum et Wicleffitarum, aliorumque haereticorum furorem retun-

D

derent; sic enim ex tabulis collegii Pragensis a Theophilo Chrysteno rectore ad me missis cognovi. Cum igitur (inquit Henricus Blissemius, tertius ejusdem collegii moderator) *Ferdinandus Bohemiae rex anno Domini 1555. afflictissimum regni Bohemiae statum (maxime quoad religionem Catholicam, usquequaque fere retroactis annis inde profligatam) diligentius perpenderet, eumque reperiret esse ejusmodi, ut nisi brevi adhiberentur opportuna remedia, de pietate Catholica plane actum esset, induxit in animum Pragae societatis Jesu collegium erigere, de qua re proinde non solum ad R. P. Ignatium de Loyla societatis generalem praepositum, sed ad summum Pontificem etiam Julium III. aliquoties et diligenter scripsit, ut aliquot societatis viros in Bohemiam evocaret. Et quam primum juxta pium animi sui desiderium P. Ignatii consensum obtinuit, scholas disposuit, ac habitationes quasdam, quantum fieri potuit, in eo rerum principio, societatis Jesu instituta accommodavit, praesente P. Canisio, qui mox musaeum accersitis literarum doctoribus juventuti aperuit, ipse pro Cathedra populum ad pristinum virtutis cultum, haereticos ad recognoscendam veteris religionis veritatem invitavit. Versati sunt socii primis annis ingenti cum vitae discrimine Pragae (quae caput est Bohemiae) et nisi publicis edictis utriusque Ferdinandi, Patris inquam, imp. et filii Archiducis, patri cognominis, sociis severissime cautum fuisset, ultimum haud dubie periculum ad-*

iissent. Minati enim fuerant se nostros de ponte praecipites acturos, et vero insidias ponebant. Quae de re in annuis collegii Pragensis, anno MDLVI. IV. Cal. Sept. a Petro Silvio Romam perscriptis in haec verba lego, ex quibus simul et primi Praegensis contubernii incolae, et scholarum ratio cognoscuntur: *Collegii nostri admoneo paucos esse vel nullos adversarios, praeter Lutheranos; qui nos timeant, esse plurimos; quippe qui per nos suae sectae auctoritatem minuendam praesagiunt. Jussit nobis indicari Praepositus arcis Pragensis, quosdam Lutheranos nobis moliri insidias adeo, ut non clam fassi sint, se velle nos, cum contingeret pontem transgredi, in flumen praecipitare, et statim aufugere; sed noctu foris non versamur; interdiu vero negotia obedientiae intrepidi obimus. Fuerunt et Doctori Henrico paratae insidiae, et Doctori Tilano, alteri domi, alteri foris; aliquando lapidibus collegium impetitur. Sunt qui et incendium nobis minentur: et quae ibidem sequuntur. Subjicit deinde de Ferdinando Maximiliani imperatoris germano: Archidux Ferdinandus, ut patris nomen sortitus est, ita virtutem imitatur. Publice per praecones proclamari jussit, ne quis huic collegio ulla in re nocere auderet. Nunc profectus est Chiliarcha in Ungariam et a nobis, ut senior coronam, ita et ipse agnum Dei accepit, quem secum tulit. Unice nostris orationibus et sacrificiis se commendans. Qui etiam suggerente Patre Canisio instituit, ut per totam Bohemiam innova-*

Ex P. Petri
Silvii literis,
anno MDLVI.

retur mos meridie pulsandi contra Christi hostes, ac pro Christianae religionis prospero successu, reverenter gratias agens Canisio, qui tam honesta petendo principem Catholicum officii sui admoneret. Effectum est apud eum, ut probatae fidei virum concionatorem haberet in militia, et curaret diebus Veneris in tota Bohemia processionem fieri, et missam de sancta cruce cantari, et moneri populum de poenitentia et pietate. Addit Silvius iudicium populi de Canisio.

Patrem nostrum provincialem Canisium mirae hae regiones aquilonares venerantur, ut non solum Catholici, sed etiam Hussitae et alii haeretici, imo et Judaei illum diligant, quamvis doleant malorum artifices tam multa ejus consilio in universo Germaniae statu fieri, (ut mihi a quibusdam indignantibus dictum est) omnia scilicet ejus consilio fieri etc. Maximum de nobis rumorem spargi apud Germanos, ac praesertim apud Marchionem Brandenburgensem et ducem Saxoniae, retulit nobis D. Marschalcus (a regia majestate defensor nobis constitutus) utinam omnium expectationi satisfacere liceat.

Pericula quotidianae.

Nostrum collegium in civitatis meditullio situm est loco saluberrimo. De persecutionibus breviter et pauca perstrinxi: Fratres tam vivunt securi ex maximis periculis, quasi jam in paradiso agerent. Nec mirum; cum jam altero pede, nempe affectu ibi sint, et effectum esse sperent in dies assidue domi, et extra domum martyrium expectantes;

Nostrum in summis periculis extra periculum.

praesertim cum ad scholas descendunt, ubi probabiliter secundum humanam rationem, nunquam se redituros ad cubiculum, sed potius ad caeleste tabernaculum, sibi persuadere possunt. Haec et his multo plura Silvius. Porro Hussitarum odium in Canisium, quem maxime formidarunt, ostendit monostichon, quod in illum jactarunt:

Hinc procul esto canis: pro nobis excubat Versus in Canisium.
anser.

Cujus hic est intellectus. Allusum est ad historiam veterem et Virgilianum carmen, quo Gallorum ad Capitolium duce Brenno per noctis tenebras grassantium ab ansero, sopitis canibus, proditas insidias canit, simulque in dilogia nominum (*canis*) et (*anseris*) vis posita est: cum per *canem* Canisium, per *anserem* infelicem Hussium sectae suae architectum vellent intelligi. *Huss* enim Bohemis Huss, anser. anserem valet. Ne ergo per subitum populi aut improborum impetum Canisius opprimeretur, dum aulam regis peteret, praesidio principis ducendus ac reducendus fuit. Constitutis jam collegii fundamentis, quamvis rebus in futurum tempus nondum satis compositis, Canisius ad Vangiones Wormatiam a Ferdinando imperatore anno post Christum Disputatio Wormatien-
sis.
Hunc annum
Surius sig-
nat, alii
MDLV. natum MDLVII. cum Nicolao Gaudano missus venit, ubi cum Melanchthone Matthia Flacco Illyrico, Melanchthonis mali corvi malo ovo, Nicolao Ambsdorfio, Nicolao Gallo praecone Reginoburgico, et aliis octo dogmatum paradoxorum procursoribus congressurus. Sed cum haeretici inter se conve-

nire non possent, et Orthodoxorum consensum, vim dicendi, caussae aequitatem ac eruditionem formidarent, alia atque alia caussati, se Wormatia subduxerunt, et hoc tantum effecerunt, uti se scriptis, postea et thesibus ac hypothesibus mutuo lacerarent, praesertim Ambsdorfius et Gallus ab aliis proscripti. Qua de re plura Surius. Canisio tum principes erant partes commissae, uti Catholicorum nomine antagonistis et calamo et ore responderet. Ad quod ipse cum Lovaniensibus magnae auctoritatis viris ac theologis accesserat. Sed, uti dixi, detrectantibus pugnam adversariis, et inter se diglantibus, nulla cum illis decernendi ratio iniri potuit.

Canisius ad suae provinciae munus reversus Wormatia, Coloniam excurrit, et inde rogatu Episcopi Argentinam, Friburgumque Brisgoiae. Mox in Austriam se recepit, et Bohemiam, ut inchoata prioribus annis collegii Pragensis initia prosequeretur. Qua in re nec paucos menses, nec parvos labores posuit, et in summa aede concionibus ad Caesarem, populumque haud parum promovit. Reperi in chartis Canisii Epistolam ad socios Pragenses, in qua de initiis collegii et liberalitate principum multa commemorat, quod ex ipsis literis discas.

**AD PRAGENSE COLLEGIUM
societatis Jesu P. Canisii epistola.**

In Jesu Christo salvet Patres, quotquot Pragae conjuncti degitis, ac in posterum degetis, eodem societatis vinculo colligati, ut meo desiderio atque vocationi vestrae satisficiatis. Ac justa quidem est ratio, ut vos moneam de bonitate divina praedicanda, qua mirabiliter effectum est, ut felicitis memoriae Caesar Catholicus Ferdinandus, idemque Bohemiae rex inclytus hanc vestri collegii sedem posuerit, et per me indignum voluerit aedificari. Precor eundem fontem bonorum omnium, ut quotquot istic agitis, gratis animis agnoscat, saepeque perpendatis istius accepti beneficii magnitudinem nullis verbis explicabilem. Etenim haudquam levis res est, regium fundare et conservare collegium in primaria regni Bohemici urbe, locoque commodo et celebri, sumptibus non parvis exstructum illo tempore, quo Hussitarum, Lutheranorum, aliarumque sectarum vires in Bohemia inmaniter desaevierunt, nihilque minus quam vitam pietatem et Romanam Ecclesiam approbare voluerunt. Peto igitur a vobis obnixè, fratres, ut sive vivam ego, sive moriar, diu autem vivere non possum in hac senili imbecillitate, vos gratam et constantem patronorum et amicorum memoriam intime conservetis, et eorum maxime, quorum praesidio, favore, et studio collegium hoc vestrum prae-

Anstrina familia in societatem studii.

clare inchoatum, et hucusque defensum fuit, quidquid demum adversarii molirentur, qui rerum vestrarum successibus multis modis invidere et hostiliter obstrepere non dubitarunt. Potissimum vero Austriacae domus ac familiae regiae, qua vix ulla hodie in Europa splendet illustrior, memoriam vobis ac posteris valde commendatam habetote, utpote per quam summo Deo visum est, hanc exiguam societatem nostram in Austriam et Bohemiam clementer inducere, et in ea humaniter sustentare, ut novos in messe amplissima operarios exhiberemus, quum noxia zizania electum triticum passim suffocarent. Bene sit Austriacis fundatoribus, quorum excellenti pietati ac perpetuae munificentiae tam multa debemus. Aeternum Christo vivant omnes, qui suis consiliis ac subsidiis hoc vestrum non obscurum seminarium instituere, provehere, atque confirmare difficillimo tempore dignati sunt, ac dignantur etiamnum. Quam ob rem non minus gratitudinis illis vos decet rependere, qui omni sunt exceptione majores ex caelo patroni et amici, fidesque suffragiis res vestras stare hactenus atque durare certissimum habeo. Quare gratiosa et frequens apud vos memoria vigeat divi*) Alberti, primi apud Bohemos apostoli, divi Wenceslai principis ac martyris, divi Clementis patroni vestri apostolici, divi Sigismundi regis Burgundici, ac aliorum quoque Sanctorum, quorum nomina et merita, ut sane justum est, in Pragensi Ecclesia tot saeculis celebrantur et quorum efficaci inter-

*) Adelberti.

cessionem multa vobis vestrisque conatibus divinae gratiae munera, mihi credite, subinde communicantur. Postremo etiam atque etiam rogo, ut quotquot apud D. Clementem habitatis, vocationis vestrae memores, concreditam vobis vineam Bohemicam magni faciatis, vestramque messem illustri loco Pragae sitam indefesso studio pergatis excolere, Christo auxiliante. Vita sit vobis irreprehensibilis, in qua praeclarum luceat specimen sanctae paupertatis, perpetuae continentiae, obedientiaeque religiosae. Peculiariter autem patientiam et caritatem vestram non Catholici modo, sed etiam Catholicorum hostes, falsique fratres re ipsa comperiant, nomen Jesu videlicet per vos magis magisque glorificari. Etenim non solum ad docendum et concionandum, sed etiam ad crucem ferendam et ad bene merendum de omnibus, vos istuc vocatos ac missos esse, nunquam non meminisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille, quem pater noster Ignatius inprimis postulat, vigeat, inquam, zelus fervens animarum, quo praediti ea, quae Christi sunt, sinceris procuretis animis, in hoc diligenter intenti, ut oves errantes ovili suo veroque pastori, quoad ejus fieri potest, in agro Bohemico restituantur. Amen, Amen. Senioremem Canisium, qui primum collegii nostri lapidem jecit, in Christi nomine, vestris et sacrificiis, et precibus Domino commendetis, quaeso.

DE COLLEGII INGOLSTADIANI
INITIIS.

C a p u t VIII.

Expositum est supra, quibus modis Guilielmus Bojorum princeps, Maximiliani hodie rerum in Boica potentis proavus, ab Ignatio felice societatis parente socios impetrarit, et Ingolstadium ad caelestes illic literas tradendas amandarit. Vix illic patres docendi initium fecerant, suaeque vitae, morum ac doctrinae documenta praeclara dare coeperant, cum Guilielmus anno Christi, MDL. vita et principatu per mortem exutus, haeredem ex se patriae reliquit Albertum, qui patris optime coepta persequi non omisit. Sed ut sociis domicilium Ingolstadii collocaret, ab ipso B. Ignatio per epistolam et legatum patres flagitavit, cui religiose et perofficiose in haec verba (juvat enim sancti viri syllabas, nusquam alibi visas, adnumerare) Ignatius respondit.

SERENISSIME PRINCEPS,
et Domine mihi in Christo observandissime.

Epistola B.P.
Ignatii ad
Guilielmum
ducem Bojo-
rum.

*Summa gratia et aeternus amor Domini nostri
Jesu Christi, serenitatem vestram uberrimis dono-*

rum suorum spiritualium exornet augmentis. Simulatque nobis redditae fuerunt, Serenissime Princeps, vestrae serenitatis literae, quibus pro sua benignitate in nostro ponit arbitrio, ut vel ante ferventiores hujus aetatis calores, vel elapsis canicularibus, ante hyemis initium promissum collegium Ingolstädiū ablegem; inito cum fratribus meis consilio statim eos mittendos censui. Gratius enim id serenitati vestrae, et ad majorem Dei gloriam fore, multis rationibus colligentes, postponendam aestus jam satis infesti incommoditatem duximus. Et ut statim ad professionem se accingerent, et summi pontificis benedictionem post pedum oscula acciperent, et iter ingrederentur, curavi. Bonus valde odor ex hac professione in Alma urbe sparsus est, ut referet magnificus D. Henricus Schwicker secretarius Serenitatis vestrae, cui paulo latius de ea re scribo; et (quod majoris momenti est) fructum non minorem, ex novo hoc collegio, velut ex semine proventurum spero. Quamvis enim ministri debiles sint, et eorum satis tenues vires, divina tamen potentia et virtus (unde nostra quantalacunque sufficientia est) ut eis desiderium dat, industriam, laborem, et vitam ipsam impendendi pro sua gloria et animarum salute, ita et gratia sua imbecillitatem ipsorum corroborabit et supplebit. Praeter rectorem M. Thomam Theologum, duo alii sacrae Theologiae Doctores, et ejusdem professores futuri sunt et alii, qui emenso artium curriculo, et magisterii gradum in eis consecuti,

Theologiae dare operam coeperant, alii humaniores literas et graecās, et si opus fuerit, etiam hebraicas profitebuntur. Alii scholastici sunt, qui cum progressum in literis majorem fecerint, communi bono se utiles praestabunt. Magna ex parte ex superiori Germania, vel inferiori, et omnes in fidei Catholicae zelo, et religiosis virtutibus nobis probati sunt. Eos ergo offero vestrae Serenitatis obsequiis, ad Dei gloriam, eo animo, quo me ipsum, si licet per valetudinem, et officii mei necessarias occupationes, offerrem. Eis injunxi, ut quae in articulis continentur, et multo plura pro virili parte (licet sine obligatione) praestare curent. Et mihi persuadeo, quod vestra Serenitas, et ipsius serenissimi successores Collegium suum omni benignitate, gratia et favore, ut scribit, tuebuntur et vovebunt, quamdiu illi Reipublicae se utiles exhibebunt, quam utilitatem non solum non cessaturam esse, sed pro more nostrae societatis in dies magis magisque augendam spero. Quod D. Canisius initiis Collegii Ingolstadiensis intersit, bona cum venia serenissimi Romanorum regis, pergratum nobis fuit, et eidem jam scripsi, ut primo quoque tempore Ingolstadium sese conferat, et ut sollicitus de iis cogitet, quae ad promovendum novum collegium pertinent, praepositum provincialem nostrae societatis in Germania superiori, Bohemia et Austria eum constituo. Aliud non addam, nisi quod me et societatem nostram universam, ut deditissimam vestrae Sere-

ntati offero in Domino nostro Jesu Christo ac precor summam ipsius bonitatem, ut omnibus gratiam suam uberem ad recognoscendam et complendam voluntatem suam sanctissimam dignetur largiri. Romae IX. Junii MDLVI.

Vestrae Serenitatis

*humilis servus in Domino
Ignatius Loyola.*

Haec cygnaea vox B. Parentis nostri paulo ante funus ejusdem est edita (nam altero mense, pridie Cal. Augusti ad societatem coelitem felix abiit) merito posteritatis memoria sempiterna consignanda. Scripsit pridie ejus diei, octavo inquam Junii, ad Henricum Schwickerum, qui Serenissimo Alberto fuit a secretis, quam ipsam quoque epistolam judicavi in publicas literas mittendam, uti fidei memoria custodiretur.

MAGNIFICE DOMINE

mihi in Christo observandissime etc.

Summa gratia et aeternus amor Domini nostri Jesu Christi perpetuo omnes auxilio et favore nos persequatur, Amen.

Quamvis literis Dominationis vestrae. X. Martii ad nos datis nihil tunc respondere potui propter adversam valetudinem meam, et quod parum id videbatur necessarium, cum illae nostris responderent, curavi tamen, ut literae Serenissimi Prin-

cupis summo Pontifici per unum ex nostris fratribus (quem libenter videre solet) redderentur. Sed quia eas non legit coram eo, nihil praeterea fuit, quod rescriberemus, quamvis suo loco et tempore, ut par erat de tam religioso Principe ac Catholicae religionis forti propugnatore, quod sentiebamus, locuti fuerimus. Inter alias autem causas, cur properavimus collegium Ingolstadium mittere, ante fervorem aetatis, illa etiam fuit, ut sinister quidam rumor, qui post Augustanam Diaetam in urbe coepit increbescere, ac suspiciones non vulgarium hominum contrario veritatis experimento statim sopirentur. Qui enim congregationis nostrae homines evocari, collegiumque constitui eis a Serenissimo Principe audiunt, quantum a scopo aberraverint, cum nescio, quae prius suspicarentur, et dictitarent, facile intelligunt. Curavi ergo collegium ipsum ad summum Pontificem deduci, ut dum ejus sanctitati pedes osculantur, et benedictionem apostolicam accipiunt, duo ex nostris, qui eos deducebant, multa ejus beatitudini dixerint de sanctis desideriis Serenissimi Principis Bavariae in propugnanda Catholica religione. Unde et seminarium perpetuum ministrorum, qui sedi apostolicae fideles essent, Ingolstadii constituere decreverat. Quae omnia pergrata fuisse summo Pontifici visa sunt, et multa de iis, qui mittebantur, percontatus, et multis eosdem adhortationibus dimittens eis viaticum dari jussit. Sed cum respondissent nostri, nullo alio viatico, quam be-

LIBER I. CAPUT VIII. LXIII

nedictione suae sanctitatis opus esse, eo quod Serenissimus Dux de viatico pecunias tam liberaliter providisset, multum laetitiae et aedificationis accepisse simul cum circumstantibus est visus. Deducti sunt exinde ad aliquos ex primoribus Cardinalibus salutandos, et pervulgata satis est Ingolstadiensis collegii deductio, cum suavi audientium odore et gloria Dei. Non est, quod addam praeterea, nisi quod novum Collegium caritati vestrae et humanitati commendo, ac precor divinam ac summam bonitatem, ut omnibus gratiam suam affluenter communicet, ut sanctissimam ipsius voluntatem intelligere et perfecte eandem exsequi valeamus. Romae VIII. Junii MDLVI. Ab his tam parvis initiis coepit Ingolstadiana domus, jam in tantum numerum aucta, uti totius Provinciae caput sit, et supra 120. ibidem alantur, qui literas humanas ac divinas partim docent, partim discunt.

R O M A M

ad creandum Generalem proficiscitur, A.C. MDLVIII.
 inde in Poloniam, Germaniam et Augustam Videlicorum.

C a p u t IX.

Anno sexto et quinquagesimo supra MD. pridie Tertio Romanam petit jam praesens Provinciae.
 Cal. Sextiles, Ignatio nostrae gentis conditore, in

LXIV DE VITA P. CANISII

caelum ad praemia laborum evocato, citatis semel iterumque Roman Patribus, et creato societatis praeside Jacobo Layne, Canisius post primos decem Patres inter primos est designatus, qui pro auctoritate caeteros omnes solemniter oratione ad officium rite sufficiens Generalis hortaretur. Tanta omnium de illius cum eloquentia, tum virtutis erat existimatio. Secundum Comitium Patrum, a Paulo Pontifice maximo cum internuntio Pontificio iussus Poloniam adiit, et Cacroviae sacrum Ecclesiae ordinem latina oratione ad officium pietatis et religionis inflammavit. Anno octavo et quinquagesimo supra MD. Carolus V. Maximus, abjectis dudum imperii curis, et in Ferdinandum declinatis, ad sempiterni regni praemia capessenda e vita abiit; cui Ferdinandus uti fratri et imperatori, imperator jam ipse, Augustae Vindelicorum; indicto Principum Germaniae conventu, iuxta funebria iusto regione cultu persolvit. Non defuit et hic Canisii praesentis opera, quam Deo in aede Mariana principe civitatis templo consecravit, quod pridie Cal. Martias Joannes Faber olim a Canisio ornamentis Doctorum theologicis Ingolstadii inauguratus e S. Dominici disciplina, postea Ecclesiastes, ad caeleste praemium operae vocatus, sedem vacuam reliquisset. Cardinali Othoni maximo Principi, amplissimo antistiti Augustano, hujus facti memoria sempiterna debetur, qui impulsu maxime Christophori Freybergii Canonici Augustani, ac postea Decurionis, demumque Praesulis Elwacensis, primus

A. C.
MDLIX.
Canisius Augustanum Ecclesiae cathedram procurat.

Canisium, hoc est, societatis illustre decus in urbem deduxit, victumque et tectum praebuit, quoad domicilium societati conderetur. Grave tamen hoc concionandi munus ordinarium Canisio accidit, quod sociorum per omnem Bohemiam, Austriam, Boicam praefectus, in varias partes animum dividere, saepeque etiam adire coram praesensque visere cogeretur. Imperio tamen Laynis, universae societatis moderatoris, non per paucos annos hoc onus exantlavit, et vero amplissimos laborum fructus tulit. Primum Augustae lamentabilem Catholicae religionis faciem contemplatus, omni ope coepit eniti, ut non solum errores pravorum dogmatum pro sua virili extirparet, sed emendandis morum corruptelis etiam succurreret; omnia enim pestis haereseos pro more suo confuderat. Itaque viros aliquot nobiles, et matronas illustres permovit, ut damnato Luthero sacram Ecclesiae veteris doctrinam toto pectore complecterentur. Quemadmodum ipse de felici progressu laborum suorum hisce verbis ad Marc. Velsorum M. II. viri patrum Antwerpianam perscribit:

Neque minores debemus eidem bonorum auctori gratias, qui hoc sacro Paschatis tempore multorum in pietate progressus, et ad Ecclesiam Catholicam regressus ostendit, ut hinc multi sane admirentur Augustae. Confirmet Deus Opt. Max. quod praeclare coepit in hac ampla messe, quae nobis et piis omnibus magnam adfert consolationem. Fuit inter hos gravissima juxta et nobilissima femina Sibylla Ebersteinia, illustri comitum

Canisii litera
ad M. Velsorum
caelibem
jam caelitem.

Sibylla Fuggera
Lutheram
damnat.

Miraculum
Canisii.

stirpe oriunda, quam Marcus Fuggerus Antonii F. duxerat, et nullis nec ipse vel votis vel precibus nec pater argumentis ad suas partes trahere poterant. Nec ad colloquium unquam Canisium, cujus fama sollicitabatur, admisit, quoad illam Canisii species per quietem divinitus oblata hortaretur, ut ad Catholicorum castra transiret, quae viri aspectu percussa, coepit velle calculum vertere, et cum eo postridie de salutari Catholicorum doctrina conferre. Accersito cum socio Canisio primum accidit, ut socius P. Wendelinus in ejus conspectum veniret, et illa mox ab nocturna, quam viderat, oris figura, negavit, illum esse, quem vidisset. Ubi dein alter cum D. Marco marito est ingressus, mox, *hic est, inquit, quem per somnum aspexi.* Instituta ergo Catholicis fidei elementis, et rationum momentis accuratissime in utramque partem perpensis, postremo manus dedit, et tota mente Deum secuta, ad magnam virtutis laudem profecit. Hoc potissimum sibi gratulata, quod oblatum olim a viro et socero aurum repudiasset, ne Christum ac fidem vendidisse diceretur, aut se occultus aliquis stimulus urgeret de permutata religione. Nunc se adeo libero et securo animo esse, ut ne suspicio aut cogitatio ulla pecuniae acceptae mentem pulset, ex qua re singularem caperet voluptatem, vehementerque in suscepta Catholica doctrina confirmaretur. Verum uti ex hujus nobilissimae matronae studio ac pietate Catholici omnes laetitiam perceperunt, ita generis humani hostis, et natio tota Lutheri mirifi-

ce doluit, tantam e faucibus praedam sibi ereptam esse. Noverat enim hujus unius feminae exemplo totam synagogam suam concussum ac violatum iri. Itaque per omnia conciliabula sua, coetusque ac conventus preces indicere, votaue impia solvere, quo pietatem religiosissimae matronae impedirent. Sed illa simul ac se nostris partibus adjunxit, neque sermones hominum curare, neque convicia in nostros jacta attendere, neque omnino quaerere, quid grex haeticorum mussaret, quin ritu nostro peccata per omnes menses expiare, Eucharistiam frequenter sumere, sacerdotem a confessionibus parentis loco habere, colere, eique ad nutum momenti docentique obtemperare, sacram vestem suis partim manibus ad tegendum et ornandum sanctum Christi corpus, in hierotheca servatum confecit; magnis partim sumptibus comparatam est largita; aedem sacram ornamentis plurimis donisque amplissimis illustravit. Disciplinam domesticam gravem, pudicam, et honestam sanxit; sanctamque constanter observavit, aetatem puellarem ancillarum ad omnem innocentiam singulari cura instituit, statas horas precationibus, certas lanae et lino, aliis occupationibus destinavit; suis copiis egentium inopiam sublevavit; in victum et amictum studiosorum tenuiorum quadraginta aureos quotannis impendit, quas ob virtutes Marcus illam non caram modo habuit, sed venerandam colendamque censuit. Tantam sibi opinionem existimationemque sanctitatis assidua pietate apud maritum peperit. Cum eadem

LXVIII DE VITA P. CANISII

postea anno MDLXXXIX. vitae metam flectere pararet, accersito P. Joanne Volckio, animi medico, petivit carnis vescendae copiam, jam ante a summo Pontifice per literas factam; cum rogaretur, quam ob rem id faceret, cum sibi id licere per Pontificem haud ignoraret? *propter hosce, inquit, liberos meos, ut meminerint olim auctoritatem S. Matris Ecclesiae revereri.* Deinde quidquid habuit auri et argenti, id omne in usus miserorum expendi praecipit, et descripserat per loculos nomina pauperum, singulisque suam sportulam assignarat, pupillis (inquam) et orbis, aegris et familiis egentioribus. Et cum longa, annosaque et molesta podagra vexaretur, omnibusque membris capta gestaretur, eos omnes artuum cruciatus ingenti animo patientissime tulit, ac demum anno Christi MDLXXXIX. Septembri mense, posita mortalitate per patientiam ad immortalem vitam adspiravit. Canisius interim alios quoque viros, feminasque nobiles concionibus et privatis disputationibus permovit, ut impia Lutheri dogmata execrarentur. Idem postea Ursulam Georgii Fuggeri, Raimundo Antonii fratre nati, conjugem ita rerum caelestium amore inflammavit, uti non ipsa sibi tantum consuleret, sed alios viros feminasque illustres ad studium virtutis incitaret. Sic enim de illa in chartis collegii Augustani observatum lego: *Ursula vero exemplum aevi, talia de se documenta pietatis praebebat, ut omnes facile, quibuscum familiarius agebat, ad imitationem pudoris et virtutis inflammaret. Ipsa Marci*

Ursula Fuggera.

et Joannis conjuges nobilissimas, clarissimasque feminas ad salutarem et frequentem conscientiae et peccatorum expiationem induxit; ipsa matres familias ad mensam adhibuit, ut occasio nostris praesentibus de rebus divinis ac caelestibus colloquendi offerretur. Ipsa religionis causa marito jam ad meliorem vitam evocato, Romam profecta martyrum cineres osculata, domumque reversa a morte conjugis, in paternas remigravit possessiones, nata in agro Tyrolensi Bolzani, ex illustri Liechtenbergerorum familia summa prudentia, singulari modestia pudicitiaque femina, quae primam fere Augustae languentem jacentemque pietatem in aliis, Canisii concionibus permota, excitavit. Constat eam ad extremum usque spiritum in pietatis et virtutis studio constantiam coluisse, rebusque mortalibus usam tantum, non abusam fuisse. Haec annales Augustani. Harum incensa pietas, et fructus publicus concionum ac confessionum fecit, ut illustris familia Fuggerorum societatem omni studio complecteretur, et Antonius Fuggerus gentis tum caput, Romam ad Laynem societatis praefectum literas daret, qua sibi de collegio cogitanti ratio nostrae sodalitatis exponeretur. Otho etiam Cardinalis idemque praesul Augustanus, sociorum numerum aucto stipendio frequentavit, ut essent, qui pietatis catholicae rudimenta juventuti explicarent.

COLLEGIUM
Monacense instituitur.

Caput X.

Albertus Bojorum princeps et columnen Germaniae, is, quem supra laudavimus, cum Ingolstadiani collegii felices progressus cerneret, et fructus longe lateque non in Academicos tantum, sed populum universum promanantes audiret, videretque, ratus Monachio, quae regia est Bojorum, aequae opus esse operae societatis, adiit per literas societatis caput, petiitque, ut Monachium quoque Catholicae doctrinae magistri et virtutis doctores mitterentur. Canisius ergo XII. Cal. Decembris, qui dies Virgini Deo in templo consecratae sanctus est, jussu Laynis decem misit, qui sedem in Boica principem occuparent, unde Lutheranorum et luporum rabiem arcerent. Quae res cessit adeo feliciter, uti nunquam nos laboris, alios fructus poenitere possit. Nam adeo pietas civitatis, populique Monacensis intra primum annum exarsit, uti decem primi socii priore anno huc missi accurrenti ad sacra augustaque Christi mysteria multitudini nullo modo possent satisfacere. Quod Serenissimus Albertus animadvertens, datis ad Laynem literis Roma suppeticas evocavit. Juvat ipsius Principis epistolam Augustae in collegii tabulario repertam subjicere.

ALBERTUS DEI GRATIA

Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariae Dux etc.
Admodum R. P. Jacobo Laynes, societatis
Jesu Praeposito generali

SALUTEM AC PERPETUAM CLEMENTIAE AC BENEVOLENTIAE
nostrae promptitudinem.

Satis, ut arbitramur, ex iis nostris literis, quas pro mittendis huc societatis vestrae viris probatis, ante annum fere ad te dedimus, constat, quid de universa instituti vestri ratione nobis persuadeamus, quantumque labenti Christianae Reipublicae commodi exinde unice polliceamur. Nec sane spes nos ista fefellit unquam. Illi enim ipsi de societate vestra nuperius ad nos missi, ita se primo statim aditu composuerunt, ut et vitae sanctimonia, et in docendo mira felicitate alacritate, caeteros suos fratres collegas Ingolstadienses laudabili quadam, et Ecclesiae Catholicae utilissima aemulatione vincere velle viderentur. At nunc jactis bono omnino fundamentis, publicis concionibus, et privatis etiam adhortationibus rem fortius tentant, quassatos vineae Domini muros ita sine intermissione reficiunt, ut furiosus ille aper non modo egregie ab ovibus prohibeatur, sed spes etiam sit, tribulos illos, et zizania erui, extraque muros ejici, et puriorem inde vineam conservari haud difficulter posse. Ex quibus seminariis renascen-

tis primitivae Ecclesiae faciem contueri jam incredibili gaudio gestimus. Quis enim nisi communi totius fere Christiani orbis gravi morbo infectus, non ex animo laetetur, insanam haereticorum pertinaciam summa eruditione, innocentique vita tuorum tandem infringi? Vere igitur et merito tibi gratulamur talium filiorum parenti, in quibus reviviscentis religionis, exstirpandarumque haeresium una firmissima spes constitit. Caeterum in hac nostra laetitia unum est, quo vehementer afficimur. Cum enim vere credentium subinde augescens numerus id efficiat, ut praeter quotidianos in schola docendi labores, plurimum sit in templis quoque declamando, offerendo, et infinitas piorum confessiones audiendo, parumque confirmatos fideliter informando desudandum, valde veremur, ne pauci isti tui operarii tanto oneri diu non sint ferendo. Rogamus igitur clementi studio (quemadmodum etiam superioribus nostris literis a te contendimus), ut occupatissimorum et sub pondere isto collabentium filiorum misertus, plures in hanc copiosissimam messem primo quoque tempore emittas, qui cum illis, qui jam hic sunt, integrum collegium constituent. Cui nos de omnibus rebus necessariis ita providebimus, ut et nostrum in venerabilem istam societatem vestram amorem plane iterum testemur, et sacrosancta Catholica religio domicilium apud nos perpetuum habere possit. Viaticum illis, quos nunc ex tuo contubernio exspectamus, ad Doctoris Canisii consilium

benigne largiemur. Ex Monachio nostro. Quinto Calendas Julii, anno salvatoris nati MDLX. Cognovisti, lector, optimi Principis et germani patris patriae studium erga subjectos, quos non solum civilibus florere ornamentis voluit, sed omnino caelestibus augere bonis, ipsique caelo transcribere conatus est. Didicisti, quo studio pietatis in Deum Dei populus flagrarit, quod non solum hodie in illo non refrixit, sed incaluit magis, in diesque magis ac magis inardescit. Scripsit de hujus collegii felicibus auspiciis a se datis ipse Canisius, extremis vitae annis, in epistola ad socios Monacenses, quam libet adscribere, quod ejus collegii initia planius exponat, et de felici ejus progressu quasi vaticinium quoddam contineat.

CANISIUS
ad collegium Monacense.

Quoties anniversarius dies recurrit, quem praesentatae in templo Virgini Matri dicavit Ecclesia, equidem non possum vestri collegii, fratres, non meminisse, quod eodem die per summi Dei gratiam feliciter est inchoatum. Mihi sane jucundum est meminisse, quod illis initiis atque primitiis adfuerim coram, praesente tunc etiam Patre Nicolao Lanoio primo rectore, cujus venerandi senis gratiosam caramque memoriam multis nominibus retinere debetis. Nec sine voluptate cogito huic collegio inde ab initio fuisse, multumque studuisse

Nicolao Lanoio primo rector collegii Monacensis.

LXXIV DE VITA P. CANISII

Simon Thadaeus Eckius vir laudatissimus ad quem Pii V. Pont. M. litterae exstant anni MDLXVII.

illustrissimum Principem, qui tunc florebat, Dominum Albertum, ejusque cancellarium insignem Dominum, Dominum Simeonem Thadaeum Eckium, Joannis theologi germanum. Per hos ambos, et maxime per D. Suicardum Guilielmo IV. ab intimis secretis, societati addictissimum factum est, ut primi collegae ac veluti columnae ad hoc erigendum opus in urbe Romana expeterentur, ac velut prima domus hujus fundamenta suo loco posita publice apparerent. Proinde summo Deo gratias immortales ago, et a vobis itidem haberi par est, cujus egregio spiritu idem Princeps afflatus, hoc suum et vestrum collegium paterne complectens, haud modicis sumptibus, et variis collatis beneficiis illud sibi curae esse monstravit. Semel igitur ac iterum novas construxit classes sive scholas, in quibus ampla studiosorum turba cum in literis bohicis tum in vera pietate per nostros institueretur. Curavit insuper apud D. Augustinum nostrorum institui conciones, et sacramenta per illos populo administrari, ut societatis nostrae munia Monachiensibus familiaria redderentur. Multum profecto debetis laudatissimo duci Seniori Guilielmo, qui e nostris theologos tres Ingolstadium ex urbe primum accitos clementer excepit. Plus debetis optimo ejus filio et lectissimo, quem dixi Principi Alberto, utriusque collegii nostri, Ingolstadiensis et Monachiensis egregio fundatori. Plurimum vero simul debetis ejusdem Domini Alberti spectatissimo filio, et paternae pieta-

Guilielmus IV.

Albertus V.

tis simulque liberalitatis haeredi, eximioque Maecenati nostro, Domino Guilielmo juniore, qui in rebus vestris augendis et ornandis tot annis tam multa tentavit atque perfecit, ut complures non admirentur modo, verum etiam ingenti ejusdem erga nos munificentia offendi quodammodo videantur; quandoquidem nec suspiciunt, nec agnoscunt, quod sit ingenium, quae vis Christianae caritatis in optimo Principe, quantumque valeat zelus ardens domus Dei in illis, qui Constantinos, Theodosios, Carolos, Henricos, et similes Heroes alios ex animo aemulantur. Sed enim his relictis, quae persequi odiosum est magis quam frugiferum, nostri profecto est muneris proprium, carissimi fratres, ut hos praestantes Catholicorum Principum animos, et conjuncta simul rerum sacrarum studia, raraque beneficia ex Dei spiritu, et amore profecta, persaepe in mentem revocemus, bonorumque omnium fontem Deum in illis, et eorum inclita familia praedicemus, tum nostra vota et studia eo strenue dirigamus, ut sanctis illorum desideriis magis magisque satisfaciamus, ac in primis, ut quacunque ratione possumus, de Bavarica messe excolenda domi ac foris bene mereamur. Siquidem qui tantos heroes, nobis adeo clementes ac propitios experimur, modis omnibus procurare debemus, ut in officiis nostris ac spiritualibus rebus in ipsorum agro seminandis nullum aut modum aut finem faciamus. Ego certe, ut hoc obiter addam, clementissimo Deo gratias ago,

Guilielmus
V.

LXXVI DE VITA P. CANISII

qui me, ante inchoatum vestrum collegium, indignum precantem singulari consolatione perfudit, et gratiose promisit, rerum nostrarum successum fore felicem. Hunc exitus postea comprobavit. Dictus princeps Albertus viva voce simul et scripto testatus est, cum affirmaret, societatem Jesu in Bavaria sua ad fidem Catholicam restaurandam ac promovendam plurimum contulisse. Norunt et alii sapientes, publiceque fatentur, post nostrorum adventum, divinum culium in Bavaria passim reslorescere, ecclesiastica Sacramenta saepius ac religiosius excitari, religionem novam obsolescere, veterem vero magis magisque confirmari, poenitentiae et caritatis opera studiosius coli, majorem bonorum studiorum curam in scholis haberi, rectiusque passim juventutem Bavaricam in fide et pietate Catholica provehi. Haec ego citra ullam arrogantiam scripta sic dici et accipi velim, soli ut Deo et veritati suus constet locus, et gloria debita tribuatur, utque magis fidum aliorum probatorum hominum testimonium comprobetur. Benedictus bonorum auctor Deus, quod ego senex jamque inter nostros omnes senior factus, non modo videam, sed quodammodo gustem praesentes dulcesque fructus, vestrarum manuum, quos quotannis ex Monachiensi horto collectos depromitis, et compluribus fidelibus vere salutare esse monstratis. Confirmet in vobis, quod coepit Princeps benefactorum Christus, ac proprium societatis nostrae spiritum in visceribus vestris augeat, ut non vestram quidem utilitatem,

Dens felicem
successum
collegii Mo-
nachensis Ca-
nisi promit-
tit.

sed communem Bavarorum salutem, ac profectum animarum, praesertim in clero populoque Monachiensi promovere pergatis. Quanto autem clementiores ac munificentiores erga vos habetis Principes, tanto majorem illorum meritis, eorumque praeclarae ditioni gratitudinem per vos exhiberi congruit, ita ut Bavarorum animus in fide et virtute provehendis nihil antepositis, divinae gloriae propagandae sedulo inservientes. Caritatis legem auream Christus vobis eximi commendavit, sed et Paulus frequenter inculcavit; hanc ipsam Monachii, et in reliqua Bavaria sic porro excolite, ut juvante Deo multorum animas magis magisque lucrificatiis, ac simul oves errantes ad suum reducatis ovile. De me hoc unum reticere non possum, et valde vobis commendatum cupio, ut quamdiu novum collegium ac templum D. Michaeli sacrum durabit, senioris Canisii vestri non obliviscamini talemque primum sive fabrum, sive architectum vestris sacrificiis et precibus Domino commendatis. Ipsi laus et gloria sempiterna. Haec Canisius. Quid diceret idem, si coram spectaret hodie, quae nos oculis quotidie usurpamus? tam angustum in civitate templum, cui nescio, Templum S. Michaelis Archangeli. utrum in omni orbe par habeat societas nostra, tam frequentem populi concionem, tot millia ad pedes sacerdotum peccata gementium accidentes, tam amplum et regium collegium, tam nobile Museum, quod a mille admodum aut supra auditoribus frequentatur? Gratularetur Deo tam uberes laborum

LXXVIII DE VITA P. CANISII

fructus, et vero jam hoc ipso nomine praesens apud Superos cum familiae nostrae capite Ignatio, numinis celebrat benignitatem. Hanc sementem primo et altero ab adventu suo anno Canisius intra breve tempus fecit, quae in tam laetam postea segetem excrevit, ut amplioribus templorum spatiis fuerit opus: quae tamen ipsa, quamvis ampla saepe frequentiam non capiunt. Anno proximo, qui fuit a Christo nato MDLX. altera Colonia Oenipontem est ab eodem Canisio deducta, uti mox infra ponetur.

COLLEGI

Oenipontani initia; Augustae res sociorum.

Oenipons
olim Oeni-
briga regia
Tyrolis.

C a p u t XI.

Nunquam sterilis est virtus, praesertim cum eruditionis laude conjuncta. Ferdinandus imperator, cognita jam sociorum industria, ubique suorum saluti consulturus, quinque regias virgines ex se natas Oeniponte educari curabat. His a Canisio formatores animarum flagitavit, nec liberis duntaxat suis, sed oppido toti, et genti salutem allaturus Canisium evocavit, ut locum collegio designando circumspiceret, velle se etiam Tyrolensibus, ne quid detrimenti caperent, imo plurimum adju-

Quinque re-
giae virgines
Ferdinandi
imperat. filias
commendan-
tar Canisio.

menti providere. Canisius ad Caesarem subito ad-
volavit, quod nosset occasionem fronte capillatam,
nisi mox prenderetur, facile elabi. Cum Caesare
de sociorum domicilio tractat; sumptus annui assign-
nantur; domus curatur. Reginae a cunabulis reli-
giosissime eductae, et ad cultum animi, vitaeque
innocentiam natae, ubi semel suam conscientiae
fidem Canisio commiserunt, nunquam a societate
descivere, de quibus infra copiosius erit dicendum,
nisi forte singulari volumine illarum virtus depin-
genda sit. Scripsit de his et Oenipontanae sedis
exordiis progressuque Canisius ipse epistolam ad
verbum a me subscriptam.

AD COLLEGIUM OENIPONTANUM.

*Postremas ad vos daturus, carissimi fratres, a
prophético illo dicto ordiar. Non nobis Domine,
non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Hoc enim
nomen fortis et inexpugnabilis arx est; loquor
autem de singulari beneficio vobis divinitus prae-
stito, quando Catholicus perpetuo princeps et valde
laudatus, Ferdinandus Austriacus non modo Vien-
nense et Pragense, sed vestrum etiam Oeniponti
collegium pro sua singulari pietate fundavit, con-
struxit atque ditavit. Ad eam rem conficiendam,
ego licet indignus, non nihil contuli, cum ejusdem
Caesaris essem aliquando concionator, sed et co-
adjutor meus et collega fuit R. P. Nicolaus La-*
noius, qui mecum ad locum collegii deligendum

Nicolaus
Lanoius pri-
mus collegii
Oenipontani
rector.

atque constituendum istuc profectus est. Quod institutum sane multum auxerunt illustres reginae praedicti Caesaris filiae, quae tum Oeniponti magna cum pietatis, pudicitiae et virtutis laude florebant. Nec solum suo parente, sed et germano fratri archiduci Ferdinando animos addiderunt, ut coeptum hoc opus, quod bonis concionatoribus non caruit, magis magisque stabiliretur. Aeternum Christo vivant Margareta, Helena et Magdalena sorores simul et reginae ex voto virgines pudicissimae nostroque saeculo rarissimae Principes, quarum beneficentiae non Halense modo, sed vestrum quoque collegium permultum sane debet. Proinde vestram admono caritatem, ut bene precemini huic eximiae, regiaeque Austriacorum familiae, quae domum vobis non modicis sumptibus aedificavit, et hortum commodum adjunxit, nihilque deesse sustinuit, quod ad utrumque Tyrolense collegium et templum vobis promovendum conservandumque pertinet. Excolite porro, ut coepistis, messem Tyrolensem, ac in ea cum prospera Domini benedictione pergite laborare. Commendo vobis, quoad possum, debitae gratitudinis officium, quod non solum supradictis fundatoribus Austriacis, verum etiam aliis quoque patronis et amicis, quos Christus non paucos tribuit, sedulo et feliciter exhibere debeatis. Egregium vobis patet ostium ad multos nobiles et ignobiles, ad magnos et parvos utriusque sexus homines Christo lucrificandos, atque in omni pietatis et virtutis studio, magis

magisque confirmandos. Igitur paratam vobis messem, eamque uberem libenter amate et provehite apud Tyrolenses, nec verbo solum, sed etiam exemplo ad majora aemulanda charismata multorum informate animos, quemadmodum Christus Dominus messis et societatis nostrae institutum, justaque amicorum exspectatio sancta a vobis exigunt et deposcunt. Mihi vero jam emerito velut seni, ac inutili operario haud parum beneficii contuleritis, fratres, si Canisii vestri senioris memoriam vestris et sacrificiis et precibus, quae vestra est in me benevolentia, crebro interposueritis illud, ut spero, procuraturi, ut vivi et defuncti primi patris apud vos memoria non intermoriatur. Bene in Christo valete patres fratresque carissimi ac eam praeclaræ vestrae vocationis rationem semper habete, ut professione pauperes, obedientia simplices, spiritu ferventes, et animarum zelo flagentes multos in Christo filios generetis ac nutriatis.

Canisius, antequam Oenipontem accederet, Viennaë Caesarem convenit; inde Pragam, Praga demum in Tyrolim profectus, quod ex literis ad M. Welserum Patricium Augustanum caelibem accepi, quem ideo suam Sunamitidem vocitabat Canisias, quod saepe ad illum diverteret, et paratum ibidem, ut Helisaeus apud Sunamitidem, coenaculum et oratorium haberet. Interea temporis Augustae nostri paulatim in cognitionem populi venire, aures praebere suas noxas accusantibus, Eucha-

LXXXII DE VITA P. CANISII

Sociorum
utilis opera
Augustae.

ristiam propinare, pueritiam praeceptis Christianis informare, lites componere, ad aegros visere, aliaque societatis munia dies noctesque fungi, quae mirifice bonos omnes nobis ad invidiam etiam quorundam, qui se desertos quiritabantur, devinxerunt. Nobilissimi quique cives maxime sociis studebant, praesertim illustres Fuggerorum familiae omnes, et patriciorum Republicae principum, quos nondum impius Lutherus transversos egerat, qui nihil magis in optatis habebant, quam ut e vestigio sociis templum et domicilium, auditoribus Museum condere-tur. quae tamen res tam cito confici minime potuit. Delectarunt hi labores Pium IV. Pont. Max. Cui fructus operae Canisii exposuit Cardinalis Otho, a quo incitatus Pontifex his illi gratulatus est, et simul ad continuandos labores cohortatus.

PIUS PP. IV.

Litterae Pon-
tificis ad Ca-
nisium.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures nostras, dilecto filio nostro Othone Cardinale Augustano referente, pervenit; quo studio, qua diligentia, qua caritate des istic operam, ut quam plurimos eorum, qui haereticorum fraudibus decepti, a recta religione aberrarunt, in salutis viam reducas, quantum etiam superna cooperante gratia proficias. Magnae nobis consolationi fuit tam optatus nuntius. Agimus omnipotenti gratias, qui pro sua misericordia tam multos jam, sicut audivimus, per ministerium

LIBER I. CAPUT XI. LXXXIII

praedicationis tuae in Ecclesiam Catholicam revocavit. Insta fili, ut coepisti, et enitere, ut quam maximum animarum lucrum facias. Urge tam piam, tam sanctam negotiationem. Noli defatigari in tam sancto opere sedulitatis tuae ab eo, cui famularis, id praemium laturus, quod bonis et fidelibus servis suis promisit. Si quid vero a nobis desideras, quod conferre aliquid posse credas ad animarum salutem, libenti animo, quid, quid postulaveris, concedemus. Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris die V. Martii MDLXI. Pontificatus nostri anno II.

Antonius Florebellus
Javellinus.

ACADEMIA DILINGANA CONDITUR.

C a p u t XII.

Otho Cardinalis, idemque antistes Augustanus gregis sui, in quem circumquaque rabies luporum haereticorum immanissime grassabatur, vigilantissimus custos, ut haberet, qui se pro ovilibus Christi opponeret, anno Christi MDXLIX contubernium juvenum, qui ad ordinem ecclesiasticum adspirabant, Dilingae instituit, quibus M. Petrum Endavianum praefecit, doctoresque sacrarum literarum

F*

LXXXIV DE VITA P. CANISII

accersivit, qui Cardinalis clientes ad bonas artes, et sacram Theologiae disciplinam informarent. Fuit inter primos Petrus de Soto ex Hispania ad Carolum V. (cujus conscientiam tractabat) profectus e S. Dominici familia, vir ingenio et literis clarus. Quod cum Suevorum nobilitas adverteret, gratulata sibi, petiit ab Othone, uti suis quoque liberis locum daret in domicilio alumnorum, quibuscum una possent literis erudiri. Quorum postulatis libens volens annuit Cardinalis, animumque simul adjecit ad Academiam excitandam, eaque de re literas ad Pontificem Maximum, et Carolum V. atque Ferdinandum dedit, qui omnes et Cardinalis praeclara coepta laudaverunt, et jura sua atque praerogativas studiosis literarum concesserunt.

Anno MDLI. Petrus Sotus collegam suum P. Jacobum, permittente magis, quam jubente Cardinale, misit in Hispaniam ad delectum doctorum virorum e sua sodalitate habendum, et professores Dilingam adducendos, quod speraret ab Othone conditum iri S. Dominico Coenobium, cujus ditioni subjiceret Academiam; sed res tota parum feliciter Soto successit. Ex tribus enim illis Patribus ex Hispania profectis, duo in itinere diem suum obiire. Genuae alter, alter Oeniponte, tertius extremo anni mense Dilingam ingressus, ineunte sequentis, vita simul et urbe egressus caelum petiit. Impetratis Otho a summo Pontifice et imperatori Academiae condendae jure et legibus, primum illic rectorem illius ipso die sanctae trinitatis dixit Cor-

LIBER I. CAPUT XII. LXXXV

nelum **Harlemium Rosenthalum**, quem ipse **Otho**
 ex Pontificis auctoritate Academicis honoribus ac
 titulis insignivit. Anno inde quinto supra 1550.
 laurea prima studiosi Philosophiae ornati sunt, eo-
 demque extremo Magisterii suprema. Proxime se-
 cuto **Musei Academici** fundamentum **Otho** posuit.
 Excitatum inde domicilium et **Academiam** tenuere
Doctores exteri usque ad annum **MDLXIII**. Inter
 quos principes fuere **Petrus**, ut dixi, **Sotus**; **Mar-**
tinus Olavius Theologus **Lutetianus**, **Carolo V.**
 imperatori a **Sacellis**, qui societati postea nomen
 dedit; **Martinus Bithovius Lovaniensis** episcopus
 demum apud **Iprenses**; **Guilielmus Damasus Linda-**
mus ex eadem **Academia Lovaniensi Dilingam** pro-
 fectus, atque inde ad **Sicambros**, ut **Ruremundæ**
Episcopum apud **Geldros** ageret; **Matthæus Gale-**
nus Westcapellus e **Seelandia**, tandem supremus
Duaci professor; **I. Bartholomæus Kleindienst** e
S. Dominici sodalitate, **Cornelius Harlemius** sa-
 crarum literarum interpres. **Magistri** duo **Adrianus**
Besenmerius Belga, et **Kilianus Blanckenstanus**.
 Sed cum amplissimus **Cardinalis** plura majoraque
 animo concepisset, decrevit e societate nostra
Doctores evocare, quod uti mox exponam, ita
 factum est.

Cornelius
 Harlemius
 primus Di-
 lingae rector
 Academiae.

Professores
 Dilingani an-
 te Soc. ad-
 ventam.

Martinus
 Olavius

Martinus Ri-
 thovius.
 Guilielmus
 Damasus.

Matthæus
 Galenus.

Bartholo-
 mæus Klein-
 dienst.
 Cornelius
 Harlemius.
 Adrianus Be-
 senmerius.
 Kilianus
 Blanckensta-
 nus.

ACADEMIA

Dilingana societati tota transcribitur

C a p u t XIII.

Anno Christi MDLXIII. idem Otho Cardinali optimus M. societatis patronus et singularis Canis admirator, cognito jam ante deplorato suæ Provinciae statu, quam omni ex parte laborantem videbat Academiam Dilingae a fundamentis excitatam per Canisium societati assignavit, cui Dilingae domicilium erexit, uti nobilissima Sueviae juvenus ac honestos mores informaretur, optimisque literarum disciplinis imbueretur, unde et Magistratus idone ad oppida regenda prodirent, et paroeci atque Ecclesiastae ad rem divinam sancte pieque administrandam educerentur. Ea enim rerum erat facies ut intuenti lacrymas cieret et intimo doloris sensu miserantem percelleret, quod ex literis Stephani Liberii anno Christi quarto et sexagesimo post millesimum quingentesimum, secundum Dioeceseoillustrationem, datis cognosci potest, quarum hoc fere caput est: Se per Cardinalem Othonem cui aliis duobus magnae auctoritatis viris ad obeundam Sueviam designatum, venisse primum ad Fridericum comitem Oetinganum, virum illustrem et unicur-

Ex literis
Stephani Liberii.

gentis suae praesidium (qui maxime urserat Cardinalem, ut rebus afflictis consultum iret) ab hoc, quo loco res divinae, religionis cultus, vitae morumque disciplina versaretur, didicisse, et maximam se ad commiserationem permotum, rebusque adeo perditis et afflictis non immerito impulsam Cardinalem, ut Rhaetis, Suevis et Algois, quos suae ditionis esse intelligebat, provideret, et suppetias a crescentis Societatis patribus flagitaret, Museum nobilissimum conderet, lectissimae juventuti idoneos in omni genere literarum, quae a religionis sanctitate non abhorrent, doctores praeficeret. Quibus a Laynesio Societatis praeside impetratis, et a Canisio eo deductis, novale excolendum commisit, ex quo tam uberes, ex Academia, templo, et contubernio convictorum fructus exstiterent, uti neque nos laboris, neque juventutem docilitatis, neque Pontificem vel Augustanum, vel ipsum Romanum poenitere debeat aut possit, qui alendis hoc loci in spem Ecclesiae juvenibus magnam anniversariae pecuniae vim contulit, hodieque confert, unde in totam Dioecesim et provinciam paroeci, Ecclesiastae, Doctores et Magistri haud pauci proficiscuntur.

Canisius postquam Dilingam venit, et ad Academicos die S. Hieronymo sacro latine dixit, secuti Canisium XIII. Cal. Novemb. qui fuit vigesimus Octobris, Professores primum XVI. mox quatuor, ut essent XX. quibus Hieronymus Natalis post lustratas Gallias et Germanias, ad victum,

LXXXVIII DE VITA P. CANISII

cultum et locum necessaria praesens cum Canisio comparavit. Illi Dilingam ingressi pridie S. Ursulae sub vesperis, postridie comparuere omnes ad solenne sacrum. Proximo post D. Ursulae die ab omnibus Magistris, cunctis obstupescantibus, qui Socios vix de via respirasse putarant, initium docendi factum. Ex Doctoribus Societatis primus fuit Hieronymus Torrensis Hispanus, suis ipse laborum monumentis clarus, Collegii prorektor Joannes Covillonius, idemque latinus Ecclesiastes. Anno deinceps 1564. XVI. Kal. Septemb. Otho Cardinalis praesentibus tribus Coenobiarchis, rem divinam ab initiatore Augustano jussit fieri, secundum quam actae sunt a Societatis professore, Cornelio Harlemio gratiae, qui ad eum usque diem Academiam cum summa laude Rector administrarat. Vicissim Harlemius plurimum se Cardinali debere professus, a quo tot honoribus auctus, tot beneficiis esset cultus. Gratulari etiam sibi, quod magnis negotiorum oneribus positus, et in Patres translatis, posset aliquantulum respirare. Proinde se omnia honoris insignia, epomidem, signum, sceptrumque ei reddere, a quo ea accepisset, quae simul Cardinalis Canisio Sociorum praefecto, loco totius Societatis commisit. Canisius de Communi consilio Henrico Dionysio Theologo Societatis et Canisii ex Sorore nepoti contulit, cui Cardinalis eum honorem cum fausta imprecatione gratulatus est. Harlemius Academiae gubernator pronuntiat. Sed Dionysius in valetudine tentatus, anno

LIBER I. CAPUT XIII. LXXXIX

proximo Coloniam rediit, vir omnium opinione sanctus, cui suffectus Theodoricus Canisius eodem patre cum Petro, sed diversa matre natus, qui viginti annos Dilinganae Academiae magno iuventutis fructu praefuit. Erit operae hic ex literis fundati Collegii Dilingani partem transcribere, unde constet, Othonis studium, et de Societate, praesertim Petro Canisio, existimatio, qua impulsus deponendo Collegio curam suscepit.

EXCERPTA EX LITERIS

Foundationis Collegii Societatis Jesu
Dilingae, Anno 1569 per Cardinalem
Othonem Truchsessium.

Deo inspirante, et suadente etiam R. P. Petro de Soto Magistro a Theologia, Ordinis S. Dominici, viro vere venerando et docto, qui fuit S. C. M. Caroli V. Confessor, et petita acceptaque facultate, cum Dilingam venisset, in erectione Collegii et universitatis hujus sua opera, consilio et auctoritate multum juvit, sine quo nunquam potuisset tantum opus inchoari, et eo usque produci, veni tandem in hanc sententiam, nulla stabiliori atque utiliori via, etiam in perpetuum, hujusmodi difficultatibus occurri atque prospici posse, quam si novum aliud Collegium, quod Patrum Societatis Jesu Dilingae cum necessariis redditibus, erigetur, dotaretur, atque Patribus, tanquam his nostris temporibus, ad munus docendi, et mores pios

atque Christianos instituendi singulariter a Deo dotatis tota cura, superintendentia, institutio atque regimen aliud novum, et Convictorum Collegii S. Hieronymi, et totius Universitatis libere et integre committeretur. Ad hoc etiam faciendum plurimum animum moverunt diuturna cognitio, ac consuetudo et experientia, quam habui cum multis patribus ejusdem Societatis, videlicet Dilingae, ante et post erectionem hujus Collegii, cum R. docto, atque nunquam satis laudato viro Claudio Jajo, qui mecum plures annos habitavit, nec non cum eximia pietatis ac doctrinae viro, Domino Petro Canisio, qui in Civitate et dioecesi mea Augustana incredibilem fructum in convertendis haereticis, stabiliendis Catholicis, et aliis nunquam satis admirandis et probandis operibus, continue, indefesse et laudabiliter longo tempore peregit. Similiter non solum in Germania, sed etiam in Italia, et ubique locorum, ubi domicilium, habitationem, Collegia seu auctoritatem dicti. Patres Societatis Jesu habuerunt, vidi innumeros incredibiles bonos fructus. Haec Otho Cardinalis. Instruarunt etiam contubernium juventutis, praestantes aliqui virtute juvenes, inter quos fuit, jam in censu beatorum, Stanislaus Kostka illustri Kostkarum in Polonia stirpe oriundus, qui Viennae inter nobiles adolescentes apud nostros literis operam dabat, et divino afflatus spiritu, omni ope in Societatis Jesu disciplina vitam transigere cupiebat. Sed domesticorum veritus offensam et moli-

tiones, si animum illis aperiret, delicato vestis cultu, cum abjecta pauperis lacerna permutato, Angustam Vindelicorum ad Canisium acceptis P. Francisci Antonii commendatitiis profugit, multa divinae clementiae in se per illud iter expertus argumenta, a Franzisco Sacchino diligenter in libro de rebus a Stanislao gestis exposita, ubi de adventu ejus ad Canisium, et Canisio in haec verba refert: *Demum ab longa peregrinatione sospes ad Canisium pervenit. Ubi ille vir sapiens ac sanctus, Germaniaeque Apostolus, ex ordine causam vitae cognovit, viditque ardorem, et submissionem, quibus peregrinus pro impetranda Societate certabat, vehementer indolem et vocationem probavit; praeterquam quod et tantum exhaustum laborum et emicans in vultu pietas, et verba nescio quid ultra annos et humanam imbecillitatem spirantia, fidem perspicue faciebant sortis ejus adolescentem ab sancto spiritu agi. Itaque bonam ostentat spem; interim tamen sive ut amplius de virtute ejus periculum faceret, sive ut specularetur, numquid propinqui moverent, tantisper Dilingae humiles vulgo labores suscipere, et servilia tractare opera, Convictorum in aedibus jubet. Haec nobilem hospitem hospitalis humanitas, haec fatigatum viatorem requies excepit. Quod equidem non arbitror absque singulari quodam consilio et benignitate Numinis accidisse, novam famulo suo virtutis exercendae materiam suggerentis. Nam quid attinebat adeo perspectam amplius probare*

*constantiam? Et ad propinquorum specularios motus haberi hospitis nomine aliquandiu poterat. Deus igitur eam Canisio prudentissimo viro minimeque austero mentem injecit, ut suo fideli operario in brevi consummando facultatem offerret explendi tempora multa, et cui exiguum laboris horam, sed mercedem destinarat amplissimam, ei merita et decora quasi per compendia praepararet. Sane Stanislaus, qui jam vilem induerat habitum eum sequuturus, qui, cum dominus esset omnium, servi formam assumpsit, vehementer gavisus est, re quoque et actione ejusdem se insignibus decorari. Sic est ferme nobilitas, ubique se effert. Quidquid obeundum est, obit splendide. At Stanislai humilia inter munia haud nativa solum generositas, sed multo clarius vera eminebat indoles Christianae, id est, divinae nobilitatis. Non ille solum nihil dedignabatur sive ad mensam sive in caeteris quotidiani usus officiis sese inferioribus ministrare, sed tanta id cura, studio, veneratione faciebat, plane ut ostenderet, Deo se magis quam hominibus servire, nec mercenariam exhibere operam, nec crescendi ex abjectione ambire causam, sed esse officiosissimum humilitatis sanctae candidatum. Ita demum se gessit, ut brevi in se omnium converteret oculos, nec solum mire Patribus in vocatione constantiam, et fidelitatem in ministerio probaret suam, verum etiam magnam de se concitaret expectationem, uti Canisius ad Generalem Praepositum scribit: **Potest Dilingana nobili-***

tas non injuria tam sancto hospite gloriari, qui tam illustria virtutis exempla, in illa domo reliquit impressa. Moratur apud nos Illmus. et Rmus. Episcopus Posnaniensis, Andreas Bninius Opalinus, qui primus Romae Stanislai iconem annuente Pontifice Maximo Paulo V. in nostra aede publice colendam proposuit, de qua re plura Franziscus Sacchinus in vita Stanislai. Fuit in eodem Convictorum domicilio summo loco natus Baptista de Prado, qui non sine caelesti B. Virginis aspectu et comitatu ad caelum est deductus; fuere complures alii nobilissimi adolescentes, quos posteritas commendabit; nos ad institutam narrationem redeamus.

VARIÏ LABORES CANISIÏ.

C a p u t XIV.

Dilingano Collegio constituto, et Henrico Dionysio publica auctoritate in Rectorem Academiae primum solemnî ritu creato, Canisius Augustam revertit, et populo pro concione docendo, civibusque privatis congressibus ad virtutem excitandis, Sociis per Provinciam pro more Societatis visendis, assiduam operam impendit. Ex Guilielmi Elderini literis ad Laynem Societatis totius moderatorem anno Christi MDLXIV: Romam datis disco, Labores Canisii Augustae. quantis idem Canisius laboribus fuerit Augustae

XCIV · DE VITA P. CANISII

oppressus. Sic enim ille: *Neque sine fructu redit verbum Dei in aede hac Primaria per Patrem Provincialem pluribus Praedicatum. Accesserunt octo fere conciones, et hae quotidianae de sacrosancta Eucharistia, cui sacramento populus Augustanus reverentiam nunc tribuit singularem, ut multi mirentur. Idem Pater Canisius pro sui muneris ratione, his mensibus vicina invisit Collegia, cum sua quidem et fratrum haud vulgari consolatione, exceptis interim omnium in confessione peccatis, rebusque Collegiorum legitime constitutis. Cum autem in visitatione Oeniponti esset, exhortationem ad Serenissimas Reginas gratam habuit, quae duabus, ut vocant, casulis eleganter et sumptuose confectis altare nostrum Augustanum ornare voverunt. Praetermitto alias et pene quotidianas Patris occupationes, quibus illum assidue distrahi magnis in rebus cernimus. Nec commemorabo Rmum. Cardinalem nostrum Augustanum, qui Patris Canisii consiliis saepe et libenter utitur, ut nuper voluit Patrem adesse, cum totius Gymnasii Dilingensis administrandi curam in Societatem hanc, neque sine solemnibus quodam actu transferret. Ubi pater D. Henricum Dionysium Rectorem ejusdem Gymnasii pronuntiare, et Rectoralibus illis insignibus ornare in magna hominum corona debuit, addita simul oratione publica. Ingenue fatentur boni omnes hic in Germania, sicut et alibi, ubi religionis afflicta causa jacet, per nostros magnum Ecclesiae Catholicae praesidium adferri,*

Reginae Ferdinandi Caesaris Aliae quinque.

ac Catholicorum reliquias in officio, quantum fieri potest, maxime contineri.

Canisio igitur sudanti, et saepius a Principibus viris evocato, aut Provinciae lustrandae operam danti, suppetiatum venire Martinus Steuardianus Alberto Bojorum Duci a Concionibus, quocum aegre careret, eo revocato Hermes Halbaur Augustae Cathedram, absente Canisio, procuravit. Tam laetos Canisii et Sociorum in Germania successus hostis publicae salutis, infernus Draco aegre ferens, coepit virus calumniarum per suos administratos, famosos, inquam, libellos, et picturas infames in nos passim spargere, quibus collectam ex laboribus et virtutis laude famam inquinaret. Portentosa nobis crimina objecta, ingentia mendaciorum plaustra aedificata, schedae ad postes aedium nostrarum fixae, Monachii, Augustae, Viennae vita Sociorum traducta. Sed ut vanitatis nulla vis est, et mendacia temere ficta, stultius credita, repente nata, subito inflata ventosae ritu bullae crepant conciduntque; ita rebus per Albertum Bojorum Principem et alios diligenter excussis, et auctoribus figmentorum deprehensis punitisque, innocentia Sociorum publicis literis principum virorum contestata re floruit, et sinistra omnia ex fumo mendaciorum profecta, ut hodie solent, in fumum abierunt. Anno 1564 Canisius ab Stanislao Hosio Cardinale Smo. Braunsbergam evocatus est, ut ibidem Collegii fundamenta poneret. Id quod in Augustani Collegii monumentis legi, Canisium, in-

quam, ab Hosio petitem, quem Ribadeneira non exprimit, sed rem ita narrat: *Apud Sarmatas quoque, qui Poloni hodie nominantur, in ipsis Boreae terris frigore damnatis, Stanislaus Hosius, vir ob singularem sapientiam, eloquentiamque cum pietatis studio conjunctam, ex Variensi Episcopo Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, per haec tempora Tridentino Concilio, non solum interfuit, sed et Pii Quarti Pontificis nomine praesuit. Is captus Laynis et Salmeronis Sociorum ingenti studio, ob perspectam Tridentina in Synodo singularem utriusque doctrinam, dimisso Conventu domum reversus, in sequenti anno nihil duxit antiquius, quam ut Braunsbergae (quae urbs Prussiae Provinciae Poloniae Regi addictae, Variensis est dioecesis) Collegium Socii institueret, ratus, quod erat, tuendae religionis avitae apud Prussios, necessariam esse piam juventutis institutionem.*

Quartus in
urbem adven-
sus.
MDLXV.

Nulla quies data respirandi Canisio, qui mox ex ultimis septemtrionis frigoribus ad magnos Italiae calores vocatus, denuo Romam Provinciae Germaniarum latissimae praefectus, ad tertium Societatis universae Praesidem legendum advolavit. Sed quid Romae egerit, saepius in urbem citatus, summam exponamus.

De Vita
R. P. PETRI CANISII

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

QUID ROMAE GESSERIT CANISIUS.

Haud ignarus sum, nullam esse virtutem, fuisse Romae, sed Romam pietatis causa adiisse; Romaeque sancte vixisse, et aliis vitae morumque innocentia documento fuisse, id demum in laude ponendum esse; neque enim locus quemquam sanctiorem facit; sed Sanctus locum efficit sanctum et religiosum. Saepe adiit urbem Canisius, et longis itinerum molestiis fatigatus, nunc a summis Pontificibus evocatus, hunc a Cardinalibus deductus, alias a societatis praesidibus citatus, semper tamen impressa pietatis vestigia reliquit; jam publicae Germanorum saluti intentus, quibus juvandis salutaria Pii et Gregorii consilia suggestit: nunc inter domesticos, illustres radios sanctitatis sparsit; nunc imminentem purpurae honorem fuga declinavit; nunc cultu sanctorum et Martyrum pignoribus ve-

Septimum
ivit Romam
Canisius:

XCVIII DE VITA P. CANISIÏ.

nerandis ingentes pro fide et religione propugnanda spiritus hausit. ¹⁾ Septimo et quadragesimo post millesimum quingentesimum, primum ab Ignatio vocatus urbem est ingressus; post ²⁾ biennium aut paulo ante ab eodem ex Sicilia ad sollemnia vota suscipienda revocatus. Tribus postea Generalibus creandis ³⁾ Layne, ⁴⁾ Borgiae et ⁵⁾ Mercuriano interfuit, extra ordinem etiam cum ⁶⁾ Othone Cardinale, et praesule Augustano in urbem profectus. ⁷⁾ Et a Gregorio XIII. vocatus. Sed quid in urbe gesserit Canisius, partim supra expositum est, partim Sebastianus Beretarius, qui hodieque Romae vivit et spectator adfuit, cum Romae Canisius esset, hisce verbis ad me ex urbe perscriptis eleganter narrat.

1) MDXLVII.
2) MDXLIX.
3) MDLVIII.
4) MDLXV.
5) Anno MDLXXIII.
6) MDLXVIII.
7) Anno MDLXXIII.

MDLXXII. *Exstincto interim beatæ memoriae Francisco Borgia, societatis universæ antistite, Patres Romanam evocati, ad surrogandum Borgiae successorem (quem Everardum Mercurianum Leodiensem renuntiarunt) coetum egerunt, cui ex lege Canisius quamvis praesens, sed jam provinciali praefectura defunctus, non interfuit; nihilominus, quod proximum erat, congregationis custodia illi demandata est, et claustrî janua commissa; munus non nisi primario alicui de societate viro demandari solitum. Occasio Canisii accersendi illa fuit. Conflato, auctore Pio V. Pont. Max. inter Romanam Ecclesiam, Hispaniae regem, et Venetorum Rempublicam foedere adversus Turcam, Italiae imminentem, ac post partam nobilem illam*

navalem victoriam ad Echinadas, ac post Pii V. mortem rescisso, Gregorius XIII., qui Pio successerat, magno animo belli consilia susceperat, spe concepta (eae vires hac conspiratione Christianae Reipublicae accesserant) fore, ut a Graeciae cervicibus Turcarum jugum pelleretur, et utraque Ecclesia in antiquam concordiam revocaretur. Hac spe dejectus in tantum incidit moerorem, ut dolorem suum in omni sermone prae se ferre non dubitaret, Graecorum damno maxime permotus. Agebat adhuc in urbe magnis de causis Trucksesius Augustanus Cardinalis, is ad avertendum ab ea molestia ejus animum, Pontificem admonuit, finitimae Germaniae mala non minori illi curae, quam Graeciae toto mari a nobis dissitae esse debere, faciliusque ejus vulnera adhuc recentia, quam Graeciae jam inveterata sanari posse. Non avertis auribus haec accepit Pontifex, desperataque Graecia ad opem Germaniae ferendam omne studium convertit: consilium ad id quaerenti, neminem posse commodius consilium rei totius expedire, respondit Augustanus, quam Petrum Canisium, e societate Jesu virum doctrina, fide, vitaeque sanctitate, Germania tota in primis clarum, ipsum Germaniam pene omnem primariasque urbes lustrasse, viros principes adiisse, quo morbo singulae quaeque partes laborent, inspexisse, quibus remediis sanari possint, omnium optime tenere. Accitus Romam, nullum esse docuit praesentius remedium, quam si Germanorum alum-

norum collegium, jam inde a primis nostrae societatis initiis Romae institutum, per id tempus ad eam paucitatem redactum, ut raro admodum duodecim alumnorum numerum excederet, sublevaretur, aliaque per Germaniam ejusmodi collegia excitarentur, quibus Germani adolescentes ecclesiastica disciplina doctrinaque Catholica et literis educaretur, his postea paroeciae cathedrae, aliaque ecclesiastica munera demandarentur, nulla re magis Germaniam laborare, quam inopia doctorum sacerdotum, qui praesint Ecclesiis et animarum curae, populos sincera doctrina erudiant, et loquaci audaciae haereticorum doctrina et evangelica veritate sese opponant. Probatum est sapientissimo Pontifici integerrimi hominis consilium. Inde Germanicum collegium in urbe, ad hanc, quam nunc videmus, amplitudinem redactum, aliaque, quae nunc felici cursu progrediuntur, variis Germaniae in urbibus instituta, annuo proventu copiam simul honestorum, simul et doctorum sacerdotum Germaniae suppeditant, qui, quocunque mittuntur, haeresin profligant. Profuit consilium non Germaniae solum, sed aliis etiam nationibus, majore quam Germania peste laborantibus, quippe Germanici collegii exemplo et consilio a Canisio indicato, eodem ferme tempore, ab eodem vigilantissimo, et religionis propagandae studiosissimo Pontifice, alia collegia in urbe instituta; Anglorum primum, numero, studio et virtute Germanico haud multum impar. Neophy-

trum alterum, in quod tenera aetate adolescentia ex Judaismo et Mahometanismo ad Baptismum admissi cooptentur. Hi Christiana disciplina et moribus instituti, praeter latinas literas, hebraicarum etiam literarum in usum latinae Ecclesiae Romae egregie studia promovent, ne in rebus dubiis ad infideles interpretes confugiendum sit. Maronitarum tertium haud ita multo post collegium erectum. Quae una natio in Oriente toto, omnibus aliis deficientibus, in fide semper mansit, et manet adhuc Romanae Ecclesiae incredibili adversus Romanum Papam et Papae nomen reverentia. Graecorum quartum; varia denique in exteris nationibus, Dilingae, Viennae, Remis, atque adeo etiam apud Japones et Paganos coetus aluit adolescentum, quibus domicilia in spem orbis totius ad Christum revocandi collocavit.

His magnis operibus ab uno Canisio initium profectum. Discessit tandem Roma, et dictum, seu factum. Causa inventa, cur repentino discesserit, quod suboluisset (ut rumor, seu verus, seu vanus; certe ferebatur) Romanum Pontificem, adnitente jam olim Augustano, de illo sacra purpura ornando cogitare. Sed extincto sub initium adventus Canisii Cardinale res sopita est. Virtutem interim Canisii illustrabant Romae studium ardorque divini honoris amplificandi, eaque diligentia, quam, quoties ad urbem venit, pauculis illis collegii Germanici reliquiis, quae tunc erant,

quas tanquam sua viscera intimo animo complectebatur, aliisque ejusdem gentis nobilibus viris ac studiosis adolescentibus excolendis adhibuit; illos modo adiens, modo advocans, ad pietatem et fidei Catholicae constantiam, et ut adversus haereticorum mendacia, in hac verae religionis arce sincera doctrina se munirent, hortabatur: tum diligentiam multam in multis et claris virtutum exemplis, ad pietatem ad exterarum gentes promovendam, cognoscendis contulit. Frequentabat non tantum templa augustiora, sanctorum caelorum memoriis reliquiisque veneranda, sed oratoria etiam et conventus insigni pietate illustres, quibus Christiana pietas magna hominum frequentia colitur aut Christiana in egestes caritas magno exemplo exercetur. Invisabat hospitales domos tum antiquas, et magnis vectigalibus fundatas, tum recentes piorum tantum liberalitate sustentatas, quantumque ex utriusque boni ad homines promanaret diligentissime adnotabat. Xenodochium sanctissimae Trinitatis admirabatur, multis saepe hominum millibus adventantium large sufficiens, nullo alio vectigali, quam quotidianis piorum Eleemosynis abunde suppetentibus; tum statis horum illustri spectaculo fuisse, et prima nobilitate multitudinem virorum et feminarum, utramque sexui seorsim inservire, advenarum pedes lavari ministrare ad mensam, monita ad pietatem dare qua animi comparatione, quaque religione sacra templa adeunda, et universa illa sacra ex

piatio foret obeunda, edocere, aliaque pietatis officia praestare, quae alii literis mandarunt: Et haec quotannis per sacros hebdomadae sanctae, et Paschae dies usitata et vulgaria esse, quid praesens in Jubilaeo vidisset et sensisset? Sodalitates praeterea piorum hominum, qui honestus, inopes tamen familias, quas pudor a mendicando deterret, collatis corrogatisque Eleemosynis sustentant; alias, quae magnum virginum numerum collata dote ad honesta adjuvant conjugia, cognoscebat. Tum pios coetus indagabat magno numero, frequentiaque divina mysteria obeuntium, piosque conventus celebrantium. In iis maxime frequentabat inclitam illam, atque inter magna urbis lumina, clara luce collucentem venerabilem sacerdotum piorumque virorum congregationem oratorii nuncupatam, multumque familiaritate utebatur, B. Philippi Nerei institutoris, adhuc in humanis agentis, ejusque discipulorum, qui tum praeter caeteros florebant; Francisci Mariae, Taurusii, Caesaris Baronii, magni alterius ecclesiasticae antiquitatis luminis, Joannis Francisci Boldrinii, quorum duo priores suis virtutibus, et vitae sanctimonia, per multos annos sacra purpura illustrati, aeternis jam cum Deo praemiis fruuntur; tertius Avenionensis Archiepiscopus, pari vitae integritate dignam tanto munere operam suae navat Ecclesiae. Vir igitur sanctus a viris sanctis, fama jam ante notus magno in honore habebatur; et vero ea hominis erat praesentia et ea ho-

nestae faciei et totius vultus ad modestiam compositi dignitas, ut vel silente fama benevolentiam et reverentiam sibi conciliaret, oratio spiraret sanctitatem. Incredibilem apud hos, perpetuamque hominum frequentiam pietatis studia colentium observavit. Multos praeterea viros principes, tum ecclesiastica dignitate insignes, tum nobiles Romanos commemorant nominatim, quorum cum copiosas Eleemosynas, tum memoranda facta, insigniaque virtutum exempla recensebat. Haec pusillum gregi collegii Germanici, aliisque studiosis Germanis adolescentibus exponebat, eosque ad ista aliaque ejusmodi accurate indaganda et recognoscenda accendebat, ut se, cum in Germaniam redirent, oculatos testes Romanae pietatis exhiberent, adversus impios latratus veritati obsistentium haereticorum, docebatque multorum Germanorum culpam, qui Romae diu versati, ad haec tanta; et tam illustri laude digna exoculati, ad improbatantum, et relatu indigna, quae de Romanis rebus in Germaniam perferrent, mentis aciem intenderent, et ad foeda ulcera, quae haereticorum fecerat impietas, ipsi ungues accederent. Et sane mirum non est in tanta civitate, tanta omnium gentium colluvione, in feraci solo, foecundaque segete, herbas saepe noxias, et aiiqua vitiorum semina succrescere. Querebatur igitur vir divini honoris studiosissimus, quae naturae vitio in magna multitudine fieri solent, ea quodammodo ad instituta converti, et paucorum culpam in civita-

tem omnem conferri; ingentem vero laudum silvam, a tanta virtutum multitudine enatam praeteriri. Ita vir summe industrius nunquam de divina causa promovenda, fideque Catholica constituenda cogitationem ponebat; et cum, quid ipse faceret, exponeret, quid ex illo imitari ipsi deberemus, docebamur. Et haec Beretarius,

N U N C I U S

Apostolicus ad Germaniae Principes
legatur.

C a p u t II.

Pius IV. P. M. pro Germaniis passim laboranti-^{MDLXV.} bus sollicitus, ut in religionis Catholicae professione perseverantes ad constantiam hortaretur, dubios et haerentes firmaret, exerrantes in viam revocaret, ex occasione praesentis tum Canisii ratus e re Christiana fore, si illum cum auctoritate sui nominis in Germanias ablegaret, qui principes, dynastasque Imperii coram adiret, suamque Pontificis curam et sollicitudinem, datis ad eosdem literis, explicaret, et ad avitam pietatem vel retinendam, vel restaurandam hortaretur. Canisius suscepto legationis officio, regulos Germaniae passim convenit, Pontificis studium erga salutem cum singulorum privatam, tum omnium communem exposuit, neque poenitendas res effecit, quod ipse, quamvis permodeste, ut solet, attigit, cum in haec verba

de se scripsit: *Et si vero, inquit, multis annis hoc saxum Augustae volui, multorumque gratiam in Evangelico munere mihi conciliaui, tamen in loca vicina et dissita proficisci subinde debui, quemadmodum in Bavariam, Sueviam, Rhaetiam, Austriam, Poloniam, Franconiam, donec tandem Pius IV. Pontifex hoc mihi negotium Romae dedit, ut praecipuos Germaniae Principes, quibus et ipse scribebat, coram accederem, ac eorum animos in religione Catholica promovenda confirmarem. Igitur in Westphaliam usque peregrinandum fuit, ubi et in Geldriam penetravi, et satis laboriosam sensi profectionem, comite ex nostris uno contentus. Quidquid autem in his itineribus, quae suis periculis non caruerunt, recte et feliciter a me gestum est, praepotentis Dei gratia et virtute singulari gestum esse testor; ego nihil ex his mihi arrogo, utpote servus inutilis. Non assumpsit in comitatum officia aulica, nec ullam accersivit ab externo splendore auctoritatem, unico Socio nostrae familiae comitatus: modestia et virtute sibi dignitatem; auctoritatem legationi accessuram non falso opinatus. Venit in eadem profectione Coloniam Agrippinam, ut ex Academicis illic monumentis per Jo. Hasium, quem supra posui, cognovi. Coloniae 1566. XIX, Cal. Febr. Academicis Patribus, et civili Magistratui, Pii Pontificis auctoritatem exhibuit, qua monebantur, uti Canisio fidem haberent, et capita suo Pontificis nomine perscripta praescriptaque diligenter exse-*

querentur. Neco fuere amplius septem, minime sane silentio premenda, quod plurimum videantur ad multorum institutionem valere.

Primum, uti nemo vel ad docendum pro concione populum in templo, vel ad erudiendam juventutem in Gymnasiis et Academia admitteretur, de cujus honesta vita, integritate morum, et Catholica pietate non constaret.

Deinde, ut scripta, quae vel morum disciplinam labefactarent, vel Romanae sinceraeque doctrinae obstarent, una cum librariis, qui hujuscemodi chartas vel clanculum vel aperte in urbem inferrent, proscriberentur.

Praeterea, ut alienis a Catholica religione locus in urbe non esset, forasque eliminarentur.

Quarto, ne quis clancularius praeco seu Lutheri seu Calvinii, seu cujuscunque alienae sectae urbe, domo, tecto reciperetur.

Insuper ut in hostes religionis Catholicae vera edicta ponerentur, contraque venire ausi graviter punirentur.

Academici quoque viderent, ne quem ad ullum publici honoris gradum in quatuor supremis literarum disciplinis Theologiae, Canonum, Juris Civilis prudentiae et Medicinae admitterent, qui recusaret, ex praescripto Concilii Tridentini formula, quid crederet damnaretve, profiteri.

Postremo ne sacerdotia, quae beneficio jure suo Pontifex conferre soleret, cuiquam assignarentur, qui ex praescripto Pontificis legumque

auctoritate docere nollet, et uti praelectionum disputationumque publicarum, praesertim in Theologicis major ratio haberetur.

His cognitis, cum Academici urbanusque Magistratus frequentes in Consilium ivissent, inter se collocti, Canisio ut internuntio Apostolico primum gratias egerunt de labore, eorum gratia suscepto; deinde prolixè omnia promiserunt facturos, seseque in auctoritate Pontificis, uti semper antehac fuissent, in posterum futuros, omnibusque ejus mandatis obsecundaturos. Multum haec legatio Canisii profuit Coloniae, in avita pietate perseveranti, prodestque hodie. Erant illa, quae exposuit, etiam publica Notariorum Romanorum auctoritate signata, quorum post defunctionem legationis Canisius duo exempla Collegio Coloniensi reliquit. Secundum haec ad Cliviae, Juliae, Montiumque Principem Guilielmum profectus, ab eo discit Pium Pontificem, VI. Idus Decembres MDLXV. vixisse; proinde obita legatione Coloniã reversus Catechesin suam dudum vulgatam recognovit, ac Senatui inscriptam dedicavit. Quae interim Noviomagi patrio solo per illam excursionem egerit, infra libro extremo perscribemus.

CATHEDRAM

Augustanam Gregorio Roseffio committit, libros condit.

C a p u t III.

Si crescentibus in dies negotiorum curis etiam vires corporis auferent, esset cur naturae gratias meminisse; sed cum hominis vita quotidie denascatur, et cum annis corporis vigor sensim fugiat, Canisius quamvis hucusque firmus et florens, quintum nempe supra quadragesimum agitans annum, unus tamen omnibus par laboribus esse non potuit diutius, cum domestica provinciae negotia prope totum sibi hominem vindicarent, et Cathedrae Augustanae, quae in provincia gravissima est, procuratio, eundem sibi vicissim assereret, et multa quotidie inter manus negotia, ut fieri amat, nascerentur, providendus fuit idoneus aliquis huic loco, et assiduus Ecclesiastes, qui coeptum Canisii laborem prosequeretur. Agebat tum Romae Gregorius Roseffius gente Bojus, domo Landishutanus, qui caelestium literarum jam portum spectabat, vir magnis corporis et animi viribus, consiliisque pollens, quod ea tempestate, eaque in urbe maxime desiderandum erat, ab eloquentiae laude in primis commendatus. Hic Augustam missus adulto jam

Gregorius
Roseffius Au-
gustanam
Cathedram
procurat.

CX **DE VITA P. CANISII**

MDLXVI. anno **MDLXVI.** Nov. mense, **Othone** Cardinale praesente et volente, Principem **Augustae** Cathedralis **Canisii** loco occupavit, quam ultra triginta sex annos postea, non sine frequenti procerum applausu populique notabili fructu tenuit. **Canisius** eo labore sublevatus, quidquid vacui temporis a publicis provinciae curis habuit, subsecivas horas non otio transmisit, sed armis literariis in hostes et perduelles religionis sumptis, coepit tela calami in adversarios stringere, et centurias errorum prolatas in publicum ostendere, falsarumque narrationum mendacia retundere. Ergo illustre opus **Commentariorum: De verbi Dei corruptelis**, quo **Joannis Baptistae** honores maxime tuetur, condit, et **Ferdinando Ferdinandi Imperatoris F.** inscriptum **Oeniponte** Anno **MDLXXI.** offert, quod magnopere ab orbe **Christiano** commendatum, saepiusque ad typographum revocatum, ac postremo recognitum anno **MDLXXXIII.** prodiit, quo et **Ecclesia Romana** egregie propugnata, et antagonistae foede prostrati, vanitatem suarum opinionum, si non perfricuissent, jure potuerunt debueruntque agnoscere simul et erubescere.

ENERGUMENAM CURAT.

C a p u t IV:

Magnam vim habet docentis oratio, cum verba non discrepant a vita, majorem, cum divinis etiam suffragiis confirmantur. Ea erat de Canisii virtute opinio, ut nemo non sanctum divinumque hominem existimaret, et pro sua sententia tanquam carum Deo virum veneraretur; nec falsi sunt, qui tam pie de Canisio senserunt. Idem de eo Deus ipse pronunciavit, cum multa per eum mortalibus beneficia praestitit, quae natura ipsa negavit se praestare posse. Infra scribemus illa caelitum suffragatione perpetrata. Hic ponemus, quod ante patria lingua a Martino Eisengreinio, praesule Oetingano et Academiae Ingolstadianae procancellario, viro summae auctoritatis, religionis, eruditionis, qui tum *) Oetingae fuit, cum hoc, quod expono, ^{*) Utinam olim.} contigit, prolixè et copiose denarratum est.

) Oetinga vetus oppidum est in Boica, ubi ^{) Utinam. Aedes Oetinganae religiosissima.} nobile sacrarium, caelitum reginae Virgini Opt. Max. Dei matri, a priscis Bojorum regulis conditum, et maximis votorum donis opulentum, religione sanctissimum, et benignae Dei genetricis immortalibus beneficiis, in omne genus mortalium profectis, per omnem Germaniam inclitum jamque

Anna Bern-
husia obses-
sa.

per alium latinis literis illustratum. Huo Augusta Vindelicorum anno MDLXX. duodecimo Cal. Feb. venit illustris vir Marcus Fuggerus, caput gentis suae et urbi Augustae praefectus, cum illustri conjugue sua Sibylla, et Canisio nostro, aliisque compluribus, ut ab Anna Bernhusia nobili virgine, quam secum deduxerant, malus genius, quo octavum jam annum inessa miserandum in modum cruciabatur, profligaretur. Cum enim S. Udalrici primum aris Augustae admoveretur, sex inde (septem enim impuri spiritus puellam occupant) fugati cesserant, septimus negarat se puellam deserturum. Sed virgini in quadam lipothymia, seu animi defectione se benigna Dei mater ostenderat, futurumque praedixerat, hostem Dei in facello suo Oetingano pulsum iri, si concepto voto se calicem sacrum munus allaturam polliceretur, promisit illa, et votum solvit, sed in exturbando hoste, malo hospite, non exiguus labor fuit impendendus. Canisius simul Oetingam cum illustri Fuggerorum, ut dixi, comitatu, attigit, virginis Oetinganae ope precibus jussit implorari. Postera luce, M. Fuggerus cum conjugue, expiatis per confessionem peccatis, sacroque Christi corpore percepto, preces ardentissimas ad Deum, Deique matrem fundit, ut Canisii conatibus adesse, virginemque ab immani monstro, ac carnifice exsolvere dignentur. Secundum prandium reditur ad templum. Aderant spectaculo praesentes plus minus quindecim; admonet Canisius puellam voti, quo se Augustae per

vocationem animi cum calice Oetingam deferendo
 adstrinxerat. Tum simul omnes in genua supplices
 procumbunt, consensuque opem caelestem efflagi-
 tant. Marci conjux cum virgine daemone obnoxia
 summum in sacello locum jussa occupat; cingunt
 illos reliqui, juxtaque adsistit Canisius, exomolo-
 gesin exorsus, precationem dominicam, et angeli-
 cam salutationem, aliaque id genus flectendi Numi-
 nis causa praesidia adhibet. Quietus interim age-
 bat Daemon. Recitantur deinde sanctissimae vir-
 ginis Litaniae: responsant omnes: *Sancta Virgo,
 Mater Dei, ora pro nobis.* Hic mussitare secum,
 vota abnuere, negare demum aperte daemon, se
 nec auditurum, nec passurum, ut Mariae auxilium
 imploraretur. Virginem supinam rapit, humique
 crudeliter affligit. Afflictam Marcus in sinum recipit;
 dextrum Canisius, sinistrum Sibylla cum sacer-
 dote latus tuentur; puellam tamen aegre retinent.
 Hinc jam arma Canisius caelestia expedit, hos-
 temque devotionibus et diris urget, atque hunc in
 modum premit: *Per Numen nomenque sanctum
 Dei, ac magnae Matris Dei, impurissime sce-
 lestissimeque daemon, impero, uti plane diserteque,
 ac sine fraude pronunties, quot quantique sitis,
 qui puellam occupatis.* Hic, vi caelesti adactus,
 aegre ac velut collecta, post intercoeptum spiritum
 anima respondet, solum se restare septimum, ex-
 tremumque non ignarum voti puellae, et depulsi-
 onis, si ad has virginis aras admoveretur; crucia-

CXIV DE VITA P. CANISII

turum tamen se puellam ad satietatem usque, priusquam sua statione cedere cogeretur.

Quaerit Canisius, ecquoties torturus esset miseram? quater, inquit, supra vices: parentum causa septies, totiesque dominorum, decies ob familiam Fuggericam. Ita se in mandatis habere, dictoque citius mediam arreptam tollit, et crudelem in modum humi allidit, trahit, rapit, distenditque, ut quinque illi, qui puellam retinebant, vehementer laborarent, ne penitus arreptam discerperet, atque hoc dirum spectaculum revocavit septimum. Imponitur dein sculpta, eademque pervetusta virginis imago, cervici puellae, furit serpens, omnesque conspuit, et horrendum vociferatus execratusque, *facesse, inquit meretrix, (Dei matrem impius appellabat) tam diriter me premere. Canisium subinde canicidam per contumeliam vocitabat. Atque ego, inquit Canisius, te excarnificabo, Cerbere. Age, quando tandem cedes loco? permittite, inquit ille, cedam. Non hoc, subjicit Canisius, in nobis, sed in Deo, Deique matre situm est. Cui daemon: cras me expediam, si prius pro debito hanc duodecimum ad necem usque torsero. Postero die geminantur preces, totumque antemeridianum tempus, rebus divinis, ac votis solvendis consumitur. Ad meridiem in aedicula virginis religiosissima omnes adsunt, et pridiana precandi formula repetitur. Ubi ad locum de virginis patrocinio ventum, rursum fremere monstrum, puellamque afflictare; Marcus hesternum iterat officium,*

pellamque prensam pro viribus retinere cum aliis contendit. Canisius fulmina dirarum rursus in hostem torquet, devotionibus urget, cedereque loco imperat; ridet ille, et eludit horam integram dicta imperataque Canisii. Duodecima post hora, rursus arripit miseram, adeoque in eam desaevit infernus carnifex, ut horrorem, et commiserationem omnibus commoveret, omniumque opinione in mille partes infelix differenda putaretur.

Hanc immanitatem stygius tortor cum in puellam septimum exercuisset, exanimata illa concidit, intraque partem horae quartam restituta sibi, interrogatur, quid desideret, quidve menti objectum sit. Respondit placide, virginem se Dei matrem duobus comitatam caelitibus vidisse, alterumque ex beatis nuntiasse, quinto vexandam se adhuc cruciandamque, dein haud ultro quaestionibus progrediendum, sed imperandum, uti provolutus in genua Deum verbis Domini, virginem angeli, quintum iteratis veneretur, terramque septies indicium loco, spectante tota praesentium corona, ore supplex contingat, reginam caeli terraeque prius lacessam et impio ore lacessitam, exquisitis honoribus afficiat colatque. Quibus acceptis consurgitur ab omnibus, mediumque sacellum diligitur, ubi palinodiam sanctissimae Virgini impurissimus canat. Sed omnibus aram Virginis adspicientibus, sola puella januae templi os obvertit; sed imperio Canisii altare cogitur spectare. Quod dum facit, immane incipit fremere, et ejulare: *Vae misero, ut*

torqueor, nullus meorum intra viginti annos tam atrociter est excarnificatus. Age nunc, inquit Canisius, impurissima bellua, Dei mandata exhauri, possessione cede, puellamque missam facito. Extendit brachia daemon in formam crucis, praesentesque affatur. En, inquit, nos infelices Deo, Deique Matri, parere cogimur; vos imperium ejusdem detrectatis. Mox in genua abjectus, Dominicam precationem hunc in modum pronuntiavit Pater noster, qui es in caelis, dein interjectis his (ob primi vulneris Christi Jesu servatoris memoriam) dein caetera, quae sequuntur, exsequebatur Salutationem angelicam sic absolvebat; Ave Maria gratia plena, tuam gratiam misericordiamque sentiant omnes in hac aede praesentes; dein subjunxit reliqua. Postremo adjecit hanc extremam clausulam: O Maria, mater Dei, ora pro nobis Haec quintum iteravit. Peracta prece, Virginem caelestem tam compositis exquisitisque verbis colaudavit, ut omnes dederit in admirationem.

Sed Canisius urgebat extrema, atque ut excederet, vi divini nominis imperitabat. Cui fero citer daemon: terra prius osculanda mihi septies. Cum fecisset, rogat Canisius, cur id, et qua gratia faceret? *Reginae Deiparae colendae, inquam antea vocibus impiis incesseram. Mox sul limem rapit puellam, horredumque fremens immunititer vociferatur, cumque finem clamando facer nullum, imperat Canisius, uti tandem cedat, penitus excedat.*

Obsequi cogitur homini mortali genius immortalis, puellamque intra secundam tertianque pomeridianam pulsus fugatusque deserit. Canisius percussis omnium animis cohortationem addit, admonetque omnes, uti quisque in memoriam praeteritae vitae et nostrarum cum animi dolore redeat, labes per confessionem abstergat, melioremque vivendi rationem instituat; originem primasque causas aperit, cur et quo pacto sibi daemon jus invadendae puellae usurparit. Ego, uti accepi, ita rei gestae seriem exposui. Addit Martinus Eisengreinius, occupatam primum a quatuor cacodaemonibus, ob impiam execrationem, qua se (si secus esset ac dixisset) orco devoverat. Post triennium accessisse reliquos; recitat testes omnes praesentes, et oculos nominatim, quos in libello ab eodem de aedivula Oetingensi edito cap. XIV. copiosius leges. Hoc tamen non omittendum, Annam ab ingrato hospite liberatam, Catholicam pietatem ac religionem in omnem reliquam vitam constantissime coluisse.

P R A E F E C T U R A M
 Provinciae Paulo Hoffae tradit.

C a p u t V.

Totam jam vicennium Canisius sociis in Germania superiore cum potestate praecerat, et interea loci

CXVIII DE VITA P. CANISII

Augustae in Principe Dei matris aede populum pro cathedra multis annis et ante triennium demum dimissa docebat, domi antagonistas erudito calamo configebat, et magna voluminum opera condebat. Poterant Atlantis aut Herculis vires tantis laboribus debilitari; gemebat sub onere Canisius, nec tamen ut solemus, querebatur, crescebat in dies provincia, deficiebat aetas. Sed agnovit Franciscus Borgia universae societatis moderator Canisii occupationes, quibus ut illum ex parte levaret, praefectura sociorum provinciali tam diuturna et molesta tandem abire permisit, quod videret illius operam valde necessariam esse ad comprimendum furorem haeresiarcharum per omnes id temporis Germania grassantium, et concionibus urbes, scriptis totae provincias corrumpentium. Visum ergo Pontifici Opt. Max. Pio V. et Borgiae totius societatis antistiti, alio sociis in Germania praefecto, Canisium ad scribendum impellere. Quod ipse fecit perlibenter, et Provinciam regendorum sociorum commisit Paulo Hoffaeo, qui vir quam egregie aptus ad id muneris fuerit, docent ea, quae per annos duodecim in cura sociorum gessit, post quos Roma ipsi societatis universae praesidi consultor haud paucos annos adsedit, unde ad nos reversus Germaniam superiorem et ad Rhenum sita collegia visitator lustravit, ac demum veluti emeritus miles dimissione et armis ad aras suspensis, Ingolstadii aetatis quartum et octogesimum provixit ante annos amplius triginta quam moreretur, dudum

MDLXIX.

a medentibus, in ipso praefecturae ingressu conclamatus, et per Joannem Rastellum Anglum liberatus, qui se victimam pro Hoffaeo per votum obtulit, uti si auctori vitae videretur, Paulus viveret; ipse vicaria morte defungeretur. Ratum habuit Deus piam mentem patris, qui vix aedem sacram exierat, ad quam pro Hoffaeo peregre supplicarat, eum e vestigio morbo correptus, et domum aeger deportatus, post paucos dies oppetiit, et oraculum illud vere implevit: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoffaeus illico convaluit, et exsequi munus suum perrexit.

O T H O N I S

Cardinalis Pontificis Augustani Academiae Dilinganae conditoris mors et Elogium; Canisius comitia adit; opus Marianum edit.

C a p u t VI.

Inter haec Otho Cardinalis Maximus societatis patronus, et Canisii cultor, de quo multa supra et honorifica mentio, Romae naturae debito liberatur. Vir consilio magnus, nec minor pietate, idemque maximus apud maximos Pontifices et Caesares auc-

toritate, inclitum sacri purpuratique Senatus Cardinalium ornamentum exemplum praesulum, Catholici nominis in Germaniis restitutor et conservator; quoque major in pontificatus et principatus gradu, tanto modestior in communi domesticaque vita. Nam ubi a publicis imperii et suae dioeceseos negotiis ad otium domesticum, quod illi pene nullum fuit, rediit, illico pauperum casas ipse coram adire, tenues familias familiarissime salutare, et quarum rerum indigerent, inquirere, argentum, frumentum aliaque vitae praesidia, miseris subministrare. Nemo tam humilis erat fortunae, quem ipse vel aditu, vel colloquio prohiberet; imo saepe ultro invitabat, aegreque ferebat, si qui in publicum prodeunti occurrentes, majestate viri territi longius de via decederet, quos ipse accersitos ultro compellabat, quam ob rem filii patrem fugerent, quos ipse quaeritaret? Idem juventuti Germanicae, cujus pietate, nobilitate, frequentia plurimum delectabatur, Academiam condidit, sociis, qui illam regerent, et ad optimos mores ac disciplinas erudirent, contubernium constituit, quod nuper Henricus Knöringius, quartus ab Othone Pontificatus Augustani successor, pius, sapiens, et liberalis Princeps, aeternis censibus firmavit. Idem Otho olim a furenti Lutheri secta, cum toto Canonorum consilio ordineque omni ecclesiastico proscriptus, bonisque omnibus eversus, sua auctoritate effecit, ut Caroli V. Maximi victricibus armis, cum Canonorum collegio cleroque restitueretur. Rudolphum postea Caesa-

rem, ante Mathiam, hodie imperantem, Maximiliani patris missu in Hispaniam deduxit. Idem redux nostram familiam Augustam adduxit, et in aedibus suis, quas olim Canonicus incoluerat, collocavit, omnique ope contendit, uti nobis collegium poneret, sed diu impeditus, tandem ab illustri gente Fuggerorum collocatum, sua liberalitate, quoad potuit, juvit ornavitque. Periisset Catholica Rhætia et Vindelicia, nisi mature his provinciis hic caelestis Atlas humeros subjecisset. Haec ex plurimis et immortalibus ejus operibus pauca libuit deliberare, grataque memoria prosequi. Praemia religiosissimo antistiti caelestis munerarius dudum, uti certa spes est, amplissima reposuit reponetque semper.

Anno deinceps sexto et septuagesimo, Comitiis ab imperatore Ratisbonam indictis, Cardinalis Moronus Pontificis Maximi legatus, Canisium in consilium advocavit, qui utilem legato, proceribus et populo publice privatimque operam navavit, indeque Ingolstadium profectus, quod prioribus annis elucubrarat, alterum commentariorum volumen, quo Virginem aeternam matremque Dei a calumniis impiorum acerrimo stylo vindicabat, edendum curavit, et Alberto Magno Bojorum principi, de Germania et religione Catholica praeclare merito nuncupavit,

F R I B U R G U M**Nuithonae Helvetiorum proficiscitur.**

C a p u t VII.

Cum anno, quemadmodum explicatum est, sexagesimo nono Provinciae curas **Paulo Hoffaeo** commendasset, quidquid otii a concionibus, consiliis et aliis negotiis fuit reliqui, fuit autem perparum, qui praefecto sociorum **Hoffaeo** collega adjunctus, cum illo collegia obire et lustrare cogeret, totum id, quod a septuagesimo ad octogesimum, decennium fuit, libris suis partim in lucem foras datis, partim etiam dandis, recognoscendisque impendit. Adulto jam anno octogesimo, ultimo anni mense **III. Idus Dec.** ipso die **S. Damasi** (qui **Canisium Nuithonibus** dedit) a **Francisco Bonhomio** Episcopo **Vercellensi**, viro eximiis fortunae, ingenii, et virtutis ornamentis exulto, **Gregorii XIII. Pont. Max.** ad **Rhaetos, Helvetios, imperatorem Rudolphum, et Belgas**, legato ductus est **Friburgum**, ut ibi sociis collegium poneret, et ipse quasi fundamenti loco primus istic lapsis poneretur. Est **Friburgum** urbs apud **Nuithonas** in **Aventicis Helvetiorum, Allobrogibus et Celtis** proxima, diversa a **Brisiaca**, pomerii amplitudine ingens, morum et ingeniorum cultu emendata beneque morata, ex aristocratia et de-

mocratia composita, suis vivit legibus, regiturque populus a Duumviris, senatu et tribunis plebis. Conditorem laudat Bertoldum IV. Zeringiae Regulum, et Burgundiae transjuranae praesidem, qui ante annos admodum quadringentos quatuor et triginta, primum urbi locum in edita rupe cepit, quam flumen haud totam tamen ambit, unde potissimum illi nomen, quasi diceret arcem libertatis, sensim postea descendens late complexa flumen se ipsam propagavit, rursumque altius excrescens moenia promovit. Zeringiorum stirpe in filio, qui Bernatibus urbem constituit, defecta, in Friderici II. potestatem testamento venit, ab illo ad alios atque alios dynastas ac dominos, demumque ad Allobroges devoluta, a quibus tandem exempta, ut partam jure libertatem tueretur, se cum reliquis Helvetiae liberis et foederatis populis conjunxit. Priore saeculo, cum infamis Zwinglius foeda haereseos labe magnam gentis partem inquinasset, ac ipse cum desertoribus avitae religionis, non paucis in bello civili, quod classico accenderat, periisset, asseclae tamen ejus, errorem suum perseverarunt, et periculum erat, ne Friburgenses etiam undique cincti sectis a vicinia traherentur, rectoque a tramite veteris et Catholicae disciplinae averterentur. Sed fides et conciones Ecclesiarum, praetorumque et senatus constantia, jussis facessere Zwinglianis, pervicere, priscamque religionem mordicus retinuerunt. Ut ergo populus de caetero quoque labem nullam acciperet et circumstrepentium rabu-

CXXIV DE VITA P. CANISII

larum fremitu non turbaretur, visum e Republica Friburgensi fore, si societati Jesu contubernium illic figeretur, a qua juvenus ad priscae religionis fidem et optimos mores, optimasque literas informaretur. Bonhomius igitur Pontificis ad Helvetios legatus, anno post Virginis partum MDLXXVIII. et sequenti, mirifice in ecclesiasticorum Friburgensium animos se insinuavit, praesertim vero cum aedis summae praeposito Petro Schneulino viro reverendo, et veteris doctrinae Catholicae retentissimo summan familiaritatem contraxit, cum eoque in commune concilium posuit de societate Friburgum introducenda, per quam senatui populoque Friburgensi, qua de religione, qua caeteris optime consuleretur. Ac tum deinde cum civili Magistratu, eoque res deducta, ut conflagrati cujusdam Coenobii, adeoque prope deserti area fundusque cum annuo censu sociis in victum et cultum assignaretur. Ad quam rem haud parum consiliis et opera sua contulerunt primores civitatis, viri illustres Joannes Heidius, duumvir seu praetor, Guilielmus Krummestallius, Petrus Quentius, a medendi arte elarus, Christophorus Reiffius. Hi omnes, ut est in monumentis Friburgensis collegii, sociorum res curandas Bonhomio legato commiserunt, qui apud Greg. XIII. rem confecit, et Canisium anno MDLXXX. secum Friburgum deduxit.

Transeundi erant Bernatium fines et civitas foeda Zwinglii et Calvinii lue inquinata, cum explorator itineris et insidiator daemon facile conjiceret,

non e re sua fore illam Episcopi et Canisii profectionem, parum abfuit, quin ultimo viatores exitio involveret; injectis enim a turba manibus, connivente Senatu, populū mox ludibrio fuere, cum eodem die effusi ad spectaculum latronis rota prostringendi, pars nivium globos in eos jacularentur, pars raparum moles intorquerent, pars ocreas caeno infarcirent; quas illi indignitates pari tum constantia animi, tum patientia pertulere; Bonhomius tamen antistes amplissimus, Consules et Senatum oratione prudenti et modesta ita perculit, uti mox illos facti poeniteret. Nec impune tulit Albertus Stahel, sordidissimus cerdo, improbum caput, et auctor concitatae turbae, qui ingressis in urbem peregrinis, seditionem movere coepit, et palam vociferari, hosce potius, quam latronem illum, qui tum palam ad supplicium raptabatur, cruce dignos, et mox egredientis Episcopi mulam cauda prensam evertere, vehementemque excutere, ne quicquam conatus, vertente anno ipse foedissimus homo, reus turpissimi incestus, capitali supplicio mactatus, caelesti vindicta sacrilegum caput, ut solet, persequente interiit. Bonhomius, ubi cum Canisio Friburgum attigit, cum senatu Bernatium per literas de jure gentium, quo legati etiam apud paganos et hostes defenduntur, expostulavit, qui se purgare, quod paria apud alios populos exspectare poterat, non omisit.

Subjiciam hoc loco, quid reverendus et doctrina juxta ac sacra praefectura vir clarus, Sebas-

CXXVI DE VITA P. CANISII

tianus Veronius Friburgi ad S. Nicolai praepositus de adventu Canisii, quo reliquis postea annis familiarissime est usus, annotarit: *Cum, inquit, civitati Canisium sisteret Episcopus, En, ait inter caetera, habetis Friburgenses gemmam, in theca serica, virum in bombice servandum. Quae porro fuerit civitatis gratulatio, quis amor in Canisium, lacrymae loquantur, quae eo mortuo civium oculos irrorarunt. Nec vero Petrus, tametsi affecta aetas praeteritis laboribus finem suadebat, sibi quiescendum putavit. Concionatus est, donec tandem aetatis gravitate oppressus, non tam quievit, quam laboribus omnino exhaustus, laborum reliquiis, id est, morborum tolerantia patienter est exercitatus, ut adeo sciret collegium Friburgense sui institutorem per omnia fuisse probatum, ut omnes Deo lucri faceret. Haec Veronius.*

COLLEGIUM Friburgense inchoat.

Caput VIII.

Vix Canisius Friburgum ingressus erat, cum mox in assignatam sibi D. Nicolai primariam Cathedrali progressus, *nunquam enim virtus est otiosa, sex ipsos annos Senatum populumque Friburgensem ad caelestis vitae spem, morum disciplinam, et*

LIBER II. CAPUT VIII. CXXVII

religionem constanti animo profitendam instituit. Tum deinde morbo correptus, qui mentem illi prope eripuit, a dicendo abstinuit. Veronius valetudinis causam in senectam aetatem, vitae severioris disciplinam, jejunationes et curas ex obstrepentium quorundam Sociis malevolentia natas confert. Sed post triennium receptis viribus ad institutum rediit, populumque erudire pro concione perseveravit. Cives ut viri innocentiam, morum suavitatem, eruditionis excellentiam, cum pari modestia et prudentia conjunctam perspexere, de tota societate ex uno velut indice existimarunt, et magnopere sociorum operam sibi praesentem exoptarunt impetraruntque. Designata post in domicilium sede percommoda, et ab opificum strepitu remota, in loco urbis editissimo fundamenta Collegii Canisius ipse applaudente cive feliciter jecit, quae paullatim ad justam altitudinem (quamvis saepe opus adversariis Societatis interpellantibus surrexere; demumque anno MDXCVI. in perfectum Collegium Sociis immigrantibus, Canisius frequenti populo primam in sacello tumultuarie ad Musei aditum excitato concionem habuit, quae simul illi ultima fuit, anno, antequam de statione vitae decederet, dumtaxat uno. Lemma concionis erat institutae Societatis ratio, vivendi modus finisque, studia docendae juventutis, erudiendi pro concione populi, ejusdemque per confessionem expiandi, sublevandi in valetudine, firmandi in morte, solandi in aegrimoniis, reducendi ab haereseos erroribus in viam, aliaque hoc

CXXVIII DE VITA P. CANISII

genus plura. Fecit postea gradum ad Magistratus, quo consilio ad excitandam tam nobilem, amplam et sumptuosam molem aedificii fuerint impulsus; promissi demum conatus nostri ad universam Reipublicae et singulorum salutem procurandam. Secundum rem divinam (in qua praeter ordinem Ecclesiasticum, Vicarium et Praepositum; Duumviri, alique viri principes civitatis interfuerunt) citum ad religiosam mensam, exceptique iidem pro copia inopiae nostrae liberaliter, quodque defuit in epuli splendore, supplerunt tres oratores, qui aures pascere convivarum grata beneficiorum in nos commemoratione, aliisque rebus exponendis, quae ad rem praesentem faciebant, conati sunt. Certe gratum id fuisse officium auditoribus declaravit praetorum alter, quando copiose respondit ipse, promissa etiam ampliore cura tuendae et ornandae Societatis. Quanta porro civitatis in Canisium pietas ac studium fuerit, vix dici credive potest. Illa inprimis: nunquam ipsos voluisse se illius praesentia privari, eo potissimum consilio, quod cum nullum in sua civitate viri sancti corpus haberent, hunc, quem viventem tanta inter ipsos tam admiranda sanctitate fulgentem viderent, permittere nollent alia in civitate, aut apud alios depositi sui monumentum relinquere, ut post ejus mortem, quot essent in civitate homines, tot haberent illustres sanctitatis primum spectatores, postremo etiam testes oculatos. Quid dicam quanto illum studio dicentem audierint? imo et videre desiderarint? Quam primum cog-

nitum est, Canisium in concionem proditurum, quamvis senem et viribus, et voce, et lateribus defectum, ingentes omnium ordinum concursus fiebant, non ad eum audiendum tantum (quamvis extremis annis peraeque, praesertim a paulo remotioribus vox debilior acciperetur) sed ad caelestem illam faciem senio et religione venerabilem contemplantam, tota Germania jam olim et notam et spectatam, cujus solo aspectu mira quadam dulcedine delectari, sed nunquam satiari poterant.

EXTREMUS VITAE ACTUS.

C a p u t IX.

Multum debemus diligentiae et sapientiae Veronii, paullo ante laudati, qui non solum dicta factaque sub extremam ejus aetatem prudenter observavit, sed et in literas misit. Ex quibus potissimum, quod deinceps dicturi sumus, tanquam praesentis, oculati et jurati testis tabulis hauriemus. Quamquam et alii permulti hodie vivunt, qui narrationem meam veram sinceramque arbitrari poterunt; neque enim adeo multi a morte Canisii fluxere anni, quando hic sextus decimus agitur, cum haec litteris consignavi. Debilitato corpore et robore maximis laboribus, cum ipsis annis exhausto, vigor animi non solum hebetatus non est, sed ita recens, praesensque, ut quo magis aetas ingravescere, hoc

magis ille juvenescere et reforescere videretur. Quid enim hoc ultimo vitae decemio non elucubravit? quando inter haec assiduo precandi studio deditus, ante meridiem horas omnino quaternas, ternas secundum prandium, partim rerum divinarum contemplationi, partim legendis Psalmis tribuebat. Angustam ex Helvetiis tertio et octogesimo millesimi quingentesimi ad conventum Sociorum evocatus venit, et gaudio non Sociorum tantum, sed familiarium omnium, illustris praesertim matronae Sibyllae Fuggerae incredibili gaudio, et veneratione exceptus est. Ubi et Socios gravissima adhortatione domi (quam ego tum tiro Societatis audivi) ut ad studium meditandi excitaret, commonefecit, vehementerque cohortando asseveravit, nos ad ultimum Christi tribunal causam dicturos de hora rebus divinis contemplandis assignata, si illam vel otiose et segniter transigeremus, vel neglectam omnino praeteriremus. Idem, ut cum Canisio Friburgum revertamur, quidquid a cultu numinis reliqui temporis habuit, id omne fere in sacrarum literarum cognitionem, librorumque componendorum laborem studiosissime contulit, uti tam prodesset absens posteritati senex, quam juvenis olim profuisset praesens. Revocavit deletos prope ex hominum memoria sanctorum ac tutelarium Helvetiae praesidum res gestas: sancti, inquam, Fridolini Claronensium et Seekinganorum apud superos advocati; S. Beati, qui primus ad Helvetios legem Christianam attulit, quem prae ceteris veneratur

LIBER II. CAPUT IX. CXXXI

Lucernensis Respublica, cum iis qui ad Arulam flumen colunt; S. Ursi inter purpuratos caeli proceres illustris, cujus patrocinio Solodorenses gloriantur; S. Mauritii cum fortissima legione sua apud Valesios potissimum venerandi. Meditatus est, et super Evangeliiis Notas et Conciones, et precationum quotidianarum Enchiridion. Nec oblitus est reginarum, quae Ferdinando Imperatore natae ex prima Canisii institutione Halae ad Oenum sanctissimam vitam degebant; Paraeneticum patria lingua conscripsit, quo totius vitae Christianae perfectionem complexus est. Eodem tempore varias Epistolas in omnem Germaniam, partim ad amicos et domesticos, partim ad illustres viros et matronas, quibus vel ad salutis aeternae praemium consequendum praecepta dedit, vel in fortunae adversae statu deprehensos ad animi aequitatem prexit, vel ultimis morborum cruciatibus afflictos consolatus est, cujus rei testes hodie literae complures ad Gregorium Roseffium, usque ad ultimum vitae spatium exaratae leguntur. Testes ad Octavianum Fuggerum, II. Virum urbi praefectum. Testes etiam ad utrumque Marcum Velsorum, seniore inquam, et religiosa potius quam civili vita perfunctum, et alterum aetate minorem, dignitate, eruditione et civili magistratu illustriorem, qui hodie Duumvir rempublicam Augustanam cum suo Collega Jo. Jacobo Remboldo administrat, quem noster frequentibus literis ad scribendum, et sanctos viros olimque Augustae florentes e tenebris erue-

,*

CXXXII DE VITA P. CANISII

dos pro honore et tutela patriae cohortatus est; unas duntaxat fidei causa subdam.

PAX JESU CHRISTI

nobis aeterna, magnifice Domine Consul.

Prudenter factum arbitror, quod sit visum Augustano Senatui, ut ad consularem dignitatem diligereris, eamque tibi et huic inclitae Reipublicae salutarem fore confido. De literis tuis ad me humaniter scriptis gratias ago, quibus et munus egregium adjunxisti, vitam novam viri sanctissimi Udalrici, eamque typis excusam eleganter Augustae, ubi antea nullus vel exiguus erat usus chalcographiae. Ea res auget nobis fiduciam, fore ut Catholicismus paulatim istic efflorescat, Deo Opt. Max. auxiliante. Nec dubito fructum ex hac historia proditurum, quae non Augusta nos modo, sed exteros etiam variis de rebus utiliter moneat ac instruat. Suo palato serviant homines delicati; tuum ego iudicium probo, quod veterem vitae hujus editionem bona fide servaris, nimirum ut venerandae antiquitati suus locus honosque constaret, ac vera potius, quam diserta in lucem prodirent. Atque utinam plures id genus historiae de sanctis et antiquis Germaniae nostrae pastoribus ac Episcopis evulgarentur. Optamus Antwerpiae typis excudi, quod promissum fuit opus de divinis Belgicis, multoque magis desideramus absolvi non modo sextum tomum, sed integrum

LIBER II. CAPUT IX. CXXXIII

quoque opus C. Baronii venerandi senis, quem divina bonitas nobis et Ecclesiae diu sospitem conservare dignetur. Quum ad illum Romam scripseris, reverenter ex me salutetur, quaeso. In illo et per illum perficiat Christus, quod egregie coepit ad communem aedificationem Ecclesiae suae. Verum auguror, fore, ut posterior Annalium pars tanto illi plus negotii adferat, quanto frequentius tractandae fuerint controversiae non leves, quas petulanter satis injiciunt adversarii pro suis Caesaribus pugnantes mordicus, et ad Pontificum invidiam cuncta detorquentes.

Rogo iterum, ut magnificum Dn. Joannem Velsorum, et D. Marcum, aliosque vestrae familiae patricos, amanter ex me salutare digneris. Amavi et amabo in illis praeclaram Catholicae fidei constantiam: agnosco simul veterem illorum erga me benevolentiam et humanitatem, quae gratam et jucundam memoriam illorum refricat mihi, simulque ad Deum pro iis invocandum calcar addit. Pergant, obsecro, suae vocationi in timore divino satisfacere, suaeque patriae hominibus opitulari, tum de Augustanis hoc difficili tempore, quo Deus iratus peccata nostra castigat, bene mereri contendant. In Christo Jesu bene vale, magnifice Domine cum tota familia tua; et me senem tibi tuisque commendatum habe semper. Friburgi Helvetiorum 13. Junii anno salutis nostrae 1595.

Fuit hic Jo-
annes Velsor-
us II. vir,
nostri Anto-
nis pater.

CXXXIV DE VITA P. CANISII

*Praeterieram fere sanctum virum, et perpetua memoria dignum, licet saeculo nostro incognitum, vereque Catholicum confessorem Gualdsardum, cujus praeclaram effigiem abs te missam libenter accepi. Dignus est sane, qui reliquis Ecclesiae Augustanae patronis adjungatur, et quotannis die certo in Ecclesia celebretur; potissimum vero ab Augustanis Catholicis in pretio habeatur. Deo gratia, quod hunc nobilem Christi militem velut e tenebris in lucem protrudis, tuamque patriam hoc illustri cive proposito, spectabiliorem efficis. Magnum sane praesidium senectutis in literarum meditatione, quae cum illo consueverant, expertus est Canisius, uti fere praeclareque dictum sit, a sapiente: *Studia senibus pro viatico esse.* Defunctus enim Canisius iis laboribus, qui robur et latera desiderant, gratissimum in voluminum sacrorum tractatione quietis portum invenit. Ita ritu priscorum fere anachoretarum, extremam aetatis partem in piorum votorum religione et scriptorum evolutione consumpsit, ut a precando fessum lectio reficeret, et lectione fatigatum precatio grata vicissitudine recrearet.*

MORS CANISII.

C a p u t X.

Flectebat sensim Canisius aetatis decursu vitae metam, annisque juxta ac laboribus fessus, senectate jam aetate paullatim caelum spectabat, peracta jam sua fortuna felix; poterat enim cum D. Paulo vere exclamare: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo repocita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus judex.* Cupiebat ergo dissolvi, et esse cum Christo, pro quo tot labores, annos amplius sex et septuaginta exhauserat. Valetudo ejus praeteritis annis constans et firma, tum primum tentari gravius coepta, cum septimum supra sexagesimum annum ingrederetur, quo tempore se concionandi munere abdicavit, simulque tam periculoso morbo correptus est, ut laeso cerebro, multis e potestate mentis exiisse crederetur. Collegit tamen sese, et ad usitata studiorum et precum officia mox revertit. Sed morbo reciprocante identidem in lectulum rejectus est, nec ita revaluit, ut pristinum corporis vigorem recuperaret. Jam scipione niti, jam incurvus incedere, ac terram spectare, animo vero ad caeli templa toto pectore adspirare.

CXXXVI DE VITA P. CANISII

Sane si vires corporis et constitutionem naturae attenderes, multorum iudicio aevum in longe majus spatium propagaturus videbatur. Sed vigiliarum excubiis emaciatus, mensae tenuitate exhaustus, peregrinationum et itinerum molestiis fractus, et quod caput est, cruce illa, quam sensibus jam pridem defixerat, mactatus, ut *granum frumenti in terram cadens* fructum multesimum afferret, non potuit ad naturae metas, quas illa fortasse longiore intervallo positura fuerat, penetrare, compendio nempe viae brevioris ad caelum per sui victoriam reperto. Primum omnium anno Christi MDXCVII. quo vitae excessit Canisius, pedes, quibus tot terrarum spatia haud paucis annis emensus erat, fungi officium sensim recusabant, ut ipse in literis ad Gregorium Roseffium eodem anno tremente jam dextra scriptis narrat: *En, inquit, rudis charta senili manui prope respondet; ignoscat, quaeso, caritas tua imperitiae et incivilitati meae. Labores quadragesimales, uti confido, feliciter confecisti, et ad Paschalem quietem cunctis gratam emersisti, in qua cupio te recte valere: Sensi ego et sentio, pedes meos officium suum non facere, ut aliquando sit difficile sacrificare, fortassis non dispar imbecillitas Ingolstadii quoque prosternit fratrem atque rectorem. Benedictus fons ille bonorum, per quem augentur senibus torpor, fastidium, oblivio, injuria, molestia, et reliqua id genus incommoda, quae nos in fragili tabernaculo habitare, et ad meliorem vitam tendere hortantur. Age*

LIBER II. CAPUT X. CXXXVII

pater, communes illi agamus gratias, in cuius manu sortes nostrae versantur, et cuius opera florentem Augustam tot jam annis experimur. Vidimus Trucksessios, Fuggeros, Rellingeros, Welseros, aliosque paternos insignes et amicos, quorum beneficentiae multa debemus. Praeclaris horum vestigiis imitandis insistamus, ut de tanta Republica bene mereamur, ad quam sublevandam mirabiliter sumus cooptati. Tam commode habitatis, fauentes ac laeti auditores discipulique suppetunt, augetur et piorum numerus ad nomen Domini in vero Ecclesiae spiritu collaudandum. Igitur singularem Dei gratiam agnoscamus, quo duce inter impios laeti convivimus, pueros et senes instituimus, Ecclesiae sacramenta dispensamus, libros tali emporio dignos conscribimus, clerum ac populum de pietatis officio admonemus, ac demum hanc Vindelicorum Augustam Deo summo magis magisque lucrifacimus. Vestri collegii sacerdotes ac fratres, quorum cara est mihi memoria, optime valeant cum patronis et amicis universis. Tuam salutem cura diligenter, nullum ut locum tribuas tristi pusillanimitati, meique memoriam tuis precibus interponere non graveris, oro. Friburgi Helvetiorum 20. April. 1597. In eandem fere sententiam ad collegii Augustani praesidem Georgium Schretelium eod. anno pridie Cal. Octobres literas dedit.

Idem queritur in Epistola ad Theodoricum Canisium non toto mense ante mortem data. Pedes ergo, quarto ante supremum ejus diem mense, suf-

CXXXVIII DE VITA P. CANISII

fusa intereunte unda, intumescere coeperunt, qui et sensim reliquum corpus in eandem labem traxere; stomachus aversionibus laborare, et crebros ciere ructus, ut etiam fauces exulceraret. Crebrius tamen sedebat per diem, quam lecto decumbebat, quo maxime urebatur, nec morbi genus sine gravi labore lectum admittebat, quod in hydrope non ignotum, quando humoris copia jacentis cor petit, et meatus pulmonum liberos intercludit. Viserat ad illum paulo ante Joannes Comes Turrianus, Episcopus Viglianus, quicum multa familiariter tractarat, a cujus digressu mox fatali aegritudine contactus, et sacras ex ritu Ecclesiae preces recitare prohibitus, quod unum aegro relinquebatur, animi caelesti contemplatione pascebat, seseque numinis curae totum permittebat, cum subinde dictitaret, magnas se Deo gratias debere, quod extremos vitae dies more majorum et Sanctorum Patrum exemplo, non sine magno corporis cruciatu transigeret, singulis mortalium aeterna lege praescriptum, quibus initiis vitam ordiantur, qua sorte spatium aevi decurrant, quo denique lethi genere ad metam perveniant. Triente anni in hoc morborum conflictu jactatus, cum, qui medicinam illi faceret, desideraretur (quod anno superiore Petrus Quintius disciplinae medendi in paucis gnarus, et Canisii studiosissimus fatis concessisset) nihil, inquit, opus silicernio medicamentis; ad plures eo. Prædie ergo ejus diei, qui S. Thomae solennis est, Martino Lycio Collegii Moderatori animadvertenti

LIBER II. CAPUT X. CXXXIX

Canisium collapsis viribus etiam linguae usu ex destillationibus prope destitutum (quod aegre loquentis vox aegrius a circumstantibus acciperetur) admonenti de animo ad extremam mortis luctam confirmando videri ultimum illi vitae discrimen imminere, promptus annuit; imo ultro petiit; et postridie, qui Dominicus erat caelesti Synaxeos epulo pastus jacuit supinus in rerum divinarum meditatione usque ad meridiem assidue defixus. An caelesti aliquo Virginis ac Matris Dei, (cujus laudes ingenti volumine celebrarat) viso exhilaratus, incertum; oculis certe in eam gratulantibus intentus, renidente vultu, coepit illam Angeli verbis salutare, et coronam legere. Intervenientem postea virum clarum et Canisio familiarissimum Joannem Willidium hodie Praetorem, seu Duumvirum et secundum hunc, Sebastianum etiam Veronium propter lectum assistentem, preces ad Deum pro se vivo mortuoque fundendas poposcit, nec verbum amplius adiecit, sed ex libello precationum usu diuturno prope attrito, vota ad Deum ultima admodum attentus prae se misit, inter quae cum et manus fluerent, et sensus omnis extingui videretur, rogatus, an sacro oleo, quod supremum depositis est praesidium, vellet injungi? nutu affirmavit. Sodalibus ergo in decumbentis conclave coactis, lectumque certatim ambientibus, inter vota precesque Patrum, duorumque e S. Francisci Sodalitate Cappucinatorum, et Christophori Reiffii viri Senatorii, Antonii Montenachii Archigrammatei, e fesso victoque labori-

CXL DE VITA P. CANISIUS

bus ac morbis corpore, spiritum velut e vinculis expeditum auctori vitae, ante quartam pomeridianam commendavit, ipso die S. Thomae anno partae salutis MDXCVII., cum vixisset annos LXXVI. menses VII. dies XIII. Postridie funus in aedicula Collegii expositum, totam fere urbem ad spectaculum adduxit, quae velut communem gentis et singularem civitatis patronum, ac parentem deploravit.

Ad solem inde occasum, delatum ex domestico sacello in principem urbis aedem S. Nicolai, post funebrem laudationem a Sebastiano Veronio summi templi Praefecto frequentissima concione dictam, octava hora sub atram noctem sidus illud Germaniae et illustre totius Societatis jubar, tumulo ad summi altaris primum gradum, ubi Sacerdos litaturus consistit, quando sacrum inchoat, medio choro illatum, monumento ad latus a Joanne Wildio viro illustri hodie Praetore condito, et hac Epigrapha a Veronio inscripto etc.

D. O. M.

VENERANDUS IN CHRISTO PATER
PETRUS CANISIUS THEOLOGUS
NOVIOMAGI NATUS
SOCIETATEM JESU
TERTIO A CONFIRMATIONE ILLIUS ANNO
INGRESSUS
AC SACERDOTIO INSIGNITUS
OB MAGNI SIMUL ET PLACIDI ANIMI
PRAESTANTIAM

LIBER II. CAPUT X. CXII.

**A COLONIENSI ECCLESIA AD CAROLUM V. IMP.
AB OTHONE CARDINALI AUGUSTANO
AD S. CONCILIUM TRIDENT.**

**A CAROLO V. IMPERAT. VORMATIAM
CONTRA MELANCTHONEM HAERETICUM:**

**A PIO IV. PON. MAX. AD PRINCIPES GERMANIAE
IN FIDE CONFIRMANDOS
MISSUS.**

**POSTQUAM ROMAE IN SICILIAE ET GERMANIAE
ACADEMIIS DOCUISSET**

**DIU APUD FERDINANDUM IMP.
ET PASSIM SUMMA CUM LAUDE
VERBUM DEI PRAEDICASSET**

**PRIMUS PROVINCIALIS SOC. EJUSD. IN GERMANIA,
AB IPSO SOC. AUCTORE P. IGNATIO
DATUS FUISSET**

**SCRIPTISQUE FIDEM CATHOLICAM
EGREGIE ILLUSTRASSET**

**AUSPICHS REVERENDI D. JOANNIS FRANCISCI
EPISCOPI VERCELLENIS NUNCII APOSTOLICI**

**FRIBURGUM SEXAGENARIUS VENIT,
COLLEGII SOCIETATIS FUNDAMENTA JECIT.**

MULTA PRAECLARA DOCUMENTA DEDIT.

**ET QUASI QUIDAM FRIBURGENSIVM PATRONUS,
ECCLESIAE PER HELVETIAM PATRIARCHA
RELIGIONIS CATHOLICAE SUI TEMPORIS COLUMNA,
TOTO CHRISTIANO ORBE NOTISSIMUS**

**FIDE PRUDENTIA INDEFESSO SCRIBENDI LABORE
ABSTINENTIA PERENNI GRAVITATE
ANIMI PURITATE,**

**FLAGRANTISSIMO DEI AMORE
MULTAQUE SANCTITATE CLARISSIMUS
MIGRAVIT AD CHRISTUM**

**FESTO S. THOMAE APOSTOLI.
M. D. XCVII. ANNO AETATIS LXXVII.**

Caeterum corpori humi condito imminet candidum marmor, quod germani fratres quatuor, viri nobiles amoris et cultus adversus Canisium et Societatem argumentum cum hoc Epithaphio fieri curarunt :

**MONUMENTUM
VENERANDI PATRIS
NOSTRI
PETRI CANISII
SOC. JESU
THEOLOGI.
NN. NIC. ROCH. GEORG. PET.
FRATRES A DIESBACH
POSS. M. D. XC. VII.**

FORMA CORPORIS ET FIGURA.

C a p u t XI.

Quamvis in fronte libri ex descripta imagine formam Canisii expresserimus, juvat tamen eandem hic calamo quasi suis depictam coloribus illustrare. Statura fuit ex mediocri magis ad proceram accedente, vultu semper ad modestam et religiosam gravitatem composito, acie oculorum acri, et infinita lectione nunquam hebetata; quamvis laevus nota maculosus esset, frontè porrecta et oblonga, coma quam alebat, nigricante, et canis etiam in ultima senecta admodum raris aspersa. Sermone

atebatur leni, lentoque et benigno, vehementi tamen et acri in delinquentes. **Habitus gestusque corporis optime respondebat religidsae et promissae vesti. Memoria unico doctrinae thesauro viguit adeo felici et fideli, ut non facile eam vel auctorum copia obrueret, vel rerum cogitarum lectarumque varietas confunderet. Cum primis mensibus ab adventu Sebastiani Veronii victu tectoque uteretur, rogatus ab eodem locum e D. Basilio, quem Veronius meminerat, nec investigando reprehendere poterat, illico citra ullum aliud memoriae adminiculum indigetavit, libro simul et capite, quo de re quaesita agebatur, expresso. Mirari possis et gratulari hanc illi felicitatem, cum inter tot negotiorum tam diversorum causas illa non est labefactata, quando simul provinciam Sociorum procuravit, simul pro suggestu populo legem Christi explicavit, simul tot et tam magna volumina condidit. Nempe munerum caelestium et divinorum auctor Deus, pro tanta sapientia, qua pectus ejus inundarat, etiam amplum illi pro tanto thesauro receptaculum assignavit, ex quo velut ex perenni fonte hauriret, quod diceret, scriberet, cogitaret, actitaret.**

D e V i t a
R. P. PETRI CANISIL
L I B E R T E R T I U S .

C a p u t I.

PIETAS ET RELIGIO CANISIL.

Uti plerique veterum heroum futurae vel fortitudinis vel claritatis in ipsa propè infantia, aut certe pueritia prodidere indicia; quemadmodum de Alexandro, Scipione, Hannibale, Julio, Augusto (ne de Hercule, Achille, Cyro, quae fabulosa videri possunt, memorem) narrant scriptores; ita viri sancti, in tenera jam tum aetate futurae olim sanctioniae et religionis argumenta praebuere, e quibus sapientes conjicere poterant, ad quod vitae genus, quamque virtutis, vel eruditionis, vel eloquentiae laudem quisque esset adspiraturus. Ita ludicra S. Anastasii pueri verterunt in seria: Ita S. Edmundi Archiepiscopi, S. Vincentii, Bernardini, aliorumque initia pietatis, futurae claritatis indicia cognovimus, cum ipsi adolescentuli puero-

rum coetus cogerent, et velut jam tum Ecclesiastæ sedilia altiora tanquam suggestam conscenderent, ac de rebus divinis ad eosdem verba facerent. Ita Canisius puer in aedibus paternis aequalibus suis e sede veluti pro concione vivendi praecepta dedit, quae primus ipse studiose observavit. Nam et florem corporis illibatum Deo admodum juvenis consecravit, et in omnem vitam custodivit, ne vel minima laebe impuritatis aspergeretur. *Maturus eram, inquit ipse, puer, cum in templo Noviomagensi, quod B. Stephano protomartyri sacrum est, aliquando precarer, et tuum sacrosanctum corpus, Domine, prope summum altare supplex adorarem: oblivisci non possum gratiae, quam tu puero tribuisti mihi. Nam anxie quidem et non sine lacrymis, ut opinor, te invocabam, et desiderium meum aperiebam praevidens jam tum, nescio quomodo, et mundi vanitates, insaniasque falsas, et vitae salutisque meae per multa pericula, et objectos undique laqueos venantium, ut hinc pauci effugerè possint. Igitur ut periclitanti adesses, orabam, illudque dicere videbar: Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, quia tu es Deus salvator meus. Ac postea, cum apud aureos Martyres Coloniae degerem, sensi hoc votum in me saepius renovari, ut peterem anxius gratia tua duce certam mihique salutiferum vitae genus demonstrari. Credo certe hunc spiritum timoris, piaequae sollicitudinis tu peperisti, tu conservasti, Domine, ut aetas lubrica, et ultro*

lasciviens timorem paedagogum atque custodem haberet, et ego ad vias pravas minus dilaberer. Configebas enim timore tuo carnes meas, ut a iudiciis tuis inciperem formidare. Atque in hac ipsa aetate sum expertus, quod haud sine angelo tuo custode meo factum arbitror, ut rerum sacrarum inaginibus, ac templorum caerimoniis subinde delectarer. Igitur sacrificantibus aliis, libenter inserviebam. Imo sacerdotis personam mihi sumebam puer, et illius aemulabar officium cantando, sacrificando, precando. Exprimebam, ut poteram, coram aequalibus ea munia, quae sacris operantis sunt propria. Videantur haec studia prorsus puerilia, sed in quibus aliquando tamen apparet futura mentis indoles et mirabilis providentiae tuae ratio a sapientibus cernitur atque comprobatur. Haec ipse de se puero Canisius senex in libro confessionum, quem e Landspergensi domo, cui

MDLXVIII. illum dedicavit, accepi. Anconae cum Augustano Episcopo Romam petente, moratus, inter vota novo lumine mentis illustratus in sui cognitione et contemtionem mirifice profecit, eamque caelestem gratiam ipse magnopere praedicavit. Reperio in chartis ipsius manu scriptis legem ab ipsomet sibi dictam, ut ante sacrificium a studiorum quamvis caelestium et divinorum (nam profana multis annis ante extremum diem nec attigisse quidem videtur) occupatione abstineret; nec eadem postea ultra unam aut alteram horam continuaret: Quarta pomeridiana penitus missa faceret, ut votis et Deo totum reliquum

diei noctisque tempus, quod a quiete vacuum erat, impenderet. Septenas certe quotidie horas, ut ante monui, ad auctoris credo nostrae gentis, Ignatii exemplum, precando traduxit, quibus non pro se tantum Deo supplicabat, sed preces pro omni fere genere hominum ad Deum allegabat. Singillatim commendabat Christo nominis Christiani antistites, provinciarum rectores, et quicumque in periculis et ultimo vitae discrimine versabantur. Denique titulos ac nomina causarum, quas apud Deum sollicitus et sanctus orator agebat, legimus supra quinquaginta annotata. Inter vota et supplicationes, magnam vim lacrymarum profundeat. Circa anniversarias sanctorum celebritates Friburgi aedem Principem S. Nicolai petebat, ubi in sacrario D. Joannis vespertinas laudes, tanto cum sensu animi persolvebat, uti pietate nonnunquam quasi sopitis sensibus a Deo absorberetur, quem ita nonnunquam deprehensum Sebastianus Veronius (a quo unice colebatur) excitavit, quando adeo difficulter ad se rediit, ac si gravi soporis veterno expergisceretur. Denique solum illud tempus recte impensum putabat, quod precando transmisisset. Reprehendebat socordiam nostram, quod nutus divinos ac caelestes instinctus non observaremus, cum per eos a Deo assidue ad vitae sanctoris studium excitemur. Sanctorum lipsana maximo sensu pietatis colebat. Argentorati in aede summa per jejuniorum solemniam pro concione praecepta salutis auditoribus propinabat, quae multi avidis auribus bibeant. Secundum

CXLVIII DE VITA P. CANISII.

ferias Paschales concilium **Canonicorum** haud spernenda abituro munera cum non modico auri numero obtulit, quæ ille, uti procul ab omni cupiditate pecuniae aberat, ita procul habuit, omninoque repudiavit. Cumque demirati porro quaerent, quid expeteret? nam vacuum abire se nullo modo passuros. Tum ille ex sacris **Divorum** cineribus **pignus** sibi gratissimum praeoptavit. Ductus in sacrum iussus est, quidquid placeret, seligere. Mox **S. Polycarpi**, qui **S. Joannis** sectator, nobilissimo **Martyrii** triumpho illustris erat, digitum tulit, quem **Monachii** relictum **Augustanum** post collegium accepit. Interim **Canisius** **Friburgi** consenuerat, et memor sui **Polycarpi**, articulum de digito reposcebat. Visum **Othoni** **Eisenreichio** **Provinciae** praefecto, totum illi et collegio **Friburgensi**, ad novam illic aedem coonestandam transmittere, tutelam urbi et contubernio nostro praesidium. Quae res mirifice **Canisium** affecit, quod ipse datis ad praesidem collegii **Augustani** literis declaravit. **Coloniae** dum apud **virgines Capitolinas** (hoc a **Capitolio** cognomen habent) concionaretur, duo e sodalitate **XI. millium** capita dono accepta sibi **Romam** indeque in **Siciliam** transmitti curavit, quae **Messanae** cum ingenti totius civitatis concursu et festa celebritate in societatis aedem illata sunt. Ita observatum est, a sanctissimis quibusque viris feminisque, **Ambrosio**, **Pulcheria**, aliisque, **Sanctorum** exuvias magnopere quaesitas, repertas, cultasque. **Erga** candidatos quoque familiae nostrae, qui **Lands-**

pergae Bojorum ad religiosae vitae disciplinam instituuntur, suam Canisius pietatem et religionem ostendit, cum sub initium ineuntis cujusque anni Xenii loco salutaria quaedam ad religiosam perfectionem praecepta ab usque Friburgo ad eos transmisit. Ex quibus unicum exempli causa subjiciam, ex quo de reliquis judicium fieri poterit. Cooptantur in societatis nostrae contubernium non adolentes tantum mansuetioribus literis exculti, sed viri quoque rerum usu periti, et divinis ac humanis sapientiae disciplinis eruditi, qui saepe ante paroeciarum curiones egere, aut omnibus Academiae honoribus sunt perfuncti, quos longe difficilius est a civili prudentia et astutia, ad religiosam simplicitatem traducere, ut prompti ad omnia majorum imperia advolent, nec curiose in jussa et imperata inquirant. His ergo reliquisque omnibus documenti ^{MDXXCIX.} loco summum Christi parvuli studium obsequendi et sapientissimam simplicitatem imitandam proposuit. Cum enim ex religionis Catholicae capitibus illud minime postremum sit, Christum quamvis infantem, et nondum etiam ex virginis utero editum jam rationis potentem, et qua consilio, qua prudentia praepollentem sapientia mortalium omnium intelligentiam longe superasse, nihilominus tamen se pro puero gessisse, et a parentibus haberi tractarique voluisse, seseque totum ad aetatis decorum et captum infantiae pueritiaeque efformasse, uti vita sua priori omnibus religiosae vitae tirouibus norma vivendi esset: quo candore animi, qua morum innocentia,

Lib. 2. cap.
VI.

vitaeque simplicitate, et iudicii quantumvis sublimis, acris et perspicatis dissimulatione majorum imperiis obsequendum esset. Quod ipse imprimis Canisius non verbis tantum docuit, sed factis ipsis, non tiro, sed veteranus et natu grandi atque sexaginta annis major expressit, cum et hebdomatim suas ipse vi-ces obiret, et ad modum tironum, nunc pulverem scopis abstergeret, nunc pavementum verreret, nunc culinarias a patinis sordes ablueret, nunc alia pro more domus curaret, tam simplici habitu et gestu corporis, uti nihil in eo quaesitum, aut affectatum deprehendi posset, cum vi animi polleret ingenti, et maximis viris, de maximis rebus consilia rogantibus velut ex oraculo responsa ederet.

Rarum hoc etiam, quamvis non unicum in societate spectaculum, virum a principum, regum, Caesarum auditorio, a pontificum legationibus, a sociorum et provinciarum praefecturis ad pulverem se abjicere, ut primus inter postremos, et postremus inter primos ageret. Scribit ad me Joan. Hasius, quem supra non semel testem certum laudavi, se ante annos admodum quadraginta accepisse a Severino bibliopego id aevi puero, Canisium adolescentem Coloniae. Musis operantem consuevisse in mensa defuncti calvam juxtim collocare, uti semper aspectu cranii et de vitae praesentis fine, et initio sequentis, ad quam mors duceret, admoneretur, haud ignarus eam cogitationem plurimum valere ad mentem a praesentibus avocandam, et ad caelestia aeternaque convertendam, quod sapientis dictum

identidem revocabat: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

PAUPERUM ET PAUPERTATIS STUDIUM.

Caput II.

In copiosa, potenti et consulari familia Canisius natus, infimae tamen fortunae et sortis homunciones minime contempsit, aut neglexit, ut hodie superba juvenus, miseros tanquam non homines rata, vix aspectu, nedum affatu dignatur. Canisius adhuc inter ephebos agens, Coloniae disciplinis liberalibus intentus, pecunias a parentibus pro cultu corporis liberaliter submissas, partim ad sublevandam egen-
tiorum inopiam, partim in libros expendit, ipse modesto ornatu contentus, animum, neglecta cura corporis, studuit virtutibus excolere. Tertium post et vigesimum ingressus annum etiam voto paupertatem signavit, Deoque omne patrimonium suum et fortunas transcripsit. Nam Jacobo Patre, anno post virginis partum MDXLIII. mense ultimo ad superos profecto (sic enim Canisius a Deo certior factus est) Neomagum vocatus, cum sorore Wendelina de haereditate convenit, ut illi ultro primas offerret in bonis deligendis, ipse magnam partem

sortis suae in coetus religiosorum, aut stipem rogantes liberalissime tribuit, alteram navi impositam, secumque Coloniam deportatam omnem in pios usus convertit, sibi nihil omnino retinuit, satis opulentum se ratus, si animum supra opes haberet. Quod noverca Wendelina sorori cognominis, peraeagre, uti supra explicatum est, tulit, graviterque cum illo et nostro Fabro expostulavit. Sed soror de fratre sollicita monuit, ut futuri providus, in usus necessarios, et casus ultimos, qui in vita varii possent et solerent incidere, aliquid opis humanae conderet, addiditque de suo se illi quotannis triginta aureos adjecturam. Grata fuit Canisio pietas sororis, sed rejectis omnibus respondit: nihil sibi his opus esse; sua se ei credidisse, qui possideret omnia, et qui centuplo compensaret in praesenti, et deinceps vitam praestaret sempiternam; proinde se illius benevolentiae gratias meminisse; sibi abunde suppeditatum iri necessaria ab eo, cujus obsequio se mancipasset. Rediit in patriam biennio post, quam deinceps non vidit amplius, nisi post duos et viginti annos, cum a Pio IV. missus est Legatus ad principes imperii, quando Guilielmus Sicambrorum regulum salutavit. Ibi vero cum Neomagi inter sorores et sororios, reliquosque cognatos (quorum centum et viginti superstites omnes proxima vel propinquitate vel affinitate Canisium contingebant) certaretur, qui Canisium prius domum suam ad lautas epulas deduceret, ipse tam officiosam litem suorum admodum eleganter et pie

composuit, hortatus singulos, ut, qui sibi gratum vellent adornare convivium, symbolas conferrent, simulque omnes ad publicum urbis valetudinarium deferrent, ibi per confessionem expiati prius ad caelestis agni mensam accumberent, deinde corpus curarent. Placuit haec Canisii pietas propinquis, magnumque ciborum et vini numerum in xenodochium deportarunt, sacram synaxin religiose sumserunt, ac demum sobrie pransi plura egentibus analecta reliquerunt, quam ipsi in epulo absumpserunt, rarum hodie, imo olim etiam exemplum. Eodem loci cum domum sororis omnes propinqui Canisii convenissent, praefatus de futuris bellorum tempestatibus et religionum dissidiis singulos ad constantiam in tuenda prisca religione vehementi oratione adhortatus, ita commovit, ut omnes stipulata manu pollicerentur, se ne latum quidem unguem a Catholica disciplina et doctrina discessuros. Nec fidem fefellere: centum quinquaginta hodie ex Jacobi patris Canisii stirpe numerantur, qui Romanam Ecclesiam magistram religionis et veritatis agnoscunt coluntque. Argentoratum vocatus per ceneralia de rebus divinis, cum populo frequente egit; secundum Paschales ferias accepta missione, summaque auri non parva oblata, nihil omnino admisit. Polycarpi duntaxat digito, quem omnibus thesauris gratiorem habuit, accepto, cum omnium admiratione et abstinentiae commendatione, recessit. Nuntius pontificis unico socio contentus, legationem ad principes, sine ullo fastu aut comitatus

ambitione obiit, auctoritatem a virtutis et eruditionis laude mutuatus, quam plerique in officiis aulicis, numero comitum et urbanis elegantibus ponunt. Nec diu nomen et munus retinuit. Nam cognita Pii morte extemplo se dignitate abdicavit.

C U S T O D I A S U I.

C a p u t III.

Praecipunt scriptores, qui ascetica tractarunt, ut religiosi viri, qui se Deo probare student, in perpetuis quinque sensuum excubiis perseverent, quod hostis per illos veluti animi claustra portasque irrumpere soleat, et ingentem intus stragem virtutum edere. Qua in cura ita pervigilavit Canisius, ut etiam in publicis itineribus, cum socii amoena camporum viridaria, elegantem florum varietatem, silvarum opacitates, baccarum ubertates demirarentur, et Canisium ad tam laetum naturae, veris et aestatis spectaculum invitarent, ille tamen hanc oculis suis gratiam negaret, quod majoribus a Deo animi oblectamentis pasceret, prae quibus omnibus illi mundi ornatus sordebat. Monebat suos, caverent accutate sibi ab insidiatoris artibus, ne sensim subduceret nobis, quod magno sudore collegissemus; solere eum per cuniculos perrepere ad

mentem, ac primum oculos, et aures tentare, ut in varia spargantur, ac per illa cogitationes dissipentur; dein grassari ulterius, objicere varios auribus rumores, fabulasque; mox gulae irritamenta, tum ventris ingluviem et alia sensuum blandimenta, quibus omnes paulatim nervos virtutis elidat, ac totum hominem crebris assultibus tentamentorum in exitium trahat. Canisius proinde pro suo vitae religiosae usu, et rerum divinarum cognitione, has daemones petitiones elusit, cautissimeque declinavit, et aurium, oculorum; linguae, totiusque corporis sensum ita in potestate continuit, ut adsuetos habens fraenisque peritus aurigator equos; flagris corpus jam senio et laboribus fractum nihilo secius multabat, molestaque cilicii tunica trementes artus cruciabat, ita, ut vir extrema senecta a S. S. Brunonis coenobiarcha novam emendicaret, quam cum veteri sua permutaret. Cibi quoque tam modici erat, ut saepe intra octiduum non plus gustaret obsonii, quam unus aliquis uno solet capere prandio aut coena. Nec raro a prandio pridiano ad prandium postriduanum, jejunos perdurabat, nihil neque cibi, neque potionis admittendo. Merum non attingit, sed aquam vino potius, quam vinum aqua temperabat. Carne raro et ea minutim ad moreti formam concisa vescebatur; juris liquamen sorbillabat, olusculis et *Ἐηροφαγία*, seu aridis delectabatur. Cum stomachus jam aversionibus laboraret, saepius a ministro cubiculi fatigatus, ut significaret, quo cibi desiderio teneretur, aviculam tandem nominavit.

Prodiit in forum oeconomus, nullaque reperta tristic domum rediit; cum ecce ad vesperam aperta fenestra cubiculi avis quasi divinitus immissa, se nullo negotio capiendam, tantum non ultro offert. Qua in caenam apposita, et parva et unica contentus, nihil praeterea gustavit, ille tamen laute se opipareque eo vespere epulatum affirmabat. Inter mensam ad singulas buccellas tacite vel Deum, vel Sanctum quempiam implorabat, ita mens prorsus alia, dum corpus cibo reficeretur, pertractabat, ut saepe acetum pro vino bibiturus arriperet. Cum solennes jejuniorum dies agitarentur, etiam in ultimo morbo, biduo ante mortem a consuetudine reliquorum non recessisset, nisi imperio Rectoris alata gustasset. A familiaribus et civibus ad solennes epulas invitatus, nec a solenni suo desistebat, nec nisi temperatissime libabat potius dapes, quam edebat. Nec tetricus tamen ac tristis, nec contra solutus in risum laetitia gestiebat, religiosae modestiae et gravitatis ubique studiosissimus observator. Nec alias unquam de constantia vultus, et morum gravi suavitate quidquam remisit.

MIRACULA

Canisio vivo, mortuo patrata.

C a p u t IV.

Semper ex illustri capite sanctitatis emicant radii operum divinatorum, quae modum naturae excedunt, indices ac testes animi innocentis, ac Deo, caelitisque grati, quos et nostro Canisio Nupinis majestas vivo mortuoque imposuit.

Primum de Canisio etiamnum puero per religiosam matronam sive Reineram, sive Reinhardam seu denique Reinoldam; variant enim nomina, inter se tamen valde affinia, viduam Arnheimensem (abest autem Arnhemium Noviomago passuum milibus non amplius decem) nos docuit, qui vir esset futurus Canisius, cum vaticinaretur de Societate nostra ad Ecclesiae in pristinum splendorem restituendae salutem nascitura, in qua et Canisius esset suam operam locaturus; quo de prodigio ipse Canisius haec ad Joannem Busaeum cognatum, et ipsum quoque suis ingenii monumentis notum, perscripsit: *Benedictus Deus, cujus gratia mihi videre licuit, sanctam viduam Arnheimii, qua monente didici, de novo Sacerdotum ordine ad reformationem Ecclesiae instituendo, cui et ego adscribendus essem.*

Descripsit hanc viduam Joannes Busaeus literis ad me datis. *Erat, inquit, illa vidua cognata*

CLVIII DE VITA P. CANISII

ipsius, et ut puto sanctimonialis, de cujus sanctitate meo tempore apud Noviomagenses, qui tantum duobus miliaribus ab Arnheimensibus distant, opinio. Illam convenerat P. Canisius, antequam Societatem nosset. Illustriora de eadem Reinolda sive Reinharda ex literis P. Jo. Hasii inter Socios uti magnae auctoritatis, ita certae fidei accepi, qui ex sororis P. Canisii filia, illaque ex matre didicit; Reinhardam assidue domum Jacobi Canisii, qui Petri parens erat, intervenisse, toti familiae per familiarem, religiosissimam fuisse matronam, decem et octo annis nihil e macello, nihil e piscina in mensam intulisse; ad caelestem Christi mensam ter in hebdomade accubuisse. Quam ergo pia veraque faemina Reinharda, tam hoc non vanum de Canisio vaticinium fuit, cui virgo quoque Advatica seu Brabantina, teste ipso Petro Canisio, suffragata est. *Fuit, inquit, et vere virgo pia et sapiens apud Brabantinos, quae divino spiritu erudita commonefecit praeter alia meam operam et descriptionem Ecclesiae suo tempore profuturam. Deum testor nihil a me fingi, sed veritatem ingenue affirmari, haec ipse Canisius: Nec minus est illustre, quod sequitur. . Jacobus, Canisii pater, in gravem morbum, ex quo et decessit, inciderat, et Canisium ex se natum ac Coloniae studiis immersum saepius evocarat, ut extrema illi mandata ederet, et salvere ac valere postremum juberet. Accurrit Noviomagum Canisius, ut aegro officia praestaret, quae poterant a filio desiderari,*

An Reinolda fuit vidua, Reinharda virgo? et nomina confusa.

Sed Canisio conclave Patris ingrediente, pater e vita subito filii aspectu prae gaudio exanimatus migrat. Nè id mirum videri cuiquam debet, cum ex veteri memoria pluribus idem usu venisse cognoscamus. Sed Canisius morte Patris tam inexpectata vehementer percussus, et multo magis de salute illius quam vita sollicitus, miris curarum fluctibus aestuabat, quod verebatur, ne parum bene expiatus ad tribunal Christi reus sisteretur. Nocentem illam in votis et lacrimis absumpsit, supplicesque Deo preces stravit, uti pacem veniamque patri impertiretur. Audiit pios filii gemitus pro patre, pater misericordiarum Deus, et Canisio aperuit, non patrem tantum, sed matrem etiam (Aegidia illa erat, prima Jacobi uxor) quae jam pridem decesserat, caelo receptam. Quo divino responso exhilaratus, quantas potuit mortalis, immortalis Deo gratias egit, cum se novo Dei beneficio obstrictum grata memoria recognovisset, quod ego ex Dilinganae Academiae Rectore Christophoro Grenzingo, ipse ex Theodorico Canisio, Canisii fratre, accepit. Nihil enim placet nisi testatissimum in hac tota narratione collocare. Et erat Canisii pater rerum divinarum studiosus adeo, ut moriturus etiam vestes, quas habebat splendidas, et veluti trabeas ad pedes promissas, in sacrum sacerdotum usum verti juberet, et suae toparchiae templis dedicari.

Franciscus Costerus a libris et religione notissimus, anno MDC. ad conventum Sociorum publicum inter alios Romam vocatus, in itinere expo-

suit, Cornelium Wischovium civem Lovaniensem, opera Canisii, non sine divino nutu, ad Societatem nostram adjunctum. Petrus Faber ille unus ex Sociorum decuria, cum Francisco Strada id temporis candidato Societatis, postea claro in paucis viro Lovanium petebat, cui literas Canisius ad Cornelium perferendas dedit, quibus illum in haec verba compellabat: *Corneli amice, habes hic virum optimum Petrum Fabrum, cujus religionem amplectere. Sic enim, quam cupis, animi salutem consequere. Sed cum Franciscus Strada porrectis Cornelio literis, extemplo recessisset, lecta Cornelius Canisii Epistola, requirebat tabellarium nec usquam reperto, aedem S. Dominici adit, ubi supplex ad sanctam iconem B. Virginis: Sancta, inquit, Optimi Maximi Dei genitrix, literas accepi, quibus mihi mandatur, ut cum quodam de rebus ad salutem meam spectantibus agam; nescio, ubi hominem offendam; index ergo est sancta Domina, et quaerenti, quos desidero, ostende. Accipit caelestem vocem Cornelius, et secundum coenobium jubetur dextrum viae latus ingredi, tertiaeque inde domus ad sinistram fores pulsare. Paruit ductrici Virgini Cornelius, et recta ad Petri Fabri domicilium delatus, per Franciscum Stradam ad Fabrum deducitur, a quo officiose exceptus, nostraeque vitae rationes edoctus, mox domo Socii addicta, ipse dominum in Societate nostra sequutus est. Haec, inquit, est religio, quam longis votis desideravi, et laetus tandem impetravi. Absolvit*

Cornelius vitae curriculum in Societate sancte et religiose, quod ducibus viae optimis Canisio et Fabro .est ingressus. Sed pauci sunt Cornelii, qui Deum tam promte et obsequenter sequuntur. Atque haec ipsa ut certa credas, tabulas en ipsius Francisci Costeri praeterito anno ad me missas! *Accepi hesterno die, quas R. V. dederat 5. Idus Janua-* Francisci Costeri litterae. *rii, cum initio vitae B. Mariae P. Petri Canisii, quod initium mihi valde probatur; estque conforme cum iis, quae mihi a B. M. P. Cornelio Wischovio narrata fuerunt, ejus condiscipulo apud D. Nicolaum Eschium, qui postea praefuit conventui Beginarum Bostemi. Addebat bonus P. Cornelius ad se datas ab eo ex Germania (Moguntia, nihil fallor) literas per P. Petrum Fabrum, quas ei Lovanium adferebat Franciscus Strada tunc adolescens. Cumque ei non esset otium illas statim legendi propter vespertinum officium, ad quod in Ecclesiam S. Petri properabat, post reditum, ut eas aperuit, multa invenit de nostrae Societatis instituto, quae ipsum ad illud non mediocriter permovebant, sed cum ab eo Franciscus Strada discessisset, ipseque ignoraret, ubinam hi duo in civitate hospitium haberent, contulit se postridie in templum fratrum Praedicatorum, ubi ad altare B. Virginis precatus B. Virginem pro auxilio inveniendae Domus illorum, et tunc divinitus ei suggestum est, ut portam internae civitatis juxta Monasterium S. Francisci egressus ad latus sinistrum januam cujusdam domus pulsaret, quod*

ut fecit, invenit ibi utrumque. *A. P. Fabro de instituto Societatis nostrae instructus, deduxit ambos in domum suam juxta Parochialem Ecclesiam B. Michaelis, quam Societati donavit, atque ex eo tempore Societas Lovanium non deseruit, ad quam concionibus praedicti Francisci Strada necdum Sacerdotis, multorum magna accessio facta est. Haec ab ipsomet P. Cornelio Wischovio audiui. Ubi typis fuerit excusus liber vitae B. M. P. Petri Canisii, quaeso ejus fieri particeps. Familiariter eo sum usus Coloniae, ubi ipsum concionantem audiui in aede Metropolitana. Vale mi R. Pater. Bruxellae Brabantiae 24. Januarii An. 1613.* Cum vota pro instituendo Monacensi Collegio faceret, promisit illi Deus felicem ejus Collegii successum, quod ipse Canisius literis ad Socios datis confirmavit, quas supra cognovisti. Godefrido Tristio Wendelinae sororis marito fatalem imminere diem absens cum divinitus praesensisset, dedit ad illum literas, quibus illum acriter hortatus est, uti se ad ultimam horam compararet; securim radici admotam mox e vita exstirpandae: proinde videret, uti mox ad tribunal supremi dictatoris, a quo nulla sit provocatio, sistendus, quomodo causam suam esset defensurus, rationemque de omni ante acta vita redditurus. Non nisi mensis ab acceptis literis intercessit, cum Tristius ad supremum judicem est citatus. Nec tacendum, iter facientem saepius ex ipso mortis discrimine esse ereptum. Quamvis enim pro Sociorum usu viam

nunquam solus ingrederetur, nihilominus ex intervallo nonnunquam sequutus, et sui ac suorum, omniumque praesentium oblitus, soliusque Dei memor, jumento vehens in avia abripietur, et flumina ingressus, non nisi per ignotos subito comparentes evanescentesque, quos caelites fuisse non ambigimus, ex mediis periculis servatus, et in viam reductus est. De quo illustre testimonium exstat P. Francisci Roccae, qui hodieque Romae vivit, et Canisii comes erat itineris illius, quod expono. Anno MDLXVII. nondum praefectura Provinciae defunctus Augusta Vindelicorum Oenipontem petebat Canisius, ut Collegii statum pro officio inspiceret, eademque opera de regiarum virginum Imperatoris Ferdinandi filiarum parthenone moliendo consilium poneret, qua regia corpora regum regi et Imperatori supremo, Christo desponsa aeternum custodirentur. Itum per Alpes, qua aedes sacra est religiosae familiae S. Benedicti nomini initiatae, ubi ab admirandis in supplices beneficiis virgo Ethalensis religiosissime colitur. Haeret monasterium in edito Penninarum Alpium jugo, ad fontes Ambronis, a Bojorum principe et Romanorum Imperatore Ludovico olim a fundamentis excitatum. Huc priusquam Canisius cum Rocca perveniret, Ambronis alveus, nunquam alias tam altus, adeo caelestibus aquis intumuerat, uti non riparum tantum crepidines excederet, sed pontis etiam fastigio superfusus, omnia longe lateque stagnantibus aquis inundaret, geminis duntaxat perticis ab utroque

pontis latere eminentibus, quae septi loco e ponte utrinque exsurgebant, per quas Canisius procul spectatas transeundum dicebat. Rocca animadverso periculo nonnihil cunctatus, monet Patrem de praesenti discrimine, sed Canisio (quod illac saepius transmisisset, et omnia tuta crederet), ut pergeret, urgente, Rocca Deo et imperantis religione fretus, coeptum iter prosequitur, jamque jumentum, cui insidebat, alvo tenuis mersum prope innatabat, pergit tamen Rocca et pontem ingreditur, quem medium, saxum ingens, sed latens tegebat, ut ipso pondere moli aquarum obsisteret, ne vi fluminis prorsus convelleretur; in hunc cum equus offenderet, supinatus in ultimum periculum vectorem coniecit; sed in primores tandem pedes placide submissus, morti Roccam eripuit, qui sequentem Canisium monuit, ut ad latus paullum flecteret. Ita uterque incolumis, obstupescente toto pago, qui feriatu ad spectaculum periclitantium concurrerat, Patrumque temeritatem accusabat, quos tantum non in ipsam mortem incurrisse dicebant, quod ipsi, viarum gnari, nunquam trajicere ausi essent. Ventum dein ad ipsum coenobium, ubi Canisius ab Antistite cum singulari benevolentiae significatione exceptus, ad quietem et moram dilabentium aquarum humanissime invitabatur; sed ille cum vix paulum respirasset, eodem die in majus discrimen properabat, et nisi Coenobiarcha docuisset inviam esse viam, vallem sequi decem millia passuum porrectam, vadis adeo impeditam, ut ex agrestibus paul-

lo ante equo praestanti vehens, frustra tentato transitu, reversus correxerit iter. Proinde moraretur saltem eam noctem, fore ut interim se stagnantes undique lacus in alveum colligerent, et viam profecturis aperirent. Aegre impetravit, (quamvis tot momentis rationum adductis) à Canisio praefectus Coenobii, ut illa nocte conquiesceret, qui ne gratis coenaret, ad religiosum illic coetum de rebus divinis paraeneticum ante coenam instituit, pro qua illis caelestem orationem propinavit. Postera luce cum Patres sacris operati, ducem itineris eum ipsum, qui pridie altitudinem aquarum explorarat, accepissent, et ex alta Coenobii rupe in subjectam vallem descenderent, volebat Rocca Canisium medium inter se, et itineris ducem accipere, ab utroque, si usus esset, succolandum. Sed Canisius praefidens jumento quod praestabat, illis, ut porro pergerent, praecepit, se agmen clausurum. Vallis utrinque scopulis in caelum eminentibus cingebatur. Ambro flumen per ima decurrens adeo inflatum erat, ut justus alveus a circumfusus aquis secerari non posset, nihilque supra, praeter montes et caelum, infra praeter late stagnantes aquas appareret. Torrentes ex altis rupium cavernis cum ingenti strepitu undique praecipitabant, semitamque adeo obruerant, ut equi prope innarent. Rocca pro Canisio sollicitus, identidem respectabat, an satis salvus esset. Processum est hac ratione per medias aquas millia passuum tria quatuorve. Cum de more versus Rocca, videt Canisium equo effusum, ac

pene totum aquis mersum, et quod deterrimum erat, altero pede in subice pedaneo (quem stapedem hodie appellant) periculose haerentem. Retinebat tamen altera manu habenas, altera jugum ephippii complexus. Rocca Canisii periculo examinatus, adverso monte et flumine regredi ad expediendum Patrem non poterat, et a ductore monebatur, ne se commoveret, parvo momento per impetum aquarum cum ipso equo abripi evertique posse. Desperatis Rocca suppetiis, caelum votis implet, et Canisium conclamatum piae Numinis providentiae committit. Inter haec spectat eminus virum statura procerum, pedibus antegressum, nec prius animadversum; quem inclamans, totaque manu vocans rogat, uti haerenti et pereunti Patri succursum eat. Adest vocatus et Canisium pedicis explicat, manuque in subjectum monti campum extra vallem ducit; quem sequutus Rocca, et complexum, *Pater*, inquit, *non sic meam unquam, ut tuam hodie sortem dolui, cum auxilia porrigere non possem. Nunquam alias, inquit Canisius, tam bene habui, paratusque ad oppetendum fui; quid enim aliud optem, cupiamve, quam dissolvi, et esse cum Christo?* Liberatori dein Canisius: *prandebis, inquit, nobiscum, ubi ad hospitem divertemus, et gratum beneficio munus accipies. Bene habet, inquit viator, et stratoris vicem functus Canisium in equum tollit, nec progredientem ante destituit, quam in sicco solo (nam et campus exerrantibus innatabat undis) salvum exponeret,*

et diversorium in conspectu haberet, cum repente videri desiit; haud dubie Divus e caelitem classe, tutelae Canisii destinatus, ut servaret virum Christianae Reipublicae lingua, calamo, exemploque vitae amplius profuturum. Et vero cum habitu coloni viator apparuisset, et illud genus hominum minime opulentum, nec mensas soleat recusare, nec honoraria rejicere, imo ultro reposcere, certum est, homine quid augustius fuisse, ex oculis repente subductum. Haec prope ad verbum ex Epistola Roccae, ex Italico tralata, ostendunt, quam cordi fuerit Canisius Deo, singularem ad eum servandum caelitem mittenti. In quam spem nos par est omnes ingredi, qui causam Dei et salutem hominum procuramus. Non revocabo, quae supra ex monumentis Augustanis copiose demonstravi, quomodo illustris matrona Sibylla Fuggera ex Comitum Ebersteiniorum gente orta, oblata Canisii specie per nocturnam quietem fuerit ab errore Lutheri liberata. Nec pulsum Oetingae daemonem revocabo; de quo Martini Eisengreinii volumen legitur. Friburgi Sebastianus Veronius, is quem supra saepius laudavi, hoc quoque beneficium sibi a Canisio praestitum solet praedicare. Controversia erat illi cum quibusdam nescio de quibus nominibus ac debitis, cujus finem nullum cernebat; jamque res in eum locum erat deducta, ut omnino putaret, renunciandum iis, quae sibi jure debebantur, ne majores inde rixarum caussae existerent. Commendavit rem Canisio, qui recepit, se ejus patronum apud Deum

futurum, causamque intra diem obtinuit, ut post-
ridie praeter omnium spem et expectationem, olim
appellati, Sebastiano duplum ejus, quod petierat,
ultra darent offerrentque. Adeo nihil suis negat
clientibus Deus, qui ab humanis auxiliis ad illius
tribunal per supplicationes provocant.

Accepi a Jacobo Kellero collegii Monacensis
hodie moderatore, et olim Friburgi politioris litera-
tura Doctore (ubi cum Canisio aliquot annis fami-
liariter vixerat, multaque cum dicta tum facta viri
sancti observarat) fuisse Canisio librarium, qui
dictata calamo excipiebat, in vulgus postea spar-
genda. Hunc cum vel scribendi labor fatigasset,
vel praeproperam quietis desiderium cepisset, pen-
so, quod Canisius praescripserat, abrupto, domum
properavit; rogarat Canisius paucillam moram, nec
impetrarat; vix pedem ille domo nostra extule-
rat, cum poenas suae pervicaciae dedit. Ignotus
enim nescio quis Mercurius in hunc Sosiam incur-
rit, colaphoque tam atroci multavit, ut ignis ex
oculis emicaret. Nec deprehendere objurgatorem
ictus, nec videre poterat, a quo tam male accep-
tus esset. Ita frons effrontis vel invita erubuit,
quae venerandi patris vultum noluit revereri.

Sed vel maxime memorabile est illud, quod Gui-
lielmus Crumenstollius, vir domi suae clarus et Se-
natorius, ipsaque canitie et aevo (nam alterum et
septuagesimum agit) venerabilis, in summi, uti
par est, beneficii loco ponit, passimque apud om-
nes celebrare non desistit. Is ex Altaripensi Cœ-

nobis Friburgam equo rediens, haud procul urbe, una cum equo in altum coenum et lutum tanto casu prolabitur, ut jumenti sarcinati moles in pedem ejus incumberet, unde se nullo conatu, quamvis diu luctatus, poterat explicare; et quod altae jam essent tenebrae, nemo jacenti sub tanto onere succurrebat, fatigabat ille caelum precibus, surdum tamen, quoad menti succurrit adhuc in terris degens Canisius. Ergo rursus ad Deum versus: *Supreme, inquit, rerum ac mortalium arbiter Deus, per Canisium ego te nostrum, virum tibi tanta vitae innocentia et sanctimonia operantem, servientemque ultimis votis rogo, quaesoque, ex hoc me praesenti mortis eripe discrimine. Dictum factum: pedem nullo negotio haerentibus in cloaca ocreis, calcariibus, et equo miris modis expedit; mox etiam jumentum sequitur trahentem, ipseque sartus tectus domum revertit. Quinto post die alterius negotii causa, domum nostram Canisii consilium quaesiturus venit, periculi jam immemor, nec certus, utrum ope Canisii ex illa nocte et morte eluctatus sit, cum ad eum Canisius: *Ecquid superioribus diebus tecum ad S. Antonium actum? Est, quod erga Deum te gratum praestes: de me velim omnino taceas. Tum vero alter, non sine confuso ore et quodam animi stupore, quod neminem praeter se conscium periculi fuisse sciret, et Canisium longe etiam dis-sita divinitus cognoscere videret: Jam, inquit, intelligo, Pater, quo loco sis apud Deum et cujus beneficio praesentem mortem evaserim. Ipse, qui**

tibi hoc significavit, antequam ego ingratus ullum verbum facerem, sempiternis te bonis auctet ditetque. Tum demum in quanto discrimine fuerit versatus, ac tandem implorato per ipsius memoriam numine, salutem suam expediverit, coepit exponere. Certe radius hic mirifice Canisium nostrum illustrat, et illius cum Deo familiarem gratiam ostendit. Sed haec et hisce plura de vivo.

Mortuum haud paulo pauciora commendarunt. Nam altero ab animi e corpore digressu die vultus, qui macie ante mortem extrema confectus, in ossa recesserat, tam laeta coloris purpura suffusus, spectatorem non solum non terrebat, sed ad contemplandum etiam atque etiam invitabat, cum defuncti os gratiorem haberet adspectum, quam habuerat pallor viventis; *Facies, inquit Veronius, Canisii defuncti et laeto colore elegans, et clara erat; ex quo facile de vitae anteactae laude morumque sanctitate existimari poterit, praesertim cum halans ex corpore spiritus, omni florum et aromatum odore grator, circumstantes afflaret; quae res ita populum affecit traxitque, ut a sacro Canisii pignore non potuerit avelli, quoad sepulturae mandaretur. Unde licet arbitrari, quae fuerit in caelo triumphantis gloria, cujus cinis in terra, jam tum quandam spirabat immortalitatem.*

Haud diu fuit post ejus obitum, cum ex ordine Senatorio clarissimus vir Christophorus Reiffius sociorum amantissimus, excussus equo, adeo laesit corpus, uti sex ipsos menses frustra vulnerarii ma-

num expertus, nil nisi jam ferrum et ignem a chirurgo exspectaret. Sed uxor Christophori, femina nobilis Barbara Messelonia, vicem mariti dolens, periculumque e sectione metuens ad notum Friburgensibus asylum, tumulum Canisii confugit, precibusque malum omne a viro avertit; domum quippe ex aede reversa maritum ignarum voti sui, habuit obvium inusitata gestientem laetitia, et mirifice sibi gratulantem de recepta praeter spem omnem sanitate, qua jam nunc etiam salvus sanusque ac gratus, memorque beneficio Canisii fruitur. Quod uti gestum est, ita publicis Magistratus tabulis firmatum, quae in chartophylacio collegii custodiuntur, merito ad verbum, nullo mutato apice, adscribendae.

Sebastianus vero S. T. D. venerabilis capituli S. Nicolai in Republica Friburgensi praepositus, et vacante sede episcopali Lausannensi in eadem Dioecesi auctoritate apostolica vicarius generalis. Certum facimus, cum reverendus in Christo pater D. Petrus Canisius societatis Jesu theologus (qui lucubratis operibus Catholicae fidei multum adjumenti attulit, et universo Christianismo notus) non tam vivendi ratione commendabilis, quam quibusdam supra humanum naturae cursum dictis et factis admirabilis extiterit, et non sine certa quadam sanctitatis opinione ex hac vita discesserit, cujus proinde memoria in benedictione est. Ut posteritati testimonium sit eorum, quae in hac urbe Friburgensi, ubi vitam clausit, admirabilia et super naturalia circa ipsum contigerunt, sub-

scriptus notarius juratus, ejusdem urbis Secretarius, nostri dicti vicarii consensu et permissione, praesentibus testibus infra nominatis, relationem scripto exceptit, et in hanc, quae sequitur, formulam redegit.

Wilhelmus Krumenstoll inter primarios Senatus, aetatis annum septuagesimum primum agens, qui affirmavit, et per propriae futurae salutis spem sancte testificatus est, dum circa biennium ante obitum ejusdem R. Patris Canisii in celebre Monasterium Altaeripae unius hora itinere ab urbe distans Rdo. D. Abbati coloni cujusdam sui negotium commendaturus, sese contulisset eques, et in reditu comitem a ponte Glanae rivi recta domum in villam de Onens tendere jussisset, ipse vero solus circa brumale solstitium pergeret ad urbem et sacellum S. Antonii prope hospitalis fundum, jam obscura nocte et tenebris circumfusus, attigisset, equum, quo vehebatur, non satis validum coeno immersum concidisse, et corruisse, ipsum vero crure ab equo haerente, diu luctatum, et frustra diversa conatum fuisse, quomodo sese inde extricaret. Tandem postquam divinum implorasset auxilium, et patronorum suorum intercessionem (inter quos praenominatus R. Pater Canisius etiam vivus in honore ipsi habitus) ut omnipotens ipsius Patris Canisii intuitu et meritis, se inde expedire et liberare dignaretur, factum esse, ut ocreis cum calcaribus sub equo remanentibus, et luto immersis ipse pede liber evaderet, et illgesus equum etiam ex-

LIBER III. CAPUT IV. CLXXIII

traheret, et reliquum itineris sine impedimento conficeret. Post quinque dies vero adiens eundem R. Patrem alias ob causas, cum nemini eorum, quae ipsi contigerant, mentionem fecisset, quod ad ejusdem Patris notionem pervenisse potuisset, Patrem Canisium, ultro et per se quaesivisse ab eodem D. Krumenstoll, quid ipsi ante hos dies vespere prope Capellam S. Antonii accidisset? Tum ipsum quasi ingratitude convictum, confestim pudore perfusum esse et gratius eidem R. Patri egisse, quod suis meritis periculum evasisset. Ad quae Pater illum bono animo esse, et supra narrata servare secreta jussit. Interfuere praesentes huic relationi Dominus Pancratius Python, olim tercentenarius dux in Belgio, et Ulricus Burgknecht, hospitalis majoris D. Virginis scriba, uterque civis Friburgensis, die Mercurii, quae erat ultima Martii anno a salutifero partu MDXCIX. sequenti die primo Aprilis ejusdem anni testibus expresse vocatis, Petro Perret notario, et Joachimo Snell organistae veteri, etiam civibus ibidem, nobilis et honesta matrona Barbara Missello, Domini Christophori Reiff Senatoris Friburgensis et Domini in Mides Vilarsel et Mesiere, uxor aetatis circiter quinquagesimum annum agens, sancte affirmavit, et bona fide, dum ejus maritus in vico, cui parvus paradus est, equo in terram prolapsus, hoc casu ingentes dolores per sex menses perpessus esset, ut quandoque integros dies decumberet, alias vero, dum negotia curaret, difficulter respirare

CLXXIV DE VITA P. CANISII.

posset; et quidquid hoc dimidiati anni spatio tentasset, diversis medicamentis nihil profecisset, et anxia esset, ne propter offensas intrinsecus partes, ad alia extrema secationis remedia recurrendum esset, accidisse paucis diebus, postquam R. P. Canisius sepulturae mandatus esset, ut ante ipsius fossam genibus provoluta, Dei opem pro marito aegro efflagitaret, meritis et intercessioni incolumitatem ejus commendaret; postea domum ex templo reversa, maritus hilaris et gratulabundus statim eam collocutam, omnes dolores sedatos, seque integrae valetudini restitutum, amplius difficultates priores nequaquam sentiret. Ex quo ipsam certo cognovisse, et credere, siquidem maritus ipso tempore imploratae opis boni Patris sine ulla apparente naturali causa convaluisset, quod ope et suffragiis ejusdem R. Patris hoc tantum beneficium a Deo impetrasset. In quorum omnium fidem et robur nos praedictus Vicarius, sigilli nostrae praepositurae adpositione, haec praecedentia fide digna testimonia juxta notarii Chirographum confirmavimus.

ANTONIUS MONTENACH.

Vidua ingenuis orta natalibus olim a mariti, (qui-
cum non amplius sex menses vixerat) morte cas-
timoniam Deo consecravit, et usa Canisio a con-
fessione, constanter decem et octo annos servarat,
cum defuncto Canisio ac veluti custode castitatis
remoto, a pluribus in matrimonium enixissime pe-
teretur, quamvis omnium vota petitionesque fortiter
rejecerit, coepit tamen ex ea re mira cogitationum
turba agitari quaque, adeo ut nullum tanti mali
exitum reperiret, praesertim cum proci semper in-
starent, et Penelopes novae constantiam quotidia-
nis sollicitationibus et oppugnarent, et vehementer
etiam fatigarent. Tandem illa inops consilii, auxi-
lium a Canisii tumba postulavit, et subito impetra-
vit, ut non solum ambientium postulationes facillime
vinceret, sed omni etiam animi vexatione liberaretur.
Eadem gravi morbo implicata, artibus me-
dientium frustra tentatis, ab animi et corporis sui
medico praesentem opem impetravit. Eidem in
faucibus haeserat fragmen ossis, et diu solaque in
aedibus cruciata, implorato familiari auxiliatore, os
ex ore exspuit, et assiduis patrem laudibus coluit.
Alia etiam Epilepsia ad tumulum Canisii libe-
rata est.

XIII.

Castimoniam
aerulum Can-
isii.

CLXXVI DE VITA P. CANISII

XVIII.
Partu levata.

Honestae matronae biduum parturientis, et jam de foetu enitendo desperantis, corona B. V. Canisii ori et collo admota partum conclamatum, paulo post vivum explicavit.

Rosarium
Canisii me-
dicum.

Et haec beneficia hodie Friburgi dicuntur prope quotidiana. Servatur ad eum usum Canisii Rosariolum pyxide clausum, et ad laborantes petitum transmittitur. Multum potest pietas credentium, quam saepe spectat Deus, ne quid nobis fortasse plus aequo arrogemus.

Ante biennium MDCXII. sexto Idus Junii ancillabatur puella nobili matronae Beremannaë viduæ, praetoriis olim nuptiis clarae, haec, grassante clam per urbem pestilitate, morbo contacta sensit eadem se lue, qua olim etiam laborarat, infectam. Ad capitis enim et pectoris dolores ulcerosa quoque vomica eruperat, certa pestilentiae nota. Incerta vitae neque negligens salutis rogat familiares ancillas, uti sibi sacerdotem curent accersiri, cui noxas aperiat, priusquam decedat. Neglexere tamen famulae preces aegrae, veritae, ne domus infamia mortis notaretur. Sed quae decumbebat (cunctante curione, quod vocatus non esset) ne ante noctem in-expciata vita pelleretur metuens, venit in memoriam Patris, qui ad D. Nicolai sepultus (cujus nomen ignorabat) dubiis temporibus soleret in auxilium vocari. Huic commode vovet preces ad tumultum ipsius, si efficeret, ne ante noctem absque peccatorum confessione exspiraret. Vix conceperat votum, et pulsus omnibus corporis malis surgit e lecto,

LIBER III. CAPUT V. CLXXVII

et quotidiana cum reliquis in familia opera exsequitur, ludentibus domesticis, quasi in valetudinem ex ignavia simulasset. Sed et ipsa quoque infelix oblita voti coepit dubitare, an a Canisio esset curata. Enim vero extemplo in eandem relapsa morbum nihil habuit, priusquam ut ad Canisii conditorium properaret, votoque se exsolveret; accurrit, apprecata est: et salva domum absterso etiam infami tubere rediit. Ita rem hanc collegii Friburgensis praeses Bartholomaeus Weldensis publica Magistratus auctoritate signatam ad me perscripsit.

LUCUBRATIONES CANISII.

Caput V.

Canisius bene latine doctus, eloquentiae puer magnam operam posuit, quae postea res divinas tractanti magno subsidio fuit. Ut enim corpus quamvis elegans et venustum, si tamen apto cultu amictuque careat, dignitatem amittit: ita disciplinae graviores, nisi cultu orationis et majestate compositionis excolantur, multum de dignitatis auctoritate perdunt. Et quamvis Canisius pigmenta rheto-

Eloquentia ad omnem vitae usum et studia necessaria.

CLXXVIII De VITA P. CANISII

Diligentia
Canisii.

rum, et lenocinia verborum neglexerit, usus tamen est non incommodo barbarove genere dicendi, (quale id aetatis passim per Theologos grassabatur) sed commodo et rebus, quas tractabat, accommodato, ut in ipso neglectu curiosae elegantiae honestus quidam orationis habitus cultusque appareret. In libris porro condendis scribendisque tantum studium adhibuit, ut manum de tabula vix posset tollere, adeo nullum emendandi et recognoscendi finem faciebat, etiam tum, cum formis aeneis subjecti libri sub prelis gemebant, fatigabat subinde operas aliis atque aliis verbis identidem subjectis, uti prope per vim scripta illi fuerint extorquenda, quod nunquam sibi satisfacere videretur, ut usu veniens, qui non, ut populo placeant, condunt fabulas, sed ut orbem terrarum vel a pravis erroribus mentis expediant, vel perversos populi mores emendent, allaborant. Applicaverunt illum parentes Juris prudentiae; propendebat Canisius ad sacratum literarum cognitionem, quo illum divinius mens trahebat. Ut patri tamen obtemperaret, et leges aperte perdiscebat et clam rerum caelestium studiis vacabat, in quibus tantopere profecit, ut facile aequales omnes superaret. Statim enim a patris morte se sanctionibus Theologiae disciplinis totum emancipavit. Et quia semper Musis Virginibus cum Venere male convenit, pudoris quoque florem aeterno voto consignavit, neque laesit unquam. Caeleste quoque numen in puram et sanctam mentem pleno se flumi-

ne infudit, quod postea per calamum et vocem in omnes prope gentes effudit. Composuit enim volumina non pauca inter ingentes negotiorum moles. Primum omnium S. Cyrilli pontificis Alexandrini vigilias duobus voluminibus distinctas ex Melchioris Novesiani formis edidit, quas ego tamen non vidi. Sed ita narrant acta collegii nostri Colonensis. Anno MDXLV. Canisius deinde reversus Coloniam theologicis studiis se totum immersit, formatusque Baccalaureus, Cyrilli Alexandrini opera duobus tomis distincta ex officina Melchioris Novesiani eleganti typo edidit, quorum aliorum archiepiscopo Sebastiano Moguntino alterum Theologiae studiosis condiscipulis suis dedicavit. Hoc adjeci, quod in syllabo lucubrationum Canisii, Cyrillus fuerit praeteritus. S. quoque Leonis Pontificis opera omnia, emendavit in Ubiis. Deinde Viennae Summam doctrinae Christianae, sive Catechismum, brevem quidem illum, sed praeclarissimum, et qui copiosae bibliothecae instar sit, conscripsit, quem Petrus Busaeus nostrae societatis theologus pereruditus locupletavit, explicatis et integre ad verbum adductis sanctorum Patrum testimoniis, quae Canisius extra ordinem versuum ad oram indicaverat, et in angustum coacervaverat, quasi digitum in fontes intendens.

Scripsit etiam adversus Magdeburgenses Centuriatores Commentariorum de verbi Dei corruptelis,

✱

CLXXX DE VITA P. CANISII

Tomos II., quorum prior est

*De venerando Christi Domini praecursore
Joanne Baptista. Posterior*

*De sanctissima Virgine Maria Deipara; in-
gens atque spissum opus in sex libros divisum, in
quo quidquid impii mentiuntur, et ad depravandas
scripturas, et praecursoris, et Dei matris gloriam
obsecurandam adfuerunt, luculenter, graviter, erudi-
teque confutat. Scripsit Fastos Sanctorum ad mo-
dum Romanum, Adonis, Bedae et aliorum.*

*Concionum tomos II. seu Notas aureas in
Evangelia Dominicarum, et Festorum per totum
annum, senecta jam aetate.*

*Et duos alios libellos aureos: Exercitamenta
Christianae pietatis, et Manuale Catholicorum.
Et haec quidem latina voce, nostrate vero Germa-
nica scripsit, Conciones in quatuor Dominicas ad-
ventus, et in Natalem Domini.*

Librum precationum.

*Librum de confessione et communione. Vi-
tas SS. Fridolini, Mauriti et sociorum Thebaeo-
rum D. Nicolai Eremitae.*

Denique evulgavit et latine.

Selectas a se D. Hieronymi Epistolas.

Parabat et volumen de Christo, et alterum de S. Petro, quemadmodum de beata Virgine, et Joanne Baptista confecerat, sed conatus tantos vires destituere. Apponerem huc Alphonsi Salmeronis epistolam ad Canisium olim datam, qua viri eruditio et virtus mirifice illustratur. Sed quia longior est, quam ut huc transferatur, et in Salmeronis operibus legitur, poterit lector illam inde, si volet, petere.

ELOGIA

judiciaque variorum de Canisio.

Caput VI.

Canisio, nescio quo pacto, contra fere morem saeculorum usu venit, uti vivus plurimum celebraretur, et mortuus amplius coleretur, praesertim ubi sacrum ejus pignus corporis apud Helvetios cum summa veneratione custoditur. Virum admirabantur Pontifices, venerabantur Caesares, Cardinales, Principesque officiosissime complectebantur, antagonistae formidabant, inferorum Principes refugio-

CLXXXII DE VITA P. CANISII

bant, tanta de viventis virtute fama longe lateque differebatur. Ferdinandus imperator tuendae pietatis et Catholicae doctrinae per omne imperium Romanum defendendae ac propagandae studiosissimus, Canisium in edicto suo pro illius catechesi praeposito appellat *honorabilem, religiosum, devotum, sibi dilectum*. Albertus Bojorum princeps illud columnen Germaniae, secundum Deum, Canisio et Hoffaeo religionem Catholicam, et salutem gentis suae defensam et retentam in acceptis retulit, solitus de utroque dicere: *Petrus Apostolus et Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*. Ex annalibus Academiae Ingolstadianae, cui cum summa potestate praefuit, hoc factum de illo iudicium huc putavi transcribendum.

Alberti Principis Bojorum iudicium de Ca. 11510 et Hoffaeo.

Ex Academia Ingolstadiana annalibus.

Anno Domini MDL. die XVIII. Octobris rec-
tor CXLIX. *Petrus Canisius Doctor, Theologus et Professor societatis Jesu collega. De hoc magifico Domino rectore nescio certe, quid scribam. Nam si tantum ejus ponam nomen, multis et praestantissimis illius viri, et de Catholica Ecclesia optime promeriti virtutibus fit injuria. Si Encomiasticon instituam, luci intulero tenebras. Quid igitur faciam in eo, qui laudari neque a me, neque a disertissimo quoque potest condigne? Remitto lectorem ad illius opera, et diserte, et erudite, et Catholice hactenus edita. Si quis meliora et majora, quam ego possum, se*

LIBER III. CAPUT VI. CLXXXIII

praestare confidit, is viderit, quomodo de tanto heroe, tam pio viro, tam forti Ecclesiae Catholicae Athleta bene possit dicere. Ego unum dixerō: Lumen est nostro tempore inter Doctores Ecclesiae. Vivat sibi, vivat Ecclesiae, et religioni Catholicae.

Addamus et alterum ex ejusdem Academiae monumentis.

Sed ad propositum, et incomparabilem virum Petrum Canisium diverto, cui tamen Encomiasticum minime polliceor, sed id tantum praestitutum, ut eum ab oblivione apud posteros vindicem, et qualemcunque inter Theologos possit habere locum. Dicam tamen, quod sentio: vir est divini prope modum ingenii, et eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius, quod illi pene cum omnibus Patribus de societate commune est; Theologus profundus, et lectionis infinitae, quod cum plurimis; sed quod illi neque omnino cum multis, neque omnino paucis est commune, orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter gravis, et jucundus.

Canisius orator, consiliator, Philosophus, theologus.

Probavit et eruditionem suam et eloquentiam, et in dicendo prudentiam (namque eloquentia sine prudentia et eruditione est inanis garrulitas) saepius illustrissimo Duci Bavariae Alberto Quinto, cui jure et merito fuit gratissimus; tam etiam multis annis Ecclesiae et urbi Augustanae, unde

discedens tanquam sui amoris quoddam pignus reliquit Dominum Gregorium Roseffium. Deus Opt. Max. tantum virum, tam fortem Ecclesiae suae propugnatorem, tam bene de religione meritum, lumen denique Doctorum Ecclesiasticorum amplissimum et clarissimum quam diutissime servet incolumem, et post hanc vitam pro exantlatis ejus in Ecclesia et religionis incolumitatem et incrementum laboribus, aeternam ibi aeternae vitae coronam benigne largiri dignetur.

Ex Patrum
Academicorum
et Academiae
ipsius
judicio de
Canisio.

Haec de vivo Canisio Annales Ingolstadii. Posuit eidem mortuo Academia Theologica hoc elogium.

*Petrus Canisius Neomagensis ex Geldria, S. Theologiae D. primus e Germanis societatis Jesu religiosus vere Germanus, ac deinde eidem societati in Germania primus provincialis praepositus, ab ipso B. Patre Ignatio ob insignem animi moderationem, constantiam, prudentiam, a summis ad summa non raro missus, vocatus, postulatus: a Guilielmo IV. utriusque Bavariae Duce ad hanc Academiam, in qua professoris Theologi, Procancellarii et Rectoris munere functus; ab Othone Cardinali, Episcopo Augustano ad S. Concilium Tridentinum; a *) Ferdinando. Carolo V. Imperatore in causa Religionis Wormatiam; ab Imperatore Ferdinando Augustano, atque ad Episcopatum Viennensem, quem recusavit. A Pio IV. Pont. Max. ad fidem in Ger-*

LIBER III. CAPUT VI. CLXXXV

mania ac Polonia propugnandam, propagandam etc. Dum et sacris concionibus, etiam apud Imperatores et Duces assidue habitis, et variis libris pro fide, pro pietate editis, rem Catholicam mirifice juvisset, promovisset, et perpetuam vitae innocentiam et summam in omni virtute praestantiam, admirabilem sanctitatis opinionem consecutus esset, tandem Friburgi Helvetiorum sanctam animam Deo reddidit die festo S. Thomae Apostoli. Anno MDLCVII. Vixit annos LXXVI. Menses VII. dies XIII.

Guilielmus Eisengreinus in Catalogo testium veritatis: *Petrus Canisius, societatis Jesu, vir cum eloquentia, tum multarum rerum peritia et mirabili ingenii flumine praestantissimus, philosophus clarus, orator facundus, theologus sacrarum legum exercitatus, Catechismum Christianum perfecit. Sacra quatuor Evangelia, et epistolas Pauli commentariis illustravit doctissimis, Martyrologium sive de sanctis Ecclesiae scripsit.*

Juvat et Cornelii Loos Callidii tabulas adducere ex libro de illustribus Germaniae scriptoribus.

Cornelii
Loos.

Petrus Canisius Noviomagi Geldriae Belgii provinciae principe oppido, ex honesta familia patre consule progenitus. Quum rei literariae felicem operam navasset, utraque lingua doctus; quo majore commoditate sacris studiis posset incumbere (ut de eo quidam scribit) ordinem socie-

CLXXXVI DE VITA P. CANISII

tatis ingressus est. Qui sacrae professionis sublimi purpura donatus, Ingolstadii, Dilingae, et in aliis Gymnasiis, et Germaniae locis divinas literas professione praelegit, simul alia pietatis officia strenue exsequens. Quumque praeter eruditionem insigni facundia praeemineret, Augustae Vindelicorum Ecclesiastes quondam ab Othone Cardinale Augustano constituitur. Quam functionem cum magno Catholicae religionis zelo exsequeretur, ut ipsum adversus profanas haereseon novitates assereret, et comprobaret, nominis celebritate passim omnibus innotuit, adeo ut sui ordinis columnen facile haberetur.

Nec Joannes Cochlaeus tacuit Canisium epistola ad Hieronymum Verallum Archiepiscopum Rosanensem, postea Cardinalem, et Nuntium Apostolicum ad S. C. M. Eystadio (anno MDXLV. Wormatiam reor) missa, qua primos nostrae familiae Patres vocat integerrimos, doctissimosque viros, piissimos in societate nominis Jesu Christi fratres, M. Nicolaum Bobadillam Hispanum, et M. Claudium Jaium Allobrogem, ac M. Petrum Canisium Sicambrum, qui, inquit, cum reverendissima Dominatione tua familiarissime conversantur, ac Deo et proximo omni pietatis et caritatis officio famulantur.

Baronii An-
nali primo.

Illustre quoque de Canisio judicium Baronii Cardinalis. Interim, inquit, his frui, quae ve-

LIBER III. CAPUT VI. CLXXXVII

nerandus *P. Canisius*, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non minus pie quam ornate atque erudite suo more scripsit. Ejusdem leges de Canisio elogium A. XXXI. Licet ad illos imperitiae, dementiae, ac ut uno verbo dicam, nequitiae redarguendos summo jure non defuerit vigilans studium eruditissimi ac maxime pii viri Petri Canisii, ad quem, qui tanta cupit, amandamus.*

Quid de Joanne Francisco Bonhomio antistite <sup>Bonhomii
Episcopi
Vercellensis.</sup> Vercellensi dicam, qui Canisium Senatui populoque Friburgensi primum sistens: *En, inquit, habetis virum non secus ac pignus quoddam sacrum, singulari venerationis cultu prosequendum custodiendumque: adeo religiose de Canisio minime malus pietatis arbiter sensit.*

Ribadeneira in syllabo scriptorum societatis ^{Ribadeneira.} haec de Canisio tradit: *Petrus Canisius natione Belga, patria Noviomagensis, a puero se dedit studio pietatis. Cum nata nondum esset societas, femina quaedam opinione sanctitatis vulgo nobilis, matrem ejus admonuit, ut magna Petrum cura educaret, quod brevi Religio quaedam Clericorum instituenda foret, quae eximias Dei Ecclesiae utilitates esset allatura, in quam Religionem filius ejus adscriptus vir apprime insignis haberetur. Vaticinium seu praesensionem feminae rei probavit eventus. Nam paulo post societas instituta est,*

CLXXXVIII DE VITA P. CANISII

in eamque Petrus anno salutis MDXLIII. P. Petri Fabri opera primus omnium Transalpinorum cooptatus, illam exemplo, doctrina, praestantis ingenii monumentis recens natam mirum in modum illustravit. Germaniam superiorem praepositus provincialis rexit, concionibus auxit, Haereticos disputationibus repressit, Catholicos confirmavit. Ex quo haeretici Canisium Canem Austria cum per ignominiam appellabant, quod in Austria plurimum versaretur. Sed haud canem mutum, aut non valentem latrare, sed qui latratu ac morsu lupos passim grassantes ab ovili Christi arceret. Episcopatum Viennensem a Ferdinando Romanorum rege sibi oblatum constanter repudiavit. Rursum: Porro de Canisii candore animi, puritate, humilitate, devotione, orandi studio perfecta omnium humanorum affectuum mortificatione, ardore fidei, animarum zelo, indefesso labore, et perpetua contentione, qua religionem Catholicam semper tueri, ornare, amplificare non destitit, caeterisque ejus ornamentis virtutum multa possent dici, quae justum volumen desiderant.

RUBERTI MYRAEI
judicium de Canisio, et Encomium.

Absolvam hoc caput, ubi novas Myraei tabulas pro honore Canisii explicaro. Sic enim ille in Elogiis Belgii scriptorum: *Ut magnum illud Ecclesiae lumen Augustinus olim in Africa Manichaeos, Donatistas, et Pelagianos; sic nostra aetate Lutheranos, Calvinistas, et Anabaptistas in Germania strenue Canisius oppugnavit. Is Neomagi, quod vetustum ac celebre Sugambrorum, (Ducatus hodie Geldrici oppidum est, ad Vahalim fluvium) Patre consulari natus anno MDXXIV. (errat in annis Myraeus) adolescens ob varias ingenii dotes, Moguntiae celebris fuit. Eo tum forte Colonia Agrippina Petrus Faber Allobrox unus ex decem primis Ignatii Lojolae sociis veniens, Petrum morum innocentia et doctrina singulari sibi carum in societatem Jesu adoptavit. Post in Italiam missus, primus sociorum Rhetoricam in Sicilia docuit; Ciceronem quotannis assidue legens. Unde tam sibi eloquentiam gravi Theologo dignam comparavit, ut saeculi sui Hieronymus audirét. In-*

MDXXI. natus est non
 XXIV.
 Canisius saeculi sui Hieronymus.

de evocatus ab Ignatio mittitur ad Guilielmum Bavariae ducem, Ingolstadii scholasticam, quam vocant, Theologiam professurus, Alphonso Salmerone et Claudio Jaio collegis. Sed et alias Germaniae Academias, in eis Viennensem Austriorum, Pragensem Bohemorum, Dilinganam Suevorum, Coloniensem Ubiorum, Friburgensem Helvetiorum docendo illustravit. Concionibus autem (nam et Germanica lingua disertus erat) in aulis Ferdinandi et Maximiliani imp., Guilielmi et Alberti Bavariae Ducum, Othonis Truchsesii Cardinalis Augustani aliorumque principum valuit Ferdinando Caesari inprimis carus erat acceptusque, cujus etiam auctoritate ac jussu Catechismum vere aureum bono publico cōscripsit, quem civis ejus ac propinquus Petrus Busaeus societatis ejusdem Theologus, citatis e SS. Patribus integre locis mirifice illustravit. Ejusdem quoque imperatoris auspiciis Pragae primus collegii societatis fundamenta posuit, quo Hussitarum et Wiclefitarum haereses infringenterentur. Et mox Ignatius Germaniae Provincialem praefectum instituit. Cumque eu fere tempestate Ministri Magdeburgenses sum tibus protestantium in Germania Principum, Centurias, hoc est, mendaciorum plaustra evulgassen primus fere Canisius pro Deipara virgine et Christi Domini praecursore pugnavit; edito ingenti de corruptelis verbi Dei volumine, quo petulantibus atque impie Divis insultantium haeticorum co

lumnias dissipavit. Annis jam plurimis docendi concionandique munere consumptis, quae cogitata primum recteque observata de SS. Apostolorum dictis factisque contra sectarios in adversaria retulisset, quaeque in Evangelia anni totius legendo pieque meditando notasset, literarum monumentis diserte consignavit; vocavitque **Notas et meditationes Evangeliorum**, festorumque annidierum. Eis sane perutiles, qui de superiore loco cum spiritu fructuque de verbo Dei disserere, ad populumque verba facere in tanta Homiliarum copia student. Apud Helvetios ad extremam usque aetatem degens, adeo carus fuit, ut eripi sibi innocentissimum virum minime paterentur. Naturae concessit non sine opinione sanctitatis Friburgi in Helvetiis, MDXCVII. senex quidem et aetate defecta, qui tamen propter excellentem doctrinam ac virtutem videbatur omnino mori non debuisse. Haec Myraeus quasi panegyrica Canisio condens, tetrastico conclusit.

*Quis fidei expediet mysteria! Petrus opella
 Exigua fidei grande recludet opus.
 Petrus, quem coluit felix Germania Patrem,
 Quem stupuere olim curia, templa, scholae.*

Sed literae et eruditio et praecepta vivendi libris tradita tum demum prosunt auctori, nec minus lectori, cum rationes vitae a doctrina non dissen-

CXCII De V. P. CANISII L. III. C. VI.

tiunt, quod ut faceret Canisius, omni ope contendit, uti tribus sane libris jam ostensum est.

Jam adversariorum opinio de virtute et eruditione Canisii non minor erat apud plerosque omnes, quam nostrates, quos supra ad testimonium citavi, cum ostendi illum vel auctorem societatis universae existimatum, vel certe ejusdem instauratorem.

CAPUT QUINTUM. DE JUSTITIA CHRISTIANA.

I.

Quaenam pertinent ad justitiam christianam?

Summatim duo, quae his verbis continentur: **Declina a malo, et fac bonum: sicut et Esaias docet: Quiescite agere perverse, et discite bene facere.** Hoc est, quod Paulus ¹ monet, veterem cum actibus suis exuendum, et novum hominem in justitia et sanctitate veritatis induendum esse. Prius est in cognoscendis fugiendisque peccatis positum, quoniam ea ipsa maxima sunt mala mortalibus: posterius vero in bonis expetendis atque consecrandis versatur.

B. Ut autem justitiae hoc officium utrumque praestemus, Dei gratia per Jesum Christum nobis parta et promissa, semperque necessaria est. Ea vero praeeunte ² atque cooperante, efficitur id in nobis, quod Joannes affirmat: **Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille (Deus) justus est.** Addit porro: **Qui facit peccatum, ex diabolo est.**

Aug. ser. 59. de temp. Chrys. in psal. 4. et homil. 46. in ep. ad Eph. Proser sentent. 98 ex Aug. 1 Psal. 36. 27. 33, 15. c. 1. Pet. 5. 10. 11. Tob. 4. 22. 2) Esa. 1. 16. 17. Eccl. 3. 32. Rom. 12. 9. 5) Colos. 3. 8 — 10. Ephes. 4. 22 — 32.

4) Bern. ser. 1. de pentec.

5) Aug. de gratia et lib. arbit. c. 9. 15 et 16. Item in Eschir. c. 32. Hier. in Jor. Concil. Trid. sess. 4. can. 2. 6) 1 Joann. 3. 7. 8.

SCRIPTURAE.

Psalm. XXXVI.: Declina a malo, et fac bonum.

Et XXXIII.: Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam.

I. Petr. III.: Qui vult vitam diligere, et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquireat pacem, et sequatur eam.

Tob. IV.: Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

EccI. III.: Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiae successus habebit.

Rom. XII.: Odientes malum, adhaerentes bono.

Coloss. III.: Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri, invicem: exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.

Ephes. IV.: Deponite vos, secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae: et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati

estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

P A T R E S.

1. A. AUGUSTINUS serm. LIX. de tempore: justitia non aliud est, quam non peccare: non peccare autem, legis praecepta servare. Praeceptorum autem observatio duplici genere continetur, ut nihil eorum, quae prohibentur, facias, et omnia, quae jubentur, implere contendas. Hoc est enim, quod Psalmista dicit: Recede a malo, et fac bonum. Si a malo recesseris, et non feceris bonum, transgressor es legis, quae non tantum in malorum actuum abominatione, sed in bonorum perfectione completur. Neque hoc solum tibi praecipitur, ut vestitum suis non spolies indumentis, sed ut spoliatus operias tuis.

Justitia in
quo consi-
stat.

Psalm. 53, 45.

2. CHRYSOSTOMUS in psalm. IV. super eum verbum: Sacrificate sacrificium justitiae: Non sufficit, si a malis abstineamus, sed oportet etiam bonorum accedere actiones. Quocirca etiam progrediens admonet, dicens: Declina a malo, et fac bonum. Non solum enim improbitatis actio, sed etiam a virtute cessatio, ut puniamur, efficit. Nam et qui esurientem non paverunt, et sitienti potum non dederunt, et qui nudum non vestierunt, non furati sunt, nec avari fuerunt, nec bona aliena ceperunt: sed quia non fecerunt eleemosynam, propterea poenae immortali dati sunt et supplicio, cujus nullus est finis. Ex quo intelligimus, quod abstinere a malis, non satis est nobis ad salutem, nisi adsit etiam bonorum possessio et virtutis actio. Propterea ergo etiam propheta, cum et ab improbitate per compunctionem abduxisset, et ad virtutis actionem aptiorem fecisset, et duritiam mentis emolliisset, et eam per compunctionem teneram reddidisset, incipit verba facere de justitia, et dicit: Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino. Justitiam autem hic, non singularem aliam quam dicit virtutem, sed universam: quemadmodum etiam virum justum vocamus, qui omnem in se virtutem continet.

Non satis est
a malo absti-
nere.
Psalm. 56, 27.

Matth. 25, 42.

Psalm. 4, 6.

Justitiae no-
men genera-
le.

3. IDEM homil. 16. in epist. ad Ephes.: Non est satis a malitia liberari, si quidem consequendum sit regnum caelorum: sed et multo virtutum lucro ac proventa opus

Non sufficit
a malo absti-
nere.

Ecol. 83, 29.

Nihil boni
facere, est
male facere.

est. Nam ad hoc quidem, ut a gehenna liberemur, opus est, ut abstineamus a malitia: ut vero regnum consequamur, amplectenda et usurpanda est virtus: nisi quisquam illud dixerit, quod et bonum non facere, malitiae pars quaedam sit. Nam otii istud est et segnitiei: otium vero malitiae pars est: immo vero non pars, sed causa et mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium: itaque cavendum, ne stulte quaestiones istas indagemus et inquiramus: nempe, quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit. Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim vclim, si famulum quempiam haberes, qui etsi nec furaretur, nec conviciaretur, nec contradiceret, immo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret: sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum, quae servus hero suo praestare debet, faceret: non flagellares illum? non ut perversum castigares? Dic quaeso. Atqui nihil dum mali operatus esset. Itaque hoc ipsum malum est. Producamus autem et ad reliqua vitae genera sermonem. Sit agricola quisquam, qui nulla in parte laedat nostra bona, nec illis insidietur, nec furtum intentet: duntaxat consertis domi manibus otiose sedeat, nec seminans, nec sulcum proscindens, nec boves subjugans, nec vitem colens, nec altum quemquam eorum laborum faciens, qui ad terrae culturam pertinent. An hujusmodi non puniemus? Atqui nihil injuriae intulit, ne culpae talem possimus. Verum hoc ipso, quod otiosus fuit, injuriam intulit. Injuriam enim committit communi ratione, qui, quam debet, utilitatem suam non praestat. Itaque si et in domesticis, et in officibus, et in toto corpore magna est injuria, non solum mali quidquam facere, sed et bona omittere, multo magis istud utique in corpore Christi erit.

Justitiae to-
ta ratio, in
quo sit posi-
ta.

4. IN libro sententiarum Prosperi ex Augustino 98.: Tota justitiae ratio est, ut declinentur mala, et fiant bona: cujus observantiae inter quaslibet adversitates forma servanda est: quia hoc solum nunquam amittitur, quod operi pietatis impenditur.

Psal. 56, 27.

1. Cor. 12, 4.
Ad declinan-
dum a malo
et faciendum
bonum, quae
in nobis ope-
retur spiritus
sanctus.

1. B. BERNARDUS sermone 1. in festo Pentecostes: Quia mandatum accepimus, ut declinantes a malo, faciamus quod bonum est, vide, quemadmodum spiritus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Propterea ad declinandum a malo, tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Porro ad faciendum bonum, quid in nobis spiritus bonus operatur? Profecto monet, et movet,

et docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem.

2. AUGUSTINUS lib. de gratia et libero arbitrio ad Valentinum, cap. 9.: Quia ipsa bona opera ille in nobis operatur, de quo dictum est: Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate; ideo dixit psalmus: Coronat te in miseratione et misericordia: quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur. Non enim quia dixit: Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate: ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quando enim jubetur, ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium: sed ideo cum timore et tremore, ne sibi tribuendo, quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.

Phil. 2, 13.
Psal. 102, 4.
Liberum arbitrium cooperatur gratiae Dei.

3. ET cap. 15. ejusdem libri: Ne putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: Nolite obdurare corda vestra. Et per ipsum Ezechielem: Projicite a vobis omnes impietates vestras, quas impie egistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum novum, et facite omnia mandata mea. Ut quid moriemini domus Israel, dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus: sed convertimini, et vivetis. Meminerimus, Deum dicere: sed convertimini, et vivetis: cui dicitur: Convertite nos Deus. Meminerimus Deum dicere: Projicite a vobis omnes impietates vestras, cum ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere: Facite vobis cor novum et spiritum novum; qui dicit: Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo, quod dicit: Facite vobis, hoc dicit: Dabo vobis? Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod jubet, et adjuvat, ut faciat, cui jubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala: aut a peccato libera est, quando servit justitiae, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur: et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata: ut homo, qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognos-

Scriptura probatur gratiae et liberi arbitrii concursus.
Psal. 95, 8.
Ezech. 48, 31.

Ezech. 18, 31.

Voluntas semper libera est, etsi non semper bona.

Gratia Dei facit, ut bona sit voluntas, et possit implere mandata.

Ecol. 15, 16.

cat, et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta suffieit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat, quod jubetur: tunc enim utile est velle, cum possumus: et tunc utile est posse, cum volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus, volumus: aut si quod possumus, nolumus?

Servamus
mandata, si
volumus.

Psal. 56, 23.
Philip. 2, 13.

Deus facit, ut
faciamus.
Ezech. 56, 27.

Psal. 140, 3.

Psal. 58, 2.

Rom. 9, 16.

Psal. 58, 11.
Psal. 22, 6.
Matth. 6, 10.
Gratia prae-
veniens et
subsequens.

Liberi arbi-
trii sumus.

Rom. 9, 16.

4. ITEM cap. 16.: Certum est enim, nos mandata servare, si volumus: sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui, quod praeparatur voluntas a Domino, de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet: de quo dictum est: Deus est, qui operatur in vobis et velle et operari. Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis. Cum dicit: Faciam, ut faciatis: quid aliud dicit, nisi: auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis: et dabo cor carneum, unde faciatis: et hoc quid est, nisi: auferam cor durum, unde non faciebatis: et dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit, ut faciamus, cui dicit homo: Pone Domine custodiam ori meo; hoc est enim dicere: Fac, ut ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei jam fuerat consecutus, qui dixit: Posui ori meo custodiam.

5. IDEM Augustinus in Enchirid. ad Laurentium, cap. 32.: Restat, ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam, et adjuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: Et misericordia ejus praeveniet me, et misericordia ejus subsequetur me. Nolentem praevenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.

6. HIERONYMUS lib. II. adversus Jovinianum: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin, ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est Deus: non est enim volentis neque currentis, sed miserentis et adjuvantis Dei, ut pervenire valeamus ad cal-

eam: sic in malis atque peccatis semina nostra sunt, incentiva et perfectio diaboli.

7. CONCILIUM Tridentinum sess. VI., can. 2.: Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberam arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, anathema sit.

Gratia Dei ad quid necessaria sit.

II.

Quid est peccatum?

Augustino¹ teste: Peccatum voluntas est retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Et alibi docet: ²Peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Ambrosius³ vero: Quid est peccatum, inquit, nisi legis divinae praevaricatio, et caelestium inobedientia praeceptorum?

1) Lib. de duabus animabus c. 11. et lib. 1. retrac. cap. 15 et 13. Lib. de Genes. ad lit. imperfect. c. 1.

2) Lib. 22. cont. Faust. c. 27. lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 13.

3) Lib. de Paradiso t. 8. Aug. lib. 2. de consensu Evangelist. c. 4. Beda in cap. 3. epi. 1. Joannis.

P A T R E S.

1. AUGUSTINUS lib. de duabus animabus contra Manichaeos, cap. 14.: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.

Peccati definitio.

2. IDEM lib. I. retractionum: Definitio peccati, qua diximus, (scilicet in libro jam citato) peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere: propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam poena peccati. Cur igitur (inquiunt Pelagiani) peccatum dicitis parvulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Respondetur, non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Porro Adam habebat utique volunta-

Originale peccatum, quomodo voluntarium sit.

tem, qua voluntate eum peccasset, peccatum per eum intravit in mundum. Et post pauca: Propterea non perturbat de parvulis quaestio: quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit.

3. CAPITE vero 13. sic ait: Illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo haereditarium. Non itaque falsum est, quod dixi (scilicet in libro de vera religione, cap. 14) usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.

4. ITEM in libro de Genes. ad litteram imperfecto, cap. 1.: Catholica fides est, omne, quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut poenitentiam peccati. nec esse peccatum, nisi pravum liberae voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea, quae iustitia vetat, et tunc liberum est abstinere, id est, non in rebus istis, sed in usu earum legitimo: Usus autem rerum est legitimus, ut anima in lege Dei maneat, et uni Deo plenissima dilectione subiecta sit, et caetera sibi subiecta sine cupiditate, aut libidine ministret, id est, secundum praecipuum Dei.

Peccatum
quid sit.

5. RURSUS Augustinus lib. XXII. contra Faustum Manichaeum, cap. 27.: Peccatum est factum vel dictum vel concupitum aliquid contra aeternam legem. Lex vero aeterna, est ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans.

6. ITEM lib. I. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 13.: Peccata sunt, quae secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur. Quae transacta etiam reos tenent, si non remittantur.

Peccatum
quid.

7. AMBROSIIUS in libro de Paradiso, cap. 8.: Quid est peccatum, nisi praevicatio legis divinae, et caelestium inobedientia praecceptorum?

8. AUGUSTINUS libro II. de consensu Evangelistarum, cap. 4.: Denarius tanquam iustitiae numerus, in decem praecipis legis ostenditur. Porro peccatum est legis transgressio.

9. VENERABILIS Beda in cap. III. epist. 1. Joannis super ea verba: Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit: Nemo dicat, aliud est peccatum, aliud iniquitas. Nemo dicat, ego peccator sum, sed iniquus non sum. Omnis enim, qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. Virtus huius sententiae facilius in lingua Graecorum, qua edita est epistola, com-

prehenditur. Siquidem apud eos iniquitas *ἀνομία* vocatur, quod significat, quasi contra legem vel sine lege factum. Siquidem lex graece *νόμος* appellatur. Cum ergo dicit Joannes: Quia omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit, hoc est, *ἀνομίαν*, et peccatum est iniquitas, manifeste insinuat, quia omne, quidquid peccamus, contra legem Dei facimus, juxta illud Psalmistae: Praevaricationes reputavi omnes peccatores terrae. Omnes enim, qui peccant, praevagationis rei sunt, hoc est, non solum illi, qui data sibi scriptae legis scita contempserunt, sed et illi, qui innocentiam legis naturalis, quam in protoplasto omnes accepimus, sive infirmitate, sive negligentia, sive etiam ignorantia corrumpunt. Sed et latius nomen eidem rationi congruit, quod iniquitas quasi aequitati adversa nuncupatur, quique facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. Quia quicumque peccat, contrarius nimirum aequitati divinae legis peccando existit.

Omne peccatum fit contra legem Dei. Psal. 118.

III.

Quotuplex vero peccatum est?

A. Triplex, ¹ originale, mortale ac veniale.

¹ Aug. in epist. c. 64.

B. Primum originale vocamus, ² quod a primo generis prete Adam transfusum, nobisque in ipsa ³ conceptione contractum, per baptismum in Christo tollitur. De quo Paulus in hunc modum: ⁴ Per unum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et rursus ad baptizatos loquens, ut vim christiani baptismi ad hoc quoque peccatum expiandum porrigi ostenderet, aperte testatur: ⁵ Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri.

² Trid. Concil. sess. 5.

³ Psal. 50.

⁴ Rom. 5. 12.

⁵ 1. Cor. 6. 11.

C. Mortale vero, est peccatum (ut vocant) actuale, quod vitam spiritualem eripit, ac mortem adfert animae peccantis: quae mors et a Deo Deique⁶ regno separat, et supplicio aeterno dignum facit. Unde scriptum est: ⁷ *Stipendia peccati mors.* ⁸ *Injustitia mortis est acquisitio: Impii autem manibus et verbis accersierunt illam.*

6) 1. Cor. 6.
9. 10. Gal.
5. 10 — 21.
Apoc. 21, 8.
7) Rom. 6,
23.
8) Sapien.
1, 10.

D. Demum veniale peccatum est actuale quidem, sed quod Dei inimicum hominem non efficit, cujusque a Deo venia fidelibus facile impetratur. De hoc Joannes dixit: ⁹ *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Nam et Jacobus aperte fatetur: ¹⁰ *Ira multis offerimus omnes.* Et si sapienti credimus: ¹¹ *Septies cadit justus in die, et resurgit.*

9) 1. Joan. 1.
8. Aug. lib.
3. contra du-
as epi. Pela-
gianorum
cap. 3.

10) Jacobi.
3, 2.

11) Prov. 24,
10. Ecol. 7,
21.

E. Jam vero peccatum unum altero esse¹² gravius constat: et quidem graviori poenam¹³ majorem deberi, non solum humanae, sed etiam divinae est justitiae consentaneum. Proinde Christus inter culpam poenamque scienter ac ignoranter peccantis, ita discrevit: ¹⁴ *Ille servus, inquit, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non se praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Alibi vero idem de peccato irae ejusque gradibus loquens, hanc tulit sententiam: ¹⁵ *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui*

12) Joann.
10, 11.

13) Aug. lib.
21. de civ.
Dei cap. 10.
et serm. 18.
de verbis A-
post.

14) Luc. 12,
47. 48.

15) Matth. 5,
22.

autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.

Ubi per gradus culpae crevit ordo sententiae, ut

¹⁶ Gregorii verbis utamur, dum ira sine voce, iudicio: ira in voce, concilio, ubi causae sententia definitur: ira vero in voce, atque sermone, gehennae ignibus mancipatur.

16) Greg. 21.
Moral. c. 5.
Aug. in lib. 1.
de sermone
Domini in
monte s. 19.

SCRIPTURAE.

Ad Rom. V.: Prioris ad Corinthios VI.: Ad Romanos VI.: Sapientiae I.: Primae Joannis I.: Jacobi III.: Proverbiorum XXIV.: Lucae XII.: et Matthaei V., ut in texta.

Psal. L.: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

I Cor. VI.: Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri.

Ibidem: An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

Gal. V.: Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt, fornicatio, immunditia etc., et his similia. Quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Apocal. XXI.: Timidis et incredulis, et execratis et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatriis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.

I. Joan. I.: Si dixerimus etc., ut in texta. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat



nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

Eccl. VII.: Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.

Joann. XIX.: Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

P A T R E S.

A. AUGUSTINUS in Enchiridio ad Laurentium, c. 64.:

Lucas 15, 6.
Originale
peccatum.
Activum
peccatum.

Per remissionem peccatorum stat Ecclesia, quae in terris est: per hanc non perit, quod perierat et inventum est. Excepto quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, et tamen activa quoque peccata, quaecunque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit.

Veniale pec-
catum.

Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus, ipsa etiam vita caetera jam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat foecunditate justitiae, sine remissione peccatorum non agitur: Quoniam filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum; Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: sic tamen spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore tanquam filii hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad se ipsos, et ideo peccent.

Sapient. 9,
15.
Non omne
peccatum est
crimen.

Interest quidem quantum satis dicitur. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait sanctus Apostolus, nosmet ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

1. Joan. 1, 8.

B. CONCILIUM Tridentinum sessione V., ut infra in appendice catechismi de hominis lapsu et justificatione secundum doctrinam concilii Tridentini, cap. 2. et 3.

Peccata ve-
nialia.
1. Joan. 1, 8.

D. AUGUSTINUS lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 3.: Quamvis diabolus sit auctor et princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quaecunque peccata. Peccant enim et filii Dei: quoniam si

dixerint, se non habere peccatum, se ipsos aducunt, et veritas in eis non est. Sed ea conditione peccant, qua sunt filii adhuc hujus saeculi. Qua vero gratia sunt filii Dei, non utique peccant, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. 1. Joan. 3, 9.

1. E. AUGUSTINUS lib. XXI. de civitate Dei, cap. 16.: Nequaquam negandum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum quamvis malorum, aliis levio- Inaequalitas poenarum in inferno. viorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro poena digna cujusque varietur, sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiantur.

2. IDEM Augustinus sermone 18. de verbis Apostoli: Duae habitationes sunt, una in igne aeterno, alia in regno aeterno. Puta qui in igne aeterno aliter ille, aliter ille torquentur, ubi erunt: tamen ibi omnes cruciabuntur, minus ille, plus ille, quia tolerabilius erit Sodomae in die iudicii, quam alteri civitati: Et quidam circumeunt mare et terram facere unum proselytum, quem cum fecerint, faciunt eum filium gehennae duplo quam sint ipsi. Puta quia alii duplo, alii simpli, puta quia alii plus, alii minus. Non est regio, ubi eligas locum. Quaecunque ibi mitiora tormenta sunt, pejora sunt, quam quae formidas in isto saeculo. Alii magis, alii minus torquentur. Alii magis, alii minus cruciabuntur. Matt. 10, 15. Matt. 23, 15.

3. GREGORIUS lib. XXI. Moralium, cap. 5.: Racha in hebraeo eloquio vox indignantis est, quae quidem animi irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiae exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata: ad extremum quoque cum dicitur, fatue, ira redarguitur, quae cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum, quod in ira perhibet reum esse iudicio: in voce irae, quod est Racha, reum concilio: in verbo vocis, quod est: Fatue, reum gehennae ignis. Per gradus etenim culpae crevit ordo sententiae, quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam causae sententia definitur: in gehenna vero ignis, ea, quae de concilio egreditur, sententia expletur. Gradus irae et poenarum debitarum. Matt. 5, 22.

4. AUGUSTINUS lib. I. de sermone Domini in monte, cap. 19.: Quid interest inter reum iudicio, et reum concilio, et reum gehennae ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, et admonet quosdam gradus factos a levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniretur. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur. Et paulo post: Gradus Matt. 5, 22. Gradus a levioribus ad graviora.

Irae gradus.

Itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriat ille, cui irascitur, plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur. Sin vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet et notet, quis dubitat, amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est, id est, ira sola: in secundo duo, et ira, et vox, quae iram significat:

Tres gradus reatus.

in tertio tria, ira et vox, quae iram significat, et in voce ipsa certae vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, iudicii, concilii et gehennae ignis. Nam in iudicio adhuc defensionis datur locus. In concilio autem quamquam et iudicium esse solet, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiae prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se, qui iudicant, conferunt, quo supplicio dampnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam sicut iudicium, nec damnati poenam, sicut concilium: in gehenna quippe ignis, certa est et damnatio et poena damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis et in reatu, sed quibus modis invisibiliter exhibeantur poenae meritis animarum, quis potest dicere?

Poenae secundum merita animarum.

IV.

Quare peccatum est fugiendum?

Eecl. 15, 21.

A. Primum, quia *Deus nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi,*

1. Psal. 6, 7.

Eecl. 12, 7.

Sap. 14, 9.

Prov. 15, 8.

Exod. 23, 7.

2) Sap. 11,

25.

sed ¹ odit omnes, qui operantur iniquitatem, ut aperte scriptura testatur. Nec est quidquam Deo magis invisum ac exosum, qui diligit ² alioquin omnia, quae sunt, et praeter peccatum nihil odio

3) Esa. 14, 11

— 15, 2 Pot.

2, 4—11.

4) Lev. 26,

14—33. Deu-

ter. 28, 15—

23.

5) 1. Pet. 2,

21—24.

atque supplicio persequitur, illudque ³ nec in caelo, nec ⁴ in terra sinit impunitum abire.

B. Deinde peccatum, ne parum execrandum videatur, Christo Domino, qui alioquin ⁵

peccatum non fecit, ⁶ causam praebeuit subeundae crucis et acerbissimae mortis perferendae. Et enim ⁷ ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. ⁸ Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ac propterea quidem lavit ⁹ nos a peccatis nostris in sanguine suo, ut, quotquot cum ipso per baptismum ¹⁰ in mortem consepelluntur, hi peccatis ¹¹ mortui, justitiae vivant, ac in ¹² novitate vitae per ipsius gratiam ambulent continenter. Caeterum, qui post acceptam in baptismo Christi gratiam, iterum voluntarie peccant, in Christum peccant, Christum persequuntur, Christum de-novo crucifigunt, quos Christo justo iudici poenas non minores, quam sceleratos ethnicos, dare oportebit. Sic enim Paulus docet: ¹³ *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio iudicii.* De quibus et apostolus Petrus dixit: ¹⁴ *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Quare qui stat, videat, ¹⁵ ne cadat; nam cadendo, posteriora prioribus deteriora fiunt.

C. Praeterea ¹⁶ qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae, si Raphaëli credimus. Nam ¹⁷ homo per multam occidit ani-

⁶ Hieron. ser. 3. de nativitate Domini.

⁷ Esa. 53. 5.

⁸ 1. Joan. 2. 2.

⁹ Apoc. 1. 5.

¹⁰ Rom. 6. 2-4.

¹¹ 1. Pet. 2. 24.

¹² Rom. 6. 4.

¹³ Heb. 10. 26-27.

¹⁴ 2. Pet. 2. 21.

¹⁵ 1. Cor. 10. 2. Luce. 11. 20. Matt. 12. 45.

¹⁶ Heb. 12. 10.

¹⁷ Sap. 16. 14.

18) Ezech. 18, 4. Jac. 1, 15. Psal. 35, 22. Rom. 0, 23. *mam suam. Anima, ¹⁸ quae peccaverit, ipsa morietur. Nihil autem ea morte infelicius, qua homo a Sanctorum omnium consortio, ab Angelorum et caelorum gaudio, atque ¹⁹ ab ipso denique summo et aeterno bono, in cuius cognitione ac fruitione sane omnis salus et perfecta hominis beatitudo consistit, in aeternum separatur.*

19) Matth. 7, 23. 25, 41. Luc. 13, 27. Psal. 0, 9. Chrys. hom. 24. in Matth. et 48. ad pop. Antioch. item epi. 5. ad Theodorum lapsum.

D. Ad haec, ea peccati natura est atque malignitas, ut non solum a Deo Deique gratia et gloria homines etiam ²⁰ iustos abducant: sed praeterea summis aeternisque malis eum corporis, tum

20) Ezech. 18, 24—20. 33, 12. 13.

21) Judith. 5, 18—23. Exod. 22, 33. Num. 14, 22—29. Eccl. 21, 4. Psal. 10, 7. Luc. 10, 22—24.

animae subicit: nec ²¹ solum in hac, sed etiam in futura vita infelicissimos reddit, ut in potestatem daemonum redacti, suppliciiis gravissimis et malis omnibus perpetuo addicant.

E. Hinc notanda sunt in scripturis sacris, quae passim de reprehensis ac punitis peccatori-

22) Gen. 4, 11. 23) Exod. 14, 27. 24) Dan. 4, 29. 25) Gen. 19, 24. Ezech. 16, 49. 50. 26) Exod. 7, 8. 9. 10. 12. 14. 27) Deut. 32, 22—20. Num. 10, 3. 20, 25—49. 28) Joan. 8, 34. 29) Sap. 14, 9. 30) Prov. 14, 34. 31) Eccl. 21, 2. 32) Psal. 5, 5. 6. 33) Eccl. 5, 18. 34) Tob. 4, 6. Vide Chry.

bus exempla proferuntur, ut de ²² Cain, ²³ Pharaone, ²⁴ Nabuchodonosore, ²⁵ Sodomitis, ²⁶ Aegyptiis, ²⁷ Israelitis et caeteris, quorum scelera justus Deus miris ac horrendis modis est persecutus. Observandae quoque sententiae, quae peccatorum pestes fugiendas et execrandas docent. Ut, ²⁸ qui facit peccatum, servus est peccati. Odio ²⁹ sunt Deo impius et impietas ejus. ³⁰ Miseros facit populos peccatum. Quasi a ³¹ facie colubri fuge peccata. ³² Non Deus volens iniquitatem tuas, neque habitabit juxta te malignus, neque peres, ³³ manebunt injusti ante oculos tuos. Qui ³⁴ in uno peccaverit, multa bona perdet. ³⁴ Omnibus die-

bus vitae tuae in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Dei nostri.

F. Haec eo spectant, ut aequissimum peccatorum vindicem Deum homo cognoscat, cognoscendo timeat, timendo caveat saluti suae, et cavendo poenas evadat horribiles peccatorum.

⁸⁵ *Multa enim flagella peccatoris.*

sost. hom. 8.
ad pop. Antioch. 17. in Gen. 51. et 37. in Joan. 28. in epi. ad Rom. 41. in Act. et hom. de Jona prophet. Basil. hom. in psal. 33. Aug. pro- pos. 42. ex epist. ad Rom.

35) Psal. 31.
10.

SCRIPTURAE.

A. Ecclesiastici 15.: Esaiæ 53.: Primæ Joannis 2.: Ad Hebraeos 10.: Posterioris Petri 2.: Tobiae 12.: Sapientiae 16.: Ezechielis 18.: Joannis 8.: Sapientiae 14.: Proverbiorum 14.: Ecclesiastici 21.: Psalmo 5.: Ecclesiastis 9.: Tobiae 4.: Psalmo 31., ut in textu.

Psalm. V.: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

Eccl. XII.: Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.

Sapient. XIV.: Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.

Prov. XV.: Victimae impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia. Abominatio est Domino via impij: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

Exod. XXIII.: Insontem et justum non occides, quia aversor impium.

Sap. XI.: Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.

Esai. XIV.: Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de caelo

Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo, in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verum tamen ad infernum detraheris in profundum lacu.

II. Petr. II.: Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos, in iudicium reservari: Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens: Et civitates Sodomorum et Gomorrhacorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens: et justum Loth oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit: Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemunt, audaces, sibi placentes: sectas non metuunt introducere blasphemantes. Ubi angeli, fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile iudicium.

Levit. XXVI.: Quod si non audieritis me, ne feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et iudicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque haec faciam vobis? Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras: Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subiciemini his, qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiae vestrae. Daboque vobis caelum desuper sicut ferrum, et

terram aeneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma praebebunt. Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras usque in septuplum propter peccata vestra: immittamque in vos bestias agri, quae consument vos et pecora vestra, et ad paucitatem cuncta redigant, desertaeque fiant viae vestrae. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed et ambulaveritis ex adverso mihi: ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra: inducamque super vos gladium ultorem foederis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medio vestri, et trademini in manibus hostium, postquam confregero baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus: et comedetis, et non saturabimini. Sin autem nec per haec audieritis me, sed ambulaveritis contra me: et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum et filiarum vestrarum: destruaam excelsa vestra, et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea in tantum, ut urbes vestras redigam in solitudinem, et deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam ultra odorem suavissimum. Disperdamque terram vestram, et stupebunt super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, et evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, et civitates vestrae dirutae.

Deut. XXVIII.: Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et caeremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro: Maledictum horreum tuum, et maledictae reliquiae tuae. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae, armenta boum tuorum, et

greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem et esuriam, et increpationem in omnia opera tua, quae tu facies: donec conterat te, et perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra. Percutiat te Dominus egestate, feбри et frigore, ardore et aestu, et aëre corrupto ac rubigine, et persequatur, donec pereas. Sit caelum, quod supra te est, aeneum: et terra, quam calcas, ferrea etc.

B. I. Petr. II.: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui, cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus. Cujus livore sanati estis.

A p o c. I.: Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

R o m. VI.: Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.

I. Petr. II.: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus.

R o m. VI.: Ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.

I. Corinth. X.: Qui se existimat stare, videat ne cadat.

Lu c. XI.: Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se: et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora peioribus.

Matth. XII.: Tunc vadit, et assumit etc., ut apud Lucam.

C. Jacob. I.: Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem.

Psalm. XXXIII.: Mors peccatorum pessima.

Rom. VI.: Stipendia peccati mors.

Matth. VII.: Discedite a me, qui operamini iniquitatem.

Et cap. XXV.: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Luc. XIII.: Discedite a me omnes operarii iniquitatis.

Psalm. VI.: Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.

D. Ezechiel. XVIII.: Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est aequa via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est aequa, et non magis viae vestrae pravae sunt? Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur.

Et cap. XXXIII.: Justitia justus non liberabit eum, in quacunque die peccaverit: et impietas impii non nocet ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua: et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit. Etiam si dixerit justo, quod vita vivat, et confusus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.

Judith. V.: Quotiescunque (ait dux Achior ad Holofernem) praeter ipsum Deum suum alterum coluerant,

dati sunt in praedam, et in gladium et in opprobrium. Quotiescunque autem poenituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus caeli virtutem resistendi. Denique Chananaeum regem, et Jebusaeum, et Pheræzaeum, et Hethaeum, et Hevaeum, et Amorrhæum, et omnes potentes in Hesebon prostraverunt, et terras eorum et civitates eorum ipsi possederunt: et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam et ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia, et iterum possident Hierusalem, ubi sunt sancta sanctorum.

Ex o d. XXXIII.: Respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Ego in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.

Num. XIV.: Omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa, quae feci in Aegypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meae, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum: nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Querelas filiorum Israel audiui: Dic ergo, eis: Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra.

Eccl. XXI.: Quasi rhomphaea bis acuta omnis iniquitas: plagae illius non est sanitas.

Psalm. X.: Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Luc. XVI.: Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.

Et ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

E. Genes. IV.: Dixit Dominus ad Cain: Maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus et profugus eris super terram.

Exod. XIV.: Fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquae, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversaeque sunt aquae, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis.

Daniel. IV.: Vox de caelo ruit: Tibi dicitur: Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua: foenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est, et foenum, ut bos comedit, et rore caeli corpus ejus infectam est: donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi avium.

Genes. XIX.: Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrhham sulphur et ignem a Domino de caelo: et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terrae virentia.

Ezechiel. XVI.: Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant. Et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas, sicut vidisti.

Exod. VII—X. et XII.: Horrendae atque gravissimae recensentur plagae decem, quibus Dominus Aegyptios

affecit, eo quod non paruerit Pharao rex Aegypti Domino, ut populum Israel abire siperet ex Aegypto.

Deuter. XXXII.: Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Et dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Num. XVI.: Sufficiat vobis, (inquit Core cum suis numero 250.), quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini? Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Et paulo post: Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvami in peccatis eorum. Et post pauca: Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum. Descenderuntque vivi in infernum, operti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit a clamore perentium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Et quibusdam interpositis: Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel, sequenti die contra Moysen et Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret, Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum foederis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes tabernaculum, et apparuit

gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen: Recedite de medio hujus multitudinis: etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desaevit. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama: et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, et septingenti, absque his, qui perierant in seditione Core.

P A T R E S.

B. BERNARDUS sermone III. in natali Domini: Agnosce o homo quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.

Peccati gravitas ex difficultate remedium colligitur.

1. C. CHRYSOSTOMUS hom. 24.: in Matthæum: qui in gehenna uritur, caelorum etiam regnum prorsus amittit: quae certe poena major est, quam cruciatus ille flammarum. Novi autem, quod plurimi pertimescant tantum gehennam, ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius, quam ipsius gehennae dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim novimus illorum beatitudinem praemiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione perspicue scire possimus. Caeterum Paulus, qui ista cognita habebat, certissime novit, quoniam excidere a Dei gratia, omnium sit profecto miserrimum. Et post pauca: Intolerabilis quidem res est etiam gehenna: quis nesciat? et supplicium illud horribile: tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriae honore repelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo: Non novi vos: atque argui, quod esurienti et sitienti negaverimus cibum et potum. Est enim satius, mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen aversantem, videre, et illos placidissimos oculos nequaquam nos adspicere sustinentes.

Intolerabilior amissio gloriae, quam gehennae supplicium.

A. beatæ gloriae repelli. Matth. 7. 23. et 25. 41. 49.

Regni amissio.

2. IDEM homilia 48. ad populum Antiochenum: Intolerabilis gehenna, confiteor, et multum intolerabilis: tamen intolerabilior regni amissio, hoc cogitate.

De caelis excidero.

3. ITEM epistola V. ad Theodorum lapsam: Sunt quidam absurdi iudicii, ii duntaxat amant effugisse gehennam: contra ego multo durius esse tormentum quoddam assero, quam gehenna est: hoc est, non assecutum esse tantam gloriam, et illinc elapsam esse. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennae, quanto necesse est casum deplorare, quod de caelis excidimus, qui est nimirum cruciatus omnium durissimus.

Peccatum affert metum magnum.

Prov. 23, 1. Conscientia accusans.

Ibid.

4. IDEM Chrysostomus homilia 8. ad populum Antiochenum: Talis est peccantium consuetudo: omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quemque putant contra se venire: et aliis alia inter se discrevitibus, peccati sibi ipsis conscii, putant illos de se sermocinari. Talis res peccatum est, nullo prodit arguente, nullo condemnat accusante, pavidum facit et timidum peccatorem, sicut iustitia contrarium. Audi igitur, quo modo et hujus pavorem, et illius libertatem scriptura designavit: Fugit impius persequente nemine, inquit. Quo modo persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiae accusatorem, et hunc ubique circumfert: et sicut se ipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem: sed quocumque abeat, flagellatur, et vulnus habet immedicabile. At non talis justus: sed qualis, audi: Justus tanquam Leo, inquit, confidit.

Peccatum insipientes facit. Peccato nihil immundius. Psal. 57, 6.

5. PRAETEREA homilia 17. in Genesim: Nihil peccato pejus. Ipsum enim, ut introiret, non solum confusione totos nos replet, sed et insipientes facit eos, qui antea intellectu et sapientia multa praediti fuerant.

Joann. 5, 14.

Peccatum etiam corpora inficit.

6. ET homilia 51. in Joannem: Nihil peccato sordidius, nihil immundius, cujus naturam Propheta interpretatus, clamabat: Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae.

7. ITEM homilia 37. in Joannem super ea verba: Eo ce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: Res profecto gravis est peccatum, gravis inquam res, et animi perniciosa, ut nonnunquam vi et exsuperantia sua corpora quoque inficiat. Brevi peccatum patrat, morbi tormenta diuturna sunt. Si gravem priorum scelerum poenam dedimus, deinde in eadem inciderimus, dabitur longe majorem: et merito sane. Qui enim supplicio non fit melior, tanquam stupidus quidem et contemptor,

graviorem sibi poenam praeparat. Ipsum namque peccatum, semel lapsum, satis superque cohibere, et sapienter reddere debebat, ne iterum in idem prolaberetur. Quod si post datas poenas in eadem iterum crimina prolapsi, graviori poena afficimur: quid his sperandum est, † qui in ipso supplicio in iisdem sceleribus pertinaciter perseverant? Et qua gratia, inquires, non omnes puniuntur? Etenim multos videmus, et quidem scelestissimos, bona corporis valetudine, et prospera fortuna lascivientes: nolimus propterea eos admirari, sed deplorare potius: quod enim in hac vita nihil adversi patiuntur, majoris in futura supplicii est argumentum. Hoc et Paulus his verbis significavit: *Dam judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Hic enim correctio est, illic supplicium.*

8. IDEM Chrysostomus homilia 28. in epistolam ad Romanos: Peccatum daemone pejus ejciamus. Daemon siquidem non omnino spoliat regno caelorum: sed subinde fit, ut et prosit modesto ac vigilantibus. Peccatum vero omnino excludit: Voluntarius quippe daemon est peccatum, spontanea insania.

9. RURSUS homilia 41. in acta Apostolorum: Non est ita magnum, a daemone liberari, ut eripi a peccato. Daemon non prohibet regnum caelorum assequi, licet cooperetur, invitus quidem.

10. ITEM homilia de Jona Propheta: Nihil grave aequae et onerosum invenis, quam peccatum, et ideo Zacharias plumbo peccatum figuravit: et David naturam ejus describens, ait: Iniquitates meae superaverunt caput meum, sicut onus grave gravatae sunt super me.

11. BASILIUS homilia in Psalmum 33.: Omni in Christum credenti angelus assistit, nisi illum a nobis per improbas actiones profligaverimus. Velut enim fumus apes fugat, et foedus odor columbas expellit: sic angelum vitae nostrae custodem abigit multa lacrymarum adspersione dignum ac graveolens peccatum.

12. AUGUSTINUS in libro expositionis quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, propositione 42.: Quod autem ait: *Venumdatus sub peccato*: intelligendum est, quod unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Unde et Dominus redemptor noster dictus est, quia hoc modo, quo dictum est, venditi eramus.

† nullo affecti supplicio,

Peccantium in hac vita prosperitas, cujus argumentum sit. 1. Cor. 11, 32.

Peccatum / daemone pejus.

Peccatum est voluntarius daemone.

Peccati gravitas. Zach. 5, 7. Psal. 37, 5.

Peccatum abigit custodem angelum.

Rom. 7, 14. Peccantes diabolo animam vendunt vilissimo pretio.

V.

Quae via ad peccati foveam ducit?

1) Aug. 1. 1.
de serm. Do-
mini in mon-
te c. 25. et
lib. 12. de
Trinit. c. 12.
Greg. hom.
10. in evang.
et lib. 4.
mora c. 27.

A. Tribus praecipue gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensu.

2) Jacob. 1.
14. et ibid.
Heda. Tob. 4.
O. Rom. 6.
12. Matth. 5.
22.

B. Suggestione quidem hostis, dum nobis prava ingeritur cogitatio, sive tentatio a mundo, carne vel Satana; delectatione autem nostra, dum animo jam nimium adlubescit, quod prava suggestit tentatio; demum, et proprio consensu, dum in peccatum ipsum voluntas allecta consentit de-

3) Greg. ad
interrogatio-
nem 11. Au-
gustini Can-
tuar.

liberate: Ex quo sane consensu peccatum jam consummatur, ut hominem non modo immundum, iniquumque faciat, et spiritualiter occidat, verum etiam coram Deo gehennae obnoxium reddat, etiamsi non semper opere perpetretur. Unde non temere dictum est illud: In suggestione semen, in delectatione nutrimentum, in consensu perfectionem inesse peccati.

4) Vide Gre-
gorium Mag-
num lib. 4.
moralium, c.
27. et Isido-
rum lib. 2. de
gemmo bono,
cap. 25.

C. Quod si exactius consideremus, qui soleant gradus esse peccati, in primis oritur ex suggestione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex peccati defensione gloriatio, ex gloriatioe damnatio. Haec est demum longa il-

5) Prover. 5.
22. Psal. 118.
61. 2. Reg.
22. 5. Vide

la et horrenda peccatorum catena: Hi sunt fures atque compedes, quibus adstrictum homi-

nem Satanus nunc in omne genus malorum, ac tandem in tartaream abyssum praecipitat infelicissime. Atque idcirco plurimum refert, peccatorum gradus ejusmodi atque propagines, ne fallamur atque periclitemur, studiose discernere et observare.

Aug. lib. confessorum, c. 5.

SCRIPTURAE.

Jacob. I.: Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.

Tob. IV.: Cave, ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei nostri.

Rom. VI.: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

Matth. V.: Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis.

Proverb. V.: Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.

Psal. CXVIII.: Funes peccatorum circumplexi sunt me.

II. Reg. XXII.: Funes inferni circumdederunt me: praevenērunt me laquei mortis.

PATRES.

1. A. AUGUSTINUS libro 1. de sermone Domini in monte, cap. 23.: Sane considerandum est, quod non dixit: Omnis, qui concupiverit mulierem; sed: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: id est, hoc fine et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat: quod jam non est

Matth. 5, 28.

Tribus impletur peccatum.

titillari delectatione carnis, sed plene consentire libidini, ita, ut non refrænetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satiatur. Nam tria sunt, quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, et consensione. Suggestio, siye per memoriam fit, siye per corporis sensus, cum aliquid videmus aut audimus; vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus: Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrænanda est. Velut cum jejunamus, et visis cibis, palati appetitus assurgit, non fit, nisi delectatione; sed huic tamen non consentimus, si eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Notum autem Deo in corde nostro, etiam si facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi a serpente suggestio fiat, id est, lubrico et volubili, hoc est, temporali corporum motu: quia et si qua talia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecus tracta sunt: et si quis occultus præter istos quinque sensus motusque corporis animum tangit, est etiam ipse † temporalis et lubricus: et ideo quanto illabatur occultius, ut cogitationem contingat, tanto convenientius serpenti comparatur. Tria ergo hæc, ut dicere coeperam, similia sunt illi gestae rei, quæ in Genesi scripta est, ut quasi a serpente fiat suggestio et quaedam suasio: in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio: in ratione vero tanquam in viro, consensio: quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ, in mortem homo expellitur, justissime omnino. Non enim cogit, qui suadet. Et omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchrae sunt, sed de superioribus, in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur, et ideo si fecerit, sine justa defensione punitur. Non enim hoc committit invitus. Verum tamen delectatio ante consensionem vel nulla est, vel tam tenuis, ut prope nulla sit. Cui consentire, magnum peccatum est, cum illicita est. Cum autem quisque consenserit, committit peccatum in corde suo. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et extingui cupiditas; Sed postea cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio: quæ tamen adhuc multo minor est, quam illa, quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur. Hanc enim vincere difficillimum est: et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, et christianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore superabit: ac sic in pristinam † potestatem atque ordinem et

al. † corporalis.
Suggestio comparatur serpenti, delectatio mulieri, consensus viro.

Illicitæ delectationi consentire, magnum peccatum est.

al. † peccum.

vir Christo, et mulier viro subjicitur. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita ipsius peccati tres sunt differentiae, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes. Una quasi in domo, id est, cum in corde consentitur libidini: altera jam prolata, quasi extra portam, cum in factum procedit assensio: tertia, cum vi consuetudinis malae tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quae tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat, quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit: Puella, surge. Et alibi: Juvenis, dico tibi, surge. Alibi: Infremuit in spiritu, et flevit, et rursus fremuit, et post deinde voce magna exclamavit: Lazare, veni foras.

Matth. 9.24-25.
Luc. 7. 14.
Joan. 11.43.

2. IDEM libro XII. de trinit., cap. 12 : Cum huic intentioni mentis, quae in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi se, id est, tanquam bono quodam privato et proprio, non tanquam publico atque communi, quod est incommutabile bonum: tunc velut serpens alloquitur foeminam: huic autem illecebrae consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris vero auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato: sic habendum existimo, velut cibum vetitum mulier sola comederit. Si autem in consensione male utendi rebus, quae per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur, intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penes quam summa potestas est, membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malae actioni cedat et serviat. Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens libenter, quae statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum non est esse peccatum, sed longe minus, quam et si opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, peccatusque percutiendum, atque dicendum: Dimitte nobis debita nostra: faciendum quoque, quod sequitur, atque in

Serpens quando alloquitur foeminam. Manducare de ligno vetito.

Dare viro simul edendum.

Voluntaria oblectatio in cogitatione illicita, peccatum est.

Matth. 6.12.

oratione jungendum: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur. Ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari: absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.

Propter so-
lam volunta-
tem oblec-
tandi se illi-
citis cogita-
tionibus,
damnamur.

Vide 8.
Thom. 12. q.
74. art. 8.

Tribus modis
peragitur
tentatio.

Matth. 4. 1.

3. GREGORIUS homilia 16. in Evangelia: Sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, et consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semet ipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit.

4. IDEM libro IV. Moralium, cap. 27.: Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestionem, delectationem, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim, quæ terrere mentem debuit, extollit, et dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit: qui etiam requisitus, confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suadet, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit: Eva delectata est, quia carnalis sensus, ad verba serpentis mox se delectationi substernit: Consensum vero Adam mulieri praepositus praebeuit: quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam, confiteri

Serpens sua-
det.
Eva delecta-
tur.
Adam con-
sensit.

culpam noluit: quia videlicet spiritus, quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinae suae audacia nequius obduratur. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur: postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc et in consuetudinem ducitur; ad extremum vero vel falsae spei seductionibus, vel obstinatione miserae desperationis enutritur.

1. B. BEDA in I. cap. Jacobi: Tribus modis tentatio agitur: suggestione, delectatione, consensu. Suggestione hostis, delectatione autem vel etiam consensu nostrae fragilitatis. Quod si hoste suggerente delectari aut consentire peccato nolumus, tentatio ipsa nobis ad victoriam provenit, qua coronam vitae mereamur accipere. Si vero et hostis suggestione paulatim a recta intentione abstrahimur, et vitio incipimus illici, delectando quidem offendimus, sed necdum lapsum mortis incurrimus. At si delectationem concepti corde facinoris, etiam partus pravae sequitur actionis, nobis jam mortis reis, victor hostis abscedit. Quod ut adstruamus exemplis, tentatus est Joseph Gen. 39, 7. verbis Dominae, sed quia concupiscentiam libidinis non habuit, suggestione tantum, non etiam delectatione vel consensu, tentari potuit: ideo victor evasit. Tentatus est David 2. Reg. 11, 2. visu uxoris alienae, et quia necdum carnis appetitum vicerat, a concupiscentia sua abstractus et illectus est. Atque ubi conceptum scelus perfectit, reatum mortis etiam proprio ore judicatus incidit, quam tamen poenitendo evasit. Tentatus est Judas per philargyriam, et quia erat avarus, Matth 26, 14. 15. ab ipsa sua concupiscentia abstractus et illectus, ad interitum consentiendo decidit. Tentatus est Job multipliciter: Job 1. et 2. sed quia nec possessiones, nec salutem corporis divino amori praeposuerat, tentari quidem suggestione hostili potuit, sed consentire vel saltem delectari peccato nullatenus valuit. Quod ergo dicitur: Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem: respicit e contrario ad hoc, quod supradictum est de eo, qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Sicut enim ille, qui tentatus superat, praemia vitae meretur: ita nimirum, qui concupiscentiis suis illectus, a tentatione superatur, merito ruinam mortis incurrit.

2. GREGORIUS Magnus in responsione ad 11. interrogationem Augustini Cantuariensis Archiepiscopi: Tribus Tribus modis impletur peccatum. modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum,

delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia cum primam culpam serpens suggestit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consentit. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem, et consensum iudex sui animus praesideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero caro delectari coeperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestionem igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et saepe contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde et ille caelestis exercitus praecipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Si autem captivus erat, minime pugnabat. Quapropter et captivus erat, et captivus non erat, et pugnabat. Igitur legi mentis, lex quae in membris est, repugnabat. Pugnabat autem, qua propter captivus non erat. Ecce itaque homo, est, ut ita dixerim, et captivus, et liber: Liber, ex justitia, quam diligit: captivus, ex delectatione, quam portat invitus.

Consensione
perficitur
peccatum.

Rom. 7. 23.

1. C. GREGORIUS Magnus libro IV. *Moralium*, capite 27., ut supra hac eadem quaestione A.

Gradus pec-
catorum.

2. ISIDORUS Episcopus, libro II. de summo bono, capite 23.: Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem: sicque his vinculis homo implicatus, quadam catena vitiorum tenetur adstrictus: ita ut ab ea evelli nequaquam valeat, nisi divina gratia manum jacentis apprehendat. Peccatum admittere, cadere est in puteum: consuetudinem vero peccandi facere, os putei est coangustare, ne is, qui cecidit, valeat exire. Sed interdum etiam tales Deus liberat, dum eorum desperationem ad conversionem libertatis commutat. Ipso enim miserante peccata dimittuntur: quo protegente

Catenavitio-
rum.

fit, ne in deterius peccando eatur. Nequissimum est peccare, pejus est peccandi consuetudinem facere. Ab illo facile, ab hoc cum magno labore resurgitur, dum malae consuetudini repugnatur. Male agendi consuetudinem, recessum esse Propheta asserit in profundam, cujus usu quasi quadam lege homo tenetur adstrictus, ut etiam, quando non vult, peccatum admittat. A lapsu vero cito resurgere, non est in profundum ire. Apostolus legem peccati dicit esse in membris suis, quae lex consuetudo est, quam peccando concipimus, et non ab ea, cum volumus, discedimus: quia jam necessitatis vinculo per consuetudinem retinemur.

Peccandi
consuetudo.

3. AUGUSTINUS libro VIII. confessionum, cap. 5.: Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: et dum servitur libidini, facta est consuetudo: et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ausulis quibusdam sibi inmet innexis, unde catenam appellavit, tenebat me obstrictum dura servitus. Et post nonnulla: Frustra condelectabar legi tuae secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meae, et captivum duceret in lege peccati, quae in membris meis erat. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur et tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabatur.

Catena pec-
catorum.

Rom. 7. 25.
Lex peccati
est violentia
consuetudi-
nis.

4. GREGORIUS libro XXV. Moralium, cap. 12.: Omne peccatum, quod tamen citius poenitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati: Peccatum namque, quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.

Peccatum
unum trahit
ad aliud.

VI.

Quomodo peccata facile devitantur?

A. Primum quidem, si quae peccatis mala et pericula succedant, provideamus: deinde, si illorum initiis pravisque suggestionibus, quibus ad peccandum facile sollicitamur, statim occur-

1) Psal. 156.
9. Jacob. 4.

7. 8. 1. Pet. ramus atque repugnemus fortiter: postremo, si
5. 8. 9.
2) Rom. 12, 1² virtutes peccatis contrarias exercitare nitamur,
— 6. 9 — 21.
Eph. 4. 1—5.
22—33. Phi-
lip. 4. 5—9.
3) Eccl. 18,
50. 51.

Christo in his omnibus auxiliante.

B. Monet igitur Ecclesiasticus: ⁶ *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Unde divinum

a) Gen. 4, 7. etiam oraculum pronuntiat: ⁴ *Nonne si bene egeris, recipies? si autem male, statim in foribus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Atque hic locum habet ar-

5) Ephes. 6,
12—18. Heb.
12, 5. 4.

matura spiritualis, qua vult Paulus Christi milites adversus peccatum et insidias omnes diaboli esse munitos, ut peccato repugnare, in die malo resistere, et omnia tela nequissimi extinguere possint.

S C R I P T U R A E.

Eccles. XVIII. et Genes. IV., ut in textu.

Psalm. CXXXVI.: Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram.

Jacob. IV.: Subditi estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.

I. Petr. V.: Adversarius vester diabolus tanquam le rugiens circuit, quaerens, quem devoret. Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quae in mundo est, vestrae fraternitati fieri.

Rom. XII.: Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium ves-

trum. Et nolite conformari huic seculo: sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et bene placens, et perfecta. - Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Odientes malum, adhaerentes bono. Caritatem fraternitatis invicem diligentes. Honore invicem praevenientes, sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Orationi instantes. Necessitatibus sanctorum communicantes. Hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos. Nulli malum pro malo reddentes. Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmet ipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Deut. 32. Prov. 25. Sed si esurierit inimicus tuus, eiba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Ephes. IV.: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Deponite vos, secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae,

et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. Irascimini et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Philip. IV.: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. De caetero fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, siqua virtus, siqua laus disciplinae, haec cogitate. Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.

Ephes. VI.: De caetero fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo

succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica[m] justitiae, et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: e galeam salutis assumite, et gladium spiritus, (quod est verbum Dei) per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis et pro me.

Hebr. XII: Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semet ipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

I.

Quae sunt peccata praecique animadvertenda?

Ea nimirum, quae dicuntur capitalia, quod sint veluti fontes vel capita reliquorum, et e quibus velut ex corrupta radice, pestiferi plane fructus nascuntur, et longa quasi stirpe omnis generis vitia, turpitudines, scandala, damna, corruptelae, ac pestes humani generis descendunt, et vi magna profluunt.

II.

Quot sunt peccata ejusmodi capitalia?

De his Greg.
lib. 3. Mor.
cap. 31. et
Cassianus
collatione 5.
Item lib. 5.
et sequent.

Septem, quae sic numerantur: Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Sed ut haec maximo semper odio persecuenda fugiendaque, sic virtutes septem, quae peccatis illis opponuntur, summo quidem studio et amore, si vitam animae quaerimus, sunt consecrandae. Superbiae contraria est ¹ humilitas, avaritiae ² liberalitas, luxuriae ³ castitas; cum invidia pugnat ⁴ caritas, gulae opponitur ⁵ abstinentia, irae ⁶ patientia: demum acediae devotio, ⁷ seu pia sedulitas, sedulaque pietas adversatur.

1) Col. 3. 12.
2) 2. Cor. 9.
5 - 7.
3) Act. 24.
25.
4) 1. Cor. 13.
4.
5) Eccl. 31.
31 - 40. 19
- 22.
6) Hebr. 10.
36.
7) 1. Cor. 15.
58.

S C R I P T U R A E.

Coloss. III.: Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem etc.

II. Corinth. IX.: Necessarium existimavi rogare fratres; ut perveniant ad vos, et praeparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate: hilarum enim datorem diligit Deus.

Act. XXIV.: Disputante autem illo (Paulo) de justitia et castitate etc.

I. Corinth. XIII.: Caritas patients est, benigna est, etc.

Eccles. XXXI.: Utere quasi homo frangi his, quae tibi apponuntur, ut non, cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior causa disciplinae: et noli nimius esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam: nec prior poscas bibere. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem. Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superbiorum arguet in ebrietate potatum. Aequa vita hominibus vinum in sobrietate: si bibas illud moderate, eris sobrius, Vinum in iucunditatem creatum est, et non in ebrietatem ab initio. Exsultatio animae et cordis, vinum moderate potatum. Sanitas est animae et corpori sobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem et iram et ruinas multas facit. Amaritudo animae, vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera.

Hebr. X.: Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

I. Corinth. XV.: Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.

III.

Quid est superbia, et quas gignit filias?

A. Superbia¹ est inordinatus appetitus excellentiae, sive intus lateat in animo, sive extrinsecus etiam sese prodatur.

1) Vide Chrys. hom. 43. ad pop. Antioch. Bern. de grad. humil. Greg. 34. moral. cap. 17. et seq. et lib. 23. cap. 7. Prosp. ad Demetr. Isidor. de summo bono lib. 2. cap. 38.

B. Haec vitiorum quidem omnium mater, princeps ac² regina est: quae praecipue infelicem hanc sobolem gignit:

2) Greg. lib. 31. Moral. cap. 31. Prosper. lib. 5. de vita contemp. cap. 2.

3) Deut. 17, 12. 13. Sapient. 5, 8. Matth. 23, 11. Prov. 13, 10. Gen. 49, 7. Prov. 6, 16—19. 1. Tim. 5, 13.

⁵ inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, curiositatem.

4) Tob. 4, 14.

5) Eccl. 10, 14.

6) Jacob. 4, 6. 1. Petr. 5, 5.

7) Eccl. 10, 7.

Ibid. 18.

Ibid. 9.

C. Ut autem delictum hoc maximum caveatur, Tobias in hunc modum admonet: ⁴ *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim* ⁵ *initium sumpsit omnis perditio. Hinc apostolica illa doctrina:* ⁶ *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Immo si Ecclesiastico credimus:* ⁶ *Odibilis est coram Deo et hominibus superbia. Radices gentium superbium arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Quid ergo superbis terra et cinis?*

P A T R E S.

Tob. IV., Eccles. X.: Jacob. IV.: prioris Petri V., ut in textu.

Deuter. XVII.: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens, timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

Sap. V.: Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius praecurrens, etc.

Matth. XXIII.: Qui major est vestrum, erit minister vester. Quis autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur. Vae vobis Scribae et Pharisei hypocritae, quia comeditis domos viduarum, orationes lon-

gas orantes; propter hoc amplius accipietis iudicium. Vae vobis Scribae et Pharisei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia: sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

Prov. XIII.: Inter superbos semper jurgia sunt.

Genes. XLIX.: Maledictus furor eorum, quia pertinax.

Prov. VI.: Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias.

I. Timoth. V., reprehendens Apostolus viduas quasdam adolescentiores: Non solum (inquit) otiosae, sed et verbosae et curiosae, loquentes, quae non oportet.

P A T R E S.

1. A. CHRYSOSTOMUS homilia 43. ad populum Antiochenum: Quemadmodum saevi quidem venti, in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut et arena cum undis misceatur: sic et ambitio et turpis quaestus animam subeuntes, omnia subvertunt. Excaecat mentis intuitum; praesertim gloriae furor: nam pecunias quidem contemnere, volenti satis est facile: honorem autem a multis collatum despiciere, multi laboris indiget, magnae sapientiae, angelicae cujusdam animae, ipsum caelestis testudinis verticem tangentis. Cogita, cum gloriam concupiscis, quod eam sis assecutus, et discite finem, et nihil invenies. Cogita, quantum ea res habeat jacturam, quot et qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit atque pericula, fructibus autem privabitur et certaminum praemiis. Cum aliquid boni faciens cogites, quod et hominibus oportet ostendere, et sollicitus sis, ut videatur: cogita, quod Deus videt, et omnem illam exstingues concupiscentiam. De terra recede, et ad aliud caeleste respicias theatrum. Homines licet lau-

Modus et ratio vanae gloriae cupiditatem restringendi.

daverint, mox tamen accusant vel invident, vel carpunt: vel si hoc non fecerint, nihil tamen omnino laudato prosunt. Deus tamen non ita, sed gaudet nostra laudans merita. Dixisti recte, plaususque consecutus es? Si adjuti quidem sunt plaudentes, et mutati, et meliorès effecti, prioribus abstinuere malis, vere gaudendum est, non jam collatis laudibus, sed bona mirabilique mutatione: si vere laudantes quidem et tumultuantes perseverant, nullum autem ex plausibus fructum reportant, dolendum magis est, quoniam haec eis in judicium cedunt et damnationem. Sed in pietate gloriam habes? Si vere quidem sis pius, et tibi nihil conscius sis mali, oportet gaudere, non quoniam videris, sed quoniam es. Si cum sis, multorum quidem gloriam concupiscis, cogita, quod non hi nobis iudices erunt in illa die, sed qui latentia perfecte novit. Si vero tibi peccatorum conscius, apud omnes mundus suspicaris, non tantum gaudere non oportet, verum et dolere, et amare gemere, diem continue cogitantem, in quo omnia revelantur, in quo abscondita tenebrarum illuminantur. Honore delectaris? hunc repelle, sciens, quod te debitorem constituit. Honorem tibi praebet nemo? et in hoc gaudendum est. Non enim cum aliis et hoc tibi Deus improperebit, quod honore delectatus es. Hoc saltem lucraris, quod majori supplicio non eris obnoxius. Anima namque cupiens honorem et glorificari, non videbit regnum caelorum. Non meus est hic sermo, sed spiritus sancti. Non videbit, licet virtutem operetur; ait enim: Receperunt mercedem suam. Non prohibeo optare gloriam, sed veram volo gloriam, quae est a Deo: cujus laus est, inquit, non ex hominibus, sed ex Deo. In abscondito simus pii, non multo circumdati fastu, et ostentatione, et simulatione. Ovis pellem abjiciamus, sed potius oves efficiamur. Nihil hominum gloria vilis. Dic enim mihi, si parvulorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupiscis? sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur: Nonne vides personas, quas in scena versantes induuntur, quam sint pulchrae quidem, quam vero splendidae, quam ad extremam pulchritudinis perfectionem effictae? Potes mihi talem adspectum in veritate monstrare? Nequaquam. Quia vacuae sunt, et imitantur pulchritudinem: pulchritudo tamen non sunt. Similiter et gloria inanis. Cum nolis gloriam contemnere, dic: Par Deo fio, si contempsero: et statim contemnes. Non enim potest gloriae servus homo, non

Matth. 6, 2.
5.
Rom. 2, 29.

Nihil hominum gloria vilis.

omnium servus esse, et ipsis servilior mancipiis. Sicut est modestiae principium jejunium, id est, fundamentum et constitutio: sic et peccati superbia: et ab ea omne peccatum inchoatur. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multae desiderium gloriae. Elatus, etiam nec a majoribus, nedum ab inferioribus, contumeliam pati sustinet: qui vero contumelia non tolerat affici, neque male pati sustinebit. Qui novit, quod Dei filius se tantum humiliavit, non extollitur. Si Deus contritum diligit spiritum, e contra superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: nullum itaque malum par elationi: hominem reddit daemonem, contumeliatorem, blasphemum periturum: caedes facit et homicidia cupere. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper moeret. Nihil est, quod ejus possit explere libidinem: si vel regem viderit supplicantem et adorantem, non est satiatus, sed magis accensus. Sicut enim avari quanto plura ceperint, tanto pluribus egent: itidem et superbi, quanto majori funguntur honore, tanto plus concupiscunt. Jam naturae terminos transcenderunt curiosi, et superflua satagentes, quantumcunque passi fuerint, non sistunt. Igitur quomodo superbiam extinguere possumus? Si Deum agnoscamus. Nam si ex ignorantia Dei nascitur, cum ipsum agnoverimus, expellitur omnis insolentia. Cogita gehennam, cogita multo meliores te: cogita, quod Deo poenas debeas. Sed non potes ista facere, es imbecillior: cogita praesentia, ipsam humanam naturam, quam nihil sit homo. Cum videris in foro mortuum efferri, orphanos sequentes filios, uxorem viduam plangentem, praesentium rerum utilitatem cogita, et quod ab umbra somniisque nihil differunt. Sed non vis hoc: at cogita praedivites in bellis temere pereuntes: magnatum et illustrium domos considera nunc solo prostratas: considera, quantum potuerunt, et nunc nec eorum quidem memoria remanet. Per singulos enim dies, si velis, horum exempla reperies, magistratum successiones, praescriptiones divitum. Cogita, cum dormis, quo sis dignus: nonne vel minima bestia te posset interimere? Multis enim a tecto frequenter illata brevis bestiola vel oculum eruit, vel alicujus alterius periculi causam attulit.

2. BERNARDUS in tractatu de gradibus humilitatis, hos duodecim enumerat superbiae gradus: Curiositatem, levitatem animi, ineptam laetitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, praesumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem peccandi, consuetudinem peccandi.

Omne genus peccati ex superbia nascitur.

Psal. 50. 19.
1. Petr. 5. 5.
Hominem reddit daemonem.

Superbia quomodo comprimatur.

3. GREGORIUS libro XXXIV. *Moralium*, cap. 17.:

- Job. 40, 20.** Notandum, quod Leviathan iste, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur: quia videlicet cordis superbia cum exterius usque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, et quo se deprimunt, altius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quasdam se fenestras ostenderet, nequaquam Deo
- Psal. 47, 26.** Psalmista dixisset: Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. Et paulo post: Ut Leviathan iste in cunctis, quae superius dicta sunt, caderet: sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset.
- Ecl. 10, 15.** Scriptum est namque: Omnis peccati initium superbia. Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem stravit. Et post pauca: Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia extrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi haec mentem in occulto stringeret. Haec est, quae Leviathan istius sensum fervescere sicut ollam facit. Unde et humanas mentes in quodam fervore insaniae concutit, sed per aperta opera qualiter concussi animam evertat, ostendit. Intus namque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere. **ET capite 18.:** Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem; quam vitiorum radicem diximus: nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animae membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit. Et paulo post: Quisquis vero ejus in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo, iudicii aequitatem perdit. Nam cuncta, quae ab aliis bene geruntur, displicent: et sola ei, quae ipse vel prave egerit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur, quae ipse facit. **ITEM cap. 20.:** Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacesseos vero alios importuna: ad ea, quae facere et debet et praevallet,

Superbia
omnibus vir-
tutibus ad-
versatur.

Judicii ae-
quitatem per-
vertit.

Externi mo-
res et gestus
superborum.

ignava: ad ea autem, quae facere et debet et praevalct, parata. Haec in eo, quod sponte non appetit, nulla exhortatione flectitur: ad hoc autem, quod latenter desiderat, quaerit, ut cogatur: quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare. CAPITE 22.: Ad hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostrae suscepit, ad hoc invisibilis non solum invisibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. CAPITE 23.: Quia igitur redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum, superbia est: at contra, humilitas, electorum. Cum ergo quam quisque habeat, cognoscitur: sub quo rege militet, invenitur.

Job. 41.
Evidentissimum reproborum signum est superbia.

4. IDEM libro XXIII. Moralium, capite 7.: Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semet ipsis habere se aestimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe cum jactant se habere, quod non habent, aut despectis caeteris singulariter videri appetunt habere, quod habent. A semet ipso enim bonum se habere jactabat, cui per apostolum dicitur: Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Rursum, ne dari nobis bonum gratiae pro nostris praecedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens: Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Qui etiam de semet ipso ait: Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum. Quibus verbis aperte declarat, quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex se ipso docuit, et quid de malitia meruit, et quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli jactant se habere, quod non habent, sicut divina voce per Prophetam de Moab dicitur: Superbiam ejus et arrogantiam ejus ego novi, et quod non sit juxta eum virtus ejus. Et sicut Angelo Ecclesiae Laodiceae dicitur: Quia dicis, quod dives sum et locupletatus; et nullius egres, et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus. Rursum nonnulli, despectis caeteris, videri appetunt singulariter bonum habere, quod habent. Unde et Pharisaeus idcirco de templo absque justificatione descendit: quia bonorum ope-

Species superbiae quatuor.

Prima.
1. Cor. 4, 7.

Secunda.

Ephes. 2, 8.

1. Tim. 1, 15.

Tertia.
Hierem. 45, 29.

Apoc. 3, 17.

Quarta.

Luc. 48, 14.

rum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se praetulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de praedicatione redeuntes, cum elati dicerent: Domine, in nomine tuo etiam daemonia nobis subjecta sunt: ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondit Dominus, dicens: Videbam Satanam velut fulgur de caelo cadentem. Ipse quippe singulariter elatus dixerat: Super astra caeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo. Et mire Dominus, ut in discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinae retulit, quod ipse magister elationis accepit: ut in auctore superbiae discerent, quid de elationis vitio formidarent. In hac itaque arrogantiae quarta specie crebro humanus animus labitur: ut id, quod habet, habere se singulariter gloriatur. In qua tamen similitudini diabolicae vicinius appropinquat: quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior caeteris quaerit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad aquilonem ponens, et altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere.

Superbiae quarta species hominem diabolo similem facit.

5. PROSPER Regiensis Episcopus in epistola ad virginem Demetriadem: Si quis est, qui aliqua se habere existimat bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi auctor existat: manifestum est, hunc non Dei spiritum habere, sed mundi, et de illa saecularis sapientiae tumere doctrina, de qua dicit Dominus: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Inter omnes lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quam superborum ruina, maxime cum ipsa elatio in Dei tendit injuriam. Nam aliter inflantur, qui cupiditate extollentiae singularis omnibus appetunt anteferri: aliter vero intumescunt, qui Dei auxilium refutantes, quae fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, et spem suam a Domino auferunt, atque ad se transferunt, ut adimpleatur in eis, quod scriptum est: **Hiem. 17, 5.** Maledictus homo, qui spem habet in homine, et firmat carnem brachii sui, et a Domino discedit cor ejus. Haec **Esai. 46, 15.** superbia a diabolo sumpsit exordium: qui quoniam sua, quam a creatore acceperat, potentia et dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriae comparavit, cum iis angelis, quos in consensu impietatis suae traxerat, a caelesti **Gen. 5, 4, 5.** sublimitate dejectus est. Et ideo primis hominibus nocere

Omnis boni auctor Deus agnoscehdus.

1. Cor. 4, 18. Isa. 29, 14. 33, 18. juxta LXX.

Nulla gravior, quam superborum ruina.

potuit: quia illis male credulis per mendacia venenata persuasit, ut meliores se futuros putarent, si in libertate sui arbitrii prosilirent, quam si in legis datae custodia permanerent. Sive itaque in lapsu diaboli, sive in praevaricatione hominis, initium peccati superbia est: quae congruenter et avaritia nominatur, quia utraque appellatio eum significat appetitum, qui et suam mensuram concupiscat excedere, et non dignetur dives esse nisi propriis: tanquam habeat hoc simile Deo, ut honorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. Et paulo post: Quia inter vitia aut nulla est, aut rara jactantia, et facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur: malum superbiae maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur. Multi enim servientes Deo, et in lege ejus die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desideriis et concupiscentiis, omniumque illecebrarum incentiva domuerunt, non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus depravati, mundum istum nec dilere obsequentem, nec timere terrentem. Tantam itaque firmitatem, et tam sublime propositum, quae impugnatione diabolus posset adoriri, nisi ut quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem: et inde novissime instrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiis et tepidis, neque inertibus et incultis, sed magis quibusdam animis sedulis et honorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepsit humanam: et quos impulsione non movit, elatione dejecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores suis invenit insidiis. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicens: Cum timore et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris: ne de ipsis prohibitatis augmentis mens sibi conscia, et laudis avida, in superbiae rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Si ergo omnia, quae ad vitam et pietatem pertinent, Deus nobis divina sua virtute donavit: nihil magis fugiendum est, quam appetitus hujus concupiscentiae: quae virtutem negat divini operis, amore propriae dignitatis. Et cum aliae cupiditates ea tantum bona, quibus adversantur, imminuant: haec, dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit. Cum itaque totius superbiae generale nomen odiosum sit, sive illa de

Superbia virtutibus et iis, qui virtute praediti sunt, maxima insidiatur.

PHILIP. 2. 12.

Superbia omnia bona corrumpit.

honore suo, seu de nobilitate, vel de immodicis opibus intumescat: haec pars ipsius omnibus tentationibus nocentior invenitur, quae videtur iis, quas perditas cupit, amica esse virtutibus. Sed quia sublimiora quaeque gravius corrunt, gaudet princeps superbiae, eos, quos potuerit sua impulsione prosternere, ad celsiora crevisse. Et post pauca: Inflatio et ambitio, et priorum bonorum superba defensio, possunt destruere eleemosynas, possunt evacuare martyria: si et magnas opes amore quis humanae laudis effundat, et saeva supplicia non ea fortitudine, quam Deus tribuit, sed ea, quam de se praesumpsit, excipiat.

6. ISIDORUS libro II. de summo bono, capite 38.: Omnis peccans, superbus est, eo quod faciendo vitia, contemptui habeat divina praecepta. Recte ergo initium omnis peccati, superbia: quia nisi praecesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis non sequitur culpa. Omnis superbia tanto in imo jaecet, quanto in altum se erigit: tantoque profundius labitur, quanto excelsius elevatur. Qui enim per propriam attollitur superbiam, per Dei justitiam inclinatur. Qui inflantur superbia, vento pascuntur; unde et Propheta: Omnes, inquit, pastores tuos pascet ventus, hoc est, superbus spiritus. Qui de suis virtutibus superbiunt, ex ipsis judicandi sunt operibus, quibus pro virtutibus utuntur: quia rem bonam non bona voluntate faciunt. Nam re vera sine humilitate virtus quaelibet et sine caritate, in vitio deputatur. Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Superbia sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Haec enim prima aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus ejicit. Inde et omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes, quam per vitia humanam mentem exterminat. Ibi cadit superbia, ubi et nascitur, ut non sit superbis aliud culpa, aliud poena, sed ipsa culpa sit illis et poena. De superbia nascitur arrogantia, non de arrogantia nascitur superbia. Nam nisi praecesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta jactantia laudis. Ita ergo in culpa praeponitur superbia arrogantiae, sicut praefertur ex origine. Utilius est arrogantem in quocunque vitio labi, et humilem, post casum, Deo fieri, quam per elationem superbire, gravioresque ruinam et damnationem per superbiam sumere.

4. B. GREGORIUS libro XXXI. Moralium, cap. 31.: Ipsa vitiorum regina superbia cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibus-

Omnis peccans, superbus est.
Ecol. 10, 15.

Hierem. 22.
22.

Ruina est omnium virtutum superbia.

Vitiorum regina superbia.

dam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis procul dubio importunae vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter, ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali, superbia est: de qua, scriptura attestante, dicitur: Initium omnis peccati est superbia. Primae autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his superbiae vitiis nos captos doluit, idcirco redemptor noster ad spirituale liberationis praelium, spiritu septiformis gratiae plenus venit. Sed habent contra nos haec singula exercitum suum. Nam de inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciae, discordiae, et novitatum praesumptiones oriuntur. De invidia odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, blasphemiae proferuntur. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiae, et contra misericordiam obdurations cordis oriuntur. De ventris ingluvie inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequenter exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet septem, quinque spiritualia, duoque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiae soboles, inanis est gloria, quae dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit: quia nimirum dum vani hominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur: et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositae actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur: quia turbata mens, quo se inordinate concutit, eo addicendo confundit: et cum dulcedinem tranquillitatis amisc-

Radix cuncti mali superbia. Eccl. 10.

Omnia capitalia vitia oriuntur ex superbia.

Filiae inaniae gloriae sive superbiae speciatim accipiuntur. Filiae invidiae.

Irae filiae.

Acediae filiae.

Avaritiae filiae.

Gulae filiae.

Luxuriae filiae.

Inter capitalia vitia quaedam sunt carnalia, quaedam spiritualia.

Quo ordine ex se mutuo generantur.

rit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens moeror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor, bonum laetitiae in semet ipso intus aniserit, unde consolari debeat, foris quaerit: et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat. Post haec vero duo carnalia vitia, id est, ventris ingluvies et luxuria, supersunt. Sed cunctis liquet, quod de ventris ingluvie luxuria nascitur.

Eccl. 10. 15.

Superbia,
omnium pec-
catorum cau-
sa.

2. PROSPER libro III. de vita contemplativa, capite 2.: Scriptura divina immobilem sententiam protulit, dicens: Initium, inquit, omnis peccati superbia. Quid potest apertius, quid probabilius dici? Initium, inquit, non alicujus, sed omnis peccati, superbia: ut evidenter ostenderet, quod ipsa sit peccatorum omnium causa: quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potest, potest aut poterit sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemptus est, quo ejus praecepta calcantur. Quem contemptum Dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi superbia, quae etiam in ipso diabolo, ut diabolus ex angelo fieret, aeternae perditionis exstitit causa. Denique et ipse sciens, se per superbiam de caelestibus corruisse, et in hunc caliginosi aëris carcerem trusum, homini subvertendo, quem Deus fecerat sine ullo peccato, vitium persuasit serpentina calliditate, superbiae: certus, quod recepta superbia, quae est malorum omnium causa, facile jam peccata omnia, quae non nisi superbo concipiuntur animo, perpetraret. Hinc est, quod idem primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quae in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit: ut corruptibilis et mortalis effectus, corruptibiles mortalesque generaret, atque ita quod in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret poena. Et propterea non eo modo jam possumus peccato resistere, sicut ille potuit.

Esaiæ 48.
48 — 45
Lucas 10. 15.
18.

Gen. 3. 4 5.

Humilitas
quam neces-
saria sit.

3. AUGUSTINUS epistola 56. ad Dioscorum: Nisi humilitas omnia, quaecumque bene facimus, et praecesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, et proposita, quam intueamur, et apposita, cui adhaereamus, et imposita, qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia: vitia quippe caetera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.

4. BERNARDUS sermone III. ex parvis sermonibus:

Est superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est. Contra quam sapiens orat, dicens: Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et alibi: Vae qui sapientes estis in oculis vestris. Superbia oris vel linguae, quae et jactantia dicitur, est, quando homo non magna de se sentit, sed etiam loquitur. Unde Psalmista: Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit. De qua idem psalmista ait: Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam. Superbia habitus est, quando homo, ut gloriosus videatur, pretiosis se ornat vestibus. Unde Paulus: Non in veste pretiosa. Et Dominus: Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, ubi superbia abundat. Sunt autem quinque, quae ad remedium tam mortiferae pestis, a Domino rationali animae sunt posita, locus, corpus, tentatio diaboli, praedicatio Christi, et ejus conversatio. Locus, quia exilium: corpus, quia onerosum: tentatio, quia inquietat: Christi praedicatio, quia aedificat: et ejus conversatio, quia informat. His quasi quinque sensibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim anima vita est corporis, ita Deus vita est animae: et sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quae per haec a Domino non humiliatur.

5. IDEM sermone 4. de adventu Domini: Utile est abscondere magis, quam ostentare, si quid habemus boni: sicut et mendici cum eleemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra aut ulcera, si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius Pharisaeo; et ideo descendit justificatus ab illo, id est, prae illo. Et post pauca: Propter quod et dicebat: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quae hic dicitur cordis. Priore cognoscimus, quod nihil sumus: et hanc discimus a nobis ipsis et ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi: et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semet ipsum, formam servi accipiens: qui etiam quaesitus in regnum, fugit: quaesitus ad tanta opprobria et ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semet ipsum.

Quadruplex
superbia.
Cordis.

Eccl. 23, 5.

Esaiæ 5, 21.
Oris.

Psal. 11, 4.
Operis.

Psal. 100, 7.
Superbia
habitus.

1. Timoth.
2, 9.
Matth. 11, 8.

Quinque re-
media contra super-
biam.

Pulchra si-
militudo.

Matth. 11,
20.
Duplex hu-
militas.

Phil. 2, 7.

Joan. 6, 15
et 16, 6, 8.

IV.

Quid est avaritia, et quarum filiarum mater?

1) Consule Basil. in dis-
tescentes et avaros hom.
6 et 7. Prosper. lib. 2.
de vita contempl. cap. 15
et 16. Isidor de summo
bono lib. 2. cap. 41. Aug.
lib. 3. de libero arbit. c.
17. et serm. 190. de
temp. Amb. in lib. de
Nabuthe Jesraelita.

2) Greg. lib. 51. moral.
cap. 31. 2. Tim. 3. 2-5.
Corinth. 6. 8-10. Ec-
cli. 11. 31. 33. 34. Za-
char. 8. 17. Matth. 6. 24
- 33. Prov. 22. 22. 21.
13. 6.

3) Col. 3. 8. 6. Eph. 5.
5. 6.

4) 1. Timoth. 6. 9. 10.
Esa. 5. 8. Marc. 10. 24.
25. Abacuc. 2. 6. 9. Ja-
cob. 5. 1-3. Eccl. 31.
5-11. Baruch. 5. 16
- 19. Psal. 49. 17-21.
12.

5) Eccl. 10. 9.

Ibidem. 10.

6) Matth. 6. 24.

Ibidem. 34.

7) Hebr. 13. 5. 6.
Luc. 12. 15-21.

Joan. 1. 5. Psal. 117. 6.

A. Avaritia¹ est habendi appetitus inordinatus. Avarus enim recte judicatur, non solum qui rapit, sed etiam qui concupiscit aliena, vel cupide servat sua.

B. Filiae² sunt hujus pessimae matris: Proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, immisericordia, seu inhumanitas, et cordis durities.

C. Damnat hoc vitium Apostolus,³ ut idolorum servitutem dixerit: ac praeterea ita scribit: ⁴ *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Et alibi scriptum habemus: ⁵ *Avaro nihil est scelestius.* Item: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet.* Et Christus ipse testatur: ⁶ *Non potestis Deo servire et mammonae.* Et iterum: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Quod Paulus etiam explicatius reddens, ita monet: ⁷ *Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Ipse enim dixit: *Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus, Do-*

*mnus mihi adjutor. * Habentes alimentum, et quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6, 8.

SCRIPTURAE.

I. Timoth. VI.: Eccl. X.: Matth. VI.: Hebr. XIII., ut in textu.

II. Tim. III.: Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei: habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes: Et hos devita.

I. Cor. VI.: Vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes etc., neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

Eccl. XI.: Non omnem hominem inducas in domum tuam: multae enim sunt insidiae dolosi. Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponat maculam. A scintilla enim una augetur ignis et ab uno doloso augetur sanguis: homo vero peccator, sanguini insidiatur.

Zachar. VIII.: Unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus.

Matth. VI.: Non potestis Deo servire et mammonae. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca? et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque

metant, neque congregant in horrea: et pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis plures estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri etc. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo cooperiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

Pr o v. XXII.: Non facies violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus.

Et cap. XXI.: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. **Ibidem:** Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis.

Col o s. III.: Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem etc., concupiscentiam malam et avaritiam, quae est simulacrorum servitus, propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis.

Eph e s. V.: Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet haereditatem in regno Christi et Dei. Propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae.

Es a i. V.: Vae, qui jungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terrae? In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum etc.

M a r c. X.: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Facilius est, camelum

per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

Abacuc II.: Vae ei, qui multiplicat non sua? Usquequo et aggravat contra se densum lutum? Vae, qui congregat avaritiam malam domui suae etc.

Jacob. V.: Agite nunc divites, plorate, ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit: et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

Eccl. XXXI.: Qui aurum diligit, non justificabitur. Beatus dives, qui inventus est sine macula; et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus illum? fecit enim mirabilia in vita sua. Quis probatus est in illo, (et perfectus inventus est) et erit illi gloria aeterna? qui potuit transgredi, et non est transgressus: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Baruch. III.: Ubi sunt principes gentium, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum exsurrexerunt.

Psal. XLVIII.: Ne timeris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Intraibit usque in progenies patrum suorum: et usque in aeternum non videbit lumen. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Ibidem: Et relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in aeternum.

Luc. XII.: Videte et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quae

possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis buberet fructus ager attulit: et cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animae meae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

P A T R E S.

Luc. 12, 18.
Totam hanc
homiliam Ba-
sili D. Am-
brosius eti-
am transla-
lit: estque
inter sermo-
nes ejus oc-
togesimus
primus.

Stulti nomi-
ne quoniam
appellentur.

Matth. 6, 20

Eleemosyna
non discernit.

A. BASILIUS homilia in dictum illud Evangelii: Destruam horrea mea, et majora aedificabo, quae est sexta inter homiliae Basili variorum argumentorum: Exemplum accusati divitis tibi ubique occurrit: qui quidem praesentia custodiens, et de futurorum spe anxie sollicitus, et incertus, num esset victurus crastino, hodie peccando diem antevertit crastinum. Nondum collegit fructus, et jam avaritiae judicium et condemnationem accepit. Quando terrena sapiis, et Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectibus obsequeris, audi te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit: Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent: quae autem parasti, cujus erunt? Habe, si vis, apothecas ventres pauperum, thesauriza tibi thesauros in caelo. Quae illic reconduuntur, ea neququam depascuntur tineae, nulla depopulatur caries aut erodit, nulli supplant praedones. Dixeris: Atqui tum in indignos dispartiar, quum horrea secunda complevero. Longa tibi vitae tempora praefixisti: vide, ne te illud tempus, quod certo ac praestituto termino accelerare solet, forte corripiat. Et profecto vitam sibi hoc modo confidentius polliceri, non bonitatis, sed malitiae est indicium. Vitam namque tibi polliceris, non ut posthac sis liberalior, aut tribuas: sed ut instantem mendicum a te propulses. Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit. Qui repetitur debitum, vinculis obtorto collo adstringitur: et tu eleemosynam in cra-

stinum differs? Audi Salomonem: Ne dicas, regressus revertere, et cras dabo. Ignovas enim, quid sequens pariet dies. Quantam te Deo beneficentissimo gratiam habere, quam hilarem esse te simul et in inopes munificum atque liberalem oportebat, quod non ipse pro foribus alienis coggeris obstreperus esse et querulus, sed tuas alii occupant? Nunc autem tristis es et difficilis. Unam tantum nosti vocem: Non habeo, non dabo: nam et pauper ego quoque sum. Pauper es profecto, pauper et omnium egens honorum. Pauper, inquam, caritate pauper, benignitate in indignos pauper, fide erga Deum pauper, pauper aeterna spe. Dixeris: Cui facio injuriam, si mea retineo conservoque? Quae illa, dic mihi, tua? Unde accepta haec ad traducendam praesentem hanc vitam invexisti? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox ut antevertit aliis, arripere caeteros abarceat ingressu, suo unius usui adjudicans, quod ad omnium communem usum proponitur. Tales et divites existunt. Communia namque quam priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nonne nudus ex utero matris excidisti? nudusque rursus reverteris ad humum? Haec tibi praesentia bona unde? Si a casu dixeris, impius es, eum non agnoscens, qui te condidit, neque ei, qui dedit, rependens gratiam. Quod si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quam ob rem haec sortitus es? Non enim injustus est Deus, qui ea, quae sunt ad victum, inaequaliter nobis divisit. Cur tu dives es, ille pauper? Profecto non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiae maximis praemiis honoretur. Tu vero insatiabilis avaritiae lacertis omnia circumplexus, et tot homines illis privans, neminem te laedere putas. Quis, quae-so, est avarus? Ille, qui eo, quod satis esse debet, non est contentus. Quis vero peculator? Ille, qui ad se unum transfert, quae singulorum sint. Tu ergo non avarus? Non tu peculator, cum ea, quae ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis? Esurientium est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu terrae infossum possides. Quare tot injurius es hominibus, quot poteras opem conferre. O quanto dignum pretio tibi censebitur die iudicii verbum illud: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitiivi, et dedistis mihi bibere. Quanta rursus trepi-

da in crastinum.
Prov. 3, 28.

Avarorum vox: Non habeo, non dabo.

Cur hic dives, ille pauper.

Divitum bona sunt pauperum: intellige, quantum ad usum, non autem quantum ad proprietatem, ut ait 8. Thom. 22. 3. 32. act. 5. Matth. 25, 34. sq.

datio ac sudor, quantae ob oculos tenebrae se tibi circumfundent, condemnationem audienti? Ite maledicti in tenebras exteriores, paratas diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc. Non ibi rapax accusatur, sed qui substantiam non communicaverit, condemnatur.

Ibidem, 42.

Matth. 19,
24.

2. IDEM in homilia in divites avaros, quae est septima inter homilias variorum argumentorum: Incertum est, inquis, quid futurum sit: necessitati, quae nos quandoque urgere posset, providendum est. At longe incertior defossi thesauri usus: nec tamen poena incerta, quae tuorum morum manet inhumanitatem. Vidi ego multos jejunantes, orantes, praeteritorum poenitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem praebentes. Quid his caetera virtutum diligentia prodest? Non propterea regnum Dei consequentur: Idcirco inquit Dominus: Difficilius est divitem intrare in regnum caelorum, quam camelum per foramen acus. Quid miser judici respondebis? Parietes vestis, homines non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis, aspernaris? frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? Aurum in terram condis, et oppressum non curas? Quamquam ad tuas veniunt fores, miseram rogandò vocem emittentes, tu tamen negas, affirmans rogantibus cunctis non posse sufficere. Et cum lingua dejeres, manu perjurus efficeris. Licet enim illa taceat, mendacium tamen tuum depraedicat, annulo, quem in digito habes, conspicua et illustris. Annulus, inquam, tuus, quantum aeris alieni possit exsolvere? Una tantum tuarum vestium arcula, totum populum frigore rigentem amicire posset. Verum sustines inexoratus abs te pauperem rejicere, nec metuis judicis minas, ac ea, quae se ille pollicitus est hominibus redditurum. Non te miseret? misericordiam non invenies. Non aperuisti domum tuam? a regno Dei excluderis. Non dedisti panem? non vitam recipies aeternam. Sed et pauperem te ipsum dicis. Et ego tecum sentio. Pauper profecto est, qui multis indiget. Pauperes, inquam, insatiabiles concupiscentia reddit. Decem talentis totidem addere contendis, deinde viginti coactis, etiam totidem. Nec solum crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus. Ex quo anima curis continuo premitur, dum alios superare contendunt. Oportebat illos gaudere et gratos esse, quod tam multis sint opulentiores: illi vero moerent ac lugent, quod ab uno et altero opulentioribus vincuntur. Ubi ditiores aliquem adaequarunt,

Avari sunt
pauperes,
quia semper
egent, et
nunquam sa-
tiantur.

mox et alterum, a quo superantur, adaequare student: et ubi istum quoque transierunt, erga alium ultra adaequandum rapiuntur. Tu te sponte insatiabilem animo reddens, multis damnum facis. Quando miser jam partis uteris? Quando frueris, aut a curis habendi cessabis? Vaeh, qui domui vicinam domum, et agrum agro conjungitis, ut aliquid proximo auferatis. Tu vero, quid facis? Non innumera causeris, ut, quae proximi sunt, auferatis? Domus, inquis, proximi aedes meas obscurat, turbas excitat, aut erroneas suscipit, aut tale quid aliud quodcumque praetexis, quo vexes et agites, vellas ac laceres vicinum: nec prius cessas, quam ille necessitate coactus, alio migret. Quam ob causam Nabuthas Jezraelita occisus est? An non propter concupiscentiam Achab, vineam ipsius auferre volentis? Mare terminos habet, nox item leges antiquas non egreditur. Solus avarus nullum circumscribit tempus, non terminum nescit. Potentiae incrementum, fit avaris sceleris occasio majoris. Qui enim mala sub ipsis patiuntur, iisdem quoque auxilia ferre inviti in aliorum injurias coguntur. O miser, parumper quaeso a tuo scelere respira, et tuae conscientiae recessus aliquantulum perscrutare, tecumque considera. Habes terrae partim aratro, partim arboribus utilis tot jugera: praeterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amoena. Quid ergo post haec? Nonne telluris tres tantum cubiti te expectant? Nonne parvus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit? Quibus verbis te curabo? Regnum Dei non curas, gehennam non times. Infelix homo, pecuniae naturam aliquantum inspicere. Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, lapis argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolitus beryllus, achates, hyacinthus, amethystus, jaspis. Haec summa, hi flores opum magnarum. Hos partim, cum sint clarissimi, in tenebris abscondis: partim in digitis micantibus, aliisque in ornatibus circumfers. Quis pulchritudini formaeque fingendae studens, unam vitae diem sibi prorogare poterit? aut cui mors ob divitias parcat? a quo morbus ob pecuniam abstinet? Quousque igitur opes erunt animum laqueus, mortis hamus, peccati esca? Ad subsidium vitae, non malorum incitamentum, pecunia data est: animae redemptio est, non exitii occasio. Sed, inquis, ob filios necessaria est. Plausibilis est ista avaritiae excusatio: liberos praetexistis, ac interea cordibus vestris satisfacitis. Dic, quaeso, cum Deum orasti, et pro foecunditate cum precatus es, ut fieres liberorum pater, addidistine illud: Da

Esa. 5. 8.

3. Reg. 21.
1. 29. 13.Cur opes divitibus datae.
Prov. 13. 8.

Excusatio avaritiae studentium propter liberos suos.

liberos, ut causa sint, ne praeceptis tuis obediam? Da mihi liberos, ne veniam in regnum caelorum? Praeterea quis tibi sponsor de ipsorum fuerit voluntate ac ingenio, ut recte datis relictisque utantur? Nam multis divitiae luxuriosae sunt causa. An non audistis Ecclesiasten dicentem? Vidi stultitiam multam et gravem: Divitias in malum custodientibus ipsas converti. Et rursus: Relinquo ego homini post me, et quis novit, si sapiens erit aut stultus? Considera itaque, ne cum multis aerumnis opes cumulas, peccatorum materiam aliis tradas, duplicique plectaris postmodum poena, et tuorum criminum causa, et aliorum, quibus causam dederis. Nonne cunctis liberis conjunctior est tibi anima tua? Huic tu primas da partes divitis haereditatis, vitae videlicet aeternae divitem materiam, deinde filiiis victum tribue. Qui vero liberis carent, quam parsimoniae causam objiciunt? Nolo, inquit, vendere, nolo pauperibus dare, ob vitae necessarios usus. Non ergo Dominus tibi praeceptor erit, nec evangelium formam vitae dabit, sed tu tibi ipsi jura dices ac statues. Sed, inquis, ego quidem bonis, dum vixero, frui volo: post mortem vero in testamento haeredes facultatum mearum ac dominos pauperes adscribam. Scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debetur et gratia, si in sepulcro jacens, et in terram conversus, magnificus ac sumptuosus apparebis. Dic cujus mercedem, temporis potissimum, exposces? vitae, an mortis? Nam si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus ac deliciis absumpto, pauperes nequaquam respexisti: mortuus, cujusnam actionis aut operis mercedem petiturus es? Sed quis exitus tui tempus nuntiabit? Quis de mortis genere sponsor? Quot videmus repentino, ac vi casuve extingui, qui prae doloris ac spiritus angustia ne vocem quidem emittere potuerunt? Quot etiam febris a sensu alienos facit? Quid igitur tempus exspectas, in quo saepe rationis compos non eris? Enimvero nox profunda, morbus gravis nullus circa adjutor: immo potius, qui haereditati insidiatur, paratus aderit. Et sub finem: Omnibus tuis ornatus hinc discede, fac ornent te tuae divitiae. Habe illas penes te. Crede optime consulenti, teque amanti Jesu Christo, qui ob nostram salutem egere voluit, ut ex ejus paupertate nos divites essemus: qui etiam sese pro nobis redimendis pretium obtulit aeternae vitae.

Ecdl. 5. 9.
10.

In eos, qui liberis carent, et tamen opibus congregandis student.

3. PROSPER libro 2. de vita contemplativa, cap. 15.: Jubet, ecce, nobis imperiosa cupiditas, ut divina parvi

pendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus: ut in eis totam sollicitudinem curamque ponamus, ut inde nos morbida vanitate jactemus, ut amplitudine patrimonii diffusioris elati, fieri pauperes spiritu negligamus. O facinus inauditum: Suavi Christi jugo contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus, et Domini nostri levi onere, quod subjectos non onerat, sed sublevat posthabito, plumbeum pondus nostris cervicibus aggeramus, quod citius potest deponi, quam ferri: quia et ipsa cupiditas, quae nobis subjici ultro volentibus hoc pondus imponit, contemni potest facilius, quam expleri: et ideo, qui se illi volentes dederint oppugnanti, voluntatem resistendi ulterius non habebunt tyrannice dominanti. Et hoc fit justo Dei judicio, ut qui cupiditati resistere noluimus ingressurae, jam resistere nequeamus ingressae. O intolerandum daemonicæ cupiditatis imperium, ut ex hostibus suis, quos potest vincere, victores faciat suos: promittit ingentia, et bonorum temporalium pollicitatione deceptos, impellit jam miseros, et miserandos in turpia. Tenet nos lucrorum poenaliter dulcium catenis addictos, et in sua ditione captivos: nec trahit invitos, sed quod est deterius, quocunque voluerit, volentes ducit. Vastat in nobis quidquid verecundiae aut pudoris invenerit: et quos suis triumphis addixit, adhuc tanquam respiscendi suspectos omnibus viribus honestatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. Rapt nos, ac passim per omnia acquisitionum genera cupidos acquirendi dispergit.

4. ET cap. 16. libri ejusdem: Quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia, quae creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit, quaecunque in eo sancte habere desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, sit ipse primitus Dei possessio, et efficietur ei Deus possessor et portio. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur conditor census, et hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas: si modo eam sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat: in illo et de illo jugiter vivat, et nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum, quae fecit, valet aequari, non dedignatur cum his, quae condidit, possideri. Denique quid ultra quaerit, cui omnia suus conditor fit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, et ab illo possidebatur ille, qui dicebat in spiritu: Portio mea Dominus, dixi custodire

Ferreum cupiditatis imperium.

Danda est opera, ut Deum ipsum possideamus.

Psal. 118. 57.
Psal. 15. 5.

legem tuam. Et: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei.

5. ISIDORUS libro II. de summo bono, cap. 41.:
 Omni peccato peior est avaritia et amor pecuniarum. Unde et per Salomonem dicitur: Nihil est scelestius, quam amare pecuniam: hic enim animam suam venalem facit, quoniam in vita sua projecit intima sua. Cupiditas omnium criminum materia est. Unde et apostolus ait: Radix omnium malorum cupiditas est: quam quidam appetentes, erraverunt a fide. Si ergo succiditur radix criminum, non pullulant caeterae soboles peccatorum. Multi causa cupiditatis terrenae etiam ipsam fidem abnegaverunt. Cupiditas enim Christum vendidit. Nam et plerisque tantum in rebus alienis est desiderium, ut etiam homicidium perpetrare non vereantur: sicut Achab, qui appetitu cupiditatis suae, sanguinis explevit effusionem. Saepe iniqui mala, quae concupiscunt, assequuntur, quatenus de affectu mali desiderii fortius puniantur. Electos autem suos Deus non dimittit ire in desideriorum malorum perfectionem, sed in dolorem mentem convertit eorum, pro eo, quod in saeculo nequiter appetunt, ut hac experientia respiscant, et convertantur ad Deum, a quo mente recesserunt. Deum ergo sibi propitium noverit adversari, qui quod temporaliter concupiscit, non permittitur adimplere. Secreto autem Dei iudicio fieri creditur, ut durius pereant hi, quorum cupiditatem effectus statim sequitur actionis. Nunquam satiari novit cupiditas. Semper enim avarus eget, quandoque magis acquirit, tanto plus quaerit: nec solum desiderio augendi excruciat, sed etiam amittendi metu afficitur. Inopes nascimur in hac vita, inopes recessuri sumus de hac vita. Si bona mundi hujus peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? Plerique potentes tanta cupiditatis rabie inflammantur, ut de confiniis suis pauperes excludant, nec habitare permittant. Quibus recte per Prophetam dicitur: Vae, qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad terminum loci. Numquid soli vos habitabitis in medio terrae? Tales quippe homines infernum, id est, diabolum rapere ad perditionem, idem Propheta consequenter annuntiat dicens: Propterea dilavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et sublimes gloriosique ejus ad eum. Nec mirum, quod morientes inferni ignibus deputentur, qui viventes flammam cupiditatis suae mi-

Omni peccato peior avaritia.
Ecccl. 10, 10.

Omnium criminum materia est: cupiditas.
1. Tim. 6, 10.

3. Reg. 21, 13.

Nunquam satiari novit.

Esa. 5, 8.

Ibidem, 14

nime extinxerunt. Qui desiderio cupiditatis exaestuunt, flatu diabolicae inspirationis utuntur.

6. AUGUSTINUS libro III. de libero arbitrio, capite 17.: Avaritia, quae graece *φιλαργυρία* dicitur, non in solo argento vel nummis, unde magis nomen duxisse resonat, argento enim nummi, vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant: sed in omnibus rebus, quae immoderate cupiuntur, intelligenda est, ubicunque omnino plus vult quisque, quam sat est.

Avaritiae non generatio est.

Luc. 12, 15, 29.

7. IDEM sermone 196. de tempore: Praecipit nobis veritas, quae non fallitur. Audiamus, timeamus, caveamus. Dico, inquit, vobis, abstinete ab omni avaritia. Quid est, ab omni? Quare addidit, ab omni? Potest enim et sic dicere: Cavete ab avaritia. Quare hoc dixerit, velut occasio ipsa unde natus est sermo, apparet in sancto Evangelio. Interpellavit enim eum quidam contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, et fratri suo partem suam non reddebat. Non rapere quaerebat aliena, sed sua a parentibus sibi derelicta quaerebat. Causa justa, causa brevis. Sed audiamus et judicantem et dicentem: Homo, ait, quis me constituit divisorem inter vos? Qui noluit esse divisor, quis me, inquit, constituit divisorem inter vos? Petis beneficium, audi consilium. Ego dico vobis: Cavete ab omni cupiditate. Forte, inquit, tu avarum et cupidum diceres, si quaereret aliena. Ego autem dico: Cupide et avare non appetas nec tua: hoc est, ab omni. Non leviter habendum est; fratres mei, quando Dominus noster, redemptor noster, salvator noster, qui mortuus est pro nobis, qui sanguinem suum pretium dedit, ut redimeret nos, advocatus et iudex noster, non est leve, quando dicit: Cavete. Novit ille, quantum mali sit, nos non novimus. Illi credamus. Cavete, inquit, quid? Unde? Ab omni avaritia. Meum servo, non alienum tollo. Cavete ab omni avaritia. Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed ille avarus est, qui cupide servat sua. Sed si sic culpatur, qui cupide conservat sua, quomodo iudicaturus est te, cum non solum servas tua, sed etiam quaeris aliena?

Avarus est etiam, qui cupide servat sua.

8. AMBROSIUS toto libro de Nabutha Jezraelita, disserit contra divites avaros: in cujus capite primo inter caetera sic ait: Quousque extenditis divites insanas cupiditates? Numquid soli habitabitis super terram? Cur ejicitis eonsortem naturae, et vindicatis possessionem naturae? In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est. Cur vobis jus proprium soli divites arrogatis?

Invenitur in avaros.

Nescit natura divites, quae pauperes omnes generavit. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Omnes similes creat, omnes simili gremio claudit sepulcri. Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram, et si cognoscis divitem, deprehende. Erunderato paulo post tumulum, et si cognoscis egentem, argue: nisi forte hoc solum, quod cum divite plura pereunt. Sericae vestes et auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non subsidia defunctorum sunt. Haeredes relinques, qui litigent cum haeredibus. Si frugi haeredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt. Itaque aut bonos haeredes perpetua condemnas sollicitudine, aut malos dimittis, qui tua facta condemnent.

CAPITE II.: O dives, nescis, quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris: et quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Rex Achab sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certe pauper censu videtur, alter pauper est affectu. Affectus dives, egere non novit: census abundans, nequit avari pectus explere. Quae vox alia stipem publicam postulantis, nisi: Da mihi? Hoc est: Da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum. Haec quam abjecta, quam vilia? Non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. CAPITE III.: Avis avibus se associat: pecus pecori adjungitur, piscis piscibus, nec damnum ducunt, sed commercium vivendi*), cum plurimum comitatum capessunt, et quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu homo consortem excludis, includis feras, struis habitacula bestiarum, destruis hominum. Inducis mare intra praedia tua, ne desint belluae: producis fines terrae, ne possis habere finitimum. CAPITE IV.: Divites magis alienum panem, quam suum manducant, qui raptu vivunt, et rapinis sumpsum exercent suum. Divites, eripitis quidem pauperibus universa: poenam tamen pauperum vos potius, divites, sustinetis. Pauperes quidem non habent, quo utantur, vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Novi ego divitem in agrum proficiscentem panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis aestimaretur, quot dies in agro futuras esset. Nolebat obsignatum ape-

Quo plus habent, eo plus appetunt.
3. Reg. 21.
1. sq.

Da mihi, mendicanti-um est.

*) cum plurimum comitatu.

Alienum panem avari divites manducant.

rire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ovum esset appositum, queri quod pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei justitiam, qua lacrymas pauperum vestro ulciscatur jejunio. **CAPITE VI.:** Quis artifex unum diem vitae hominis potuit adjungere? Quem divitiae ejus ab inferis revocarunt? Cujus aegritudinem pecunia mitigavit. Non in abundantia divitiarum, inquit, vita ejus. Et alibi: Nihil prosunt thesauri injusti, justitia autem liberat a morte. Merito clamat Propheta: Divitiae, si affluent, nolite cor apponere. Quid enim mihi prosunt, si me a morte liberare non possunt? Quid mihi prosunt, si mecum post mortem esse non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Unde bene ait idem Propheta de divitibus: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Hoc est dicere: Nihil invenerunt in operibus suis divites, qui nihil pauperibus contulerunt. Quid est dives, nisi quidam inexplebilis gurgis divitiarum. Sic Propheta admonet: Qui diligit argentum, non satiabitur argento. Et infra idem: Equidem hic pessimus languor. Sicut enim fuit, ita et abiit, et abundantia ejus laborat in ventum. Equidem omnes dies ejus in tenebris et luctu, et iracundia multa, et languore et ira. Tolerabilior conditio servulorum. Semper in laqueis, semper in vinculis est: nunquam liber a compedibus, quia semper in criminibus. Naturae ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, aut cibi fungitur suavitate, cujus nullum est immune servitium. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infocunda perturbat, sollicitat abundantia. **CAPITE VII.:** Nescit avarus bona, nisi ea, quae quaestiosa sunt, nominare. Sed acquiesco ei, ut bona dicantur, quae sunt pecuniaria. Cur ergo de bonis facitis mala, cum de malis bona facere debeatis? Scriptum est enim: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ei ergo, qui uti sciat, multa bona sunt: ei, qui uti nesciat, recte mala. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in aeternum. Quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis foederatione constituas? Bona sunt, si aperias horrea justitiae tuae, ut sis panis pauperum, vita egentium, oculus caecorum, orbatorum infantium pater. Tu vero,

Luc. 12, 15.
Prov. 10, 2.
Psal. 61, 11.

Psal. 75, 6.

Eccel. 5, juxta LXX.

Luc. 16, 9.

Psal. 111, 9.

Debitorem Deum constituimus.
Job 29, 15.

quod multis nasci voluit, tibi soli reservas, immo tibi ipsi adimis. Magis enim servares tibi, si dispertires aliis. Bonorum enim fructus munerum, in eos ipsos, qui contulerunt, convertuntur: et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. CAPITE VIII.: Adhuc tibi tempora, vivendi longa meditaris? Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te. Bene ait, nocte: Nocte enim anima avari repositur, quae a tenebris incipit, et in tenebris perseverat. Avaro semper nox est.

B. GREGORIUS libro XXXI. *Moralium*, cap. 31.: De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiae, et contra misericordiam obdurations cordis oriuntur.

V.

Quid est luxuria, qualemque sobolem gignit?

1) Videatur Prosper de vita contemp. lib. 3. cap. 6. Isidor. de summo bono, lib. 2. cap. 39.

2) Greg. ut supra. Osee 4, 11. 2. Reg. 11, 14. Dan. 13, 56. Prov. 13, 3. Sap. 4, 12. Psal. 51, 6. 2. Timoth. 3, 1—4. Psalm. 20, 9—12. Jacob. 4, 4. Ephes. 4, 19.

3) 3. Reg. 11, 1—7. Eccl. 10, 2. Hieron. in cap. 4. Osee Amb. lib. 1. de Cain et Abel, cap. 5. et lib. de Noë et arca cap. 9.
4) 1. Cor. 6, 18. et ibidem Chrys. Aug. de decem chordis. cap. 10. et ser. 10. de verbis Domini.

5) Ephes. 5, 3. 4. et ibidem Hieron. Vide sextum praeceptum Decalogi.

A. Luxuria¹ est appetitus inordinatus impurae ac libidinosae voluptatis.

² Gignit autem ex se mentis caecitatem, inconsiderationem, inconstantiam, praecipitationem, amorem sui, odium Dei, desiderium hujus vitae nimium, mortis futurique judicii horrorem, ac felicitatis aeternae desperationem.

B. Adversus hoc peccatum, quod ³ sapientes amentes, et homines pene pecudes facit, ita Paulus: ⁴ *fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Quam ob rem et alibi in hunc modum scribit: ⁵ Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpi-*

*tudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio. Ac mirum est sane, ingenti⁶ pudore non affici Christianos, qui coram Deo et angelis ejus foeda se libidine polluunt, cum corpora membraque sua Spiritui sancto et Christo Domino veluti⁷ templa pura in baptisate consecrarint. Hinc iterum Paulus: ⁸ *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Tum rursus: ⁹ *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Ac demum ita concludit: ¹⁰ *Empti estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro: ¹¹ *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*****

6) Ambr. in cap 4. Luc. Moral. cap. Greg. 10. 31.

7) 1. Cor. 3. 16. 2. Cor. 6. 16.

8) 1. Cor. 6. 19.

9) Ibidem. 15.

10) Ibidem. 20.

11) Hebr. 13. 4. 1. Cor. 6. 9. Ephes. 5. 5. Gal. 5. 19-21. Apoc. 21. 8.

SCRIPTURAE.

Osee IV.: Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.

II. Reg. XI.: Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriae, scribens in epistola: Ponite Uriam exadverso belli, ubi fortissimum est praelium: et derelinquite eum, ut percussus intereat.

Daniel. XIII.: Species deceptit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.

Prov. XIII.: Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Sap. IV.: Inconstantia concupiscentiae transvertit sensum.

Psalm. LL.: Dilexisti omnia verba praecipitationis lingua dolosa.

II. Tim. III.: Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: et erunt homines se ipsos amantes, cupidi etc. incontinentes etc. et voluptatum amatores magis, quam Dei.

Psalm. XX.: Inveniat manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt. Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum. Quoniam declinaverunt in te mala etc.

Jacob. IV.: Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur.

Ephes. IV.: Desperantes tradiderunt semet ipsos impudicitiae, in operationem immunditiae omnis.

III. Reg. XI.: Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis etc. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Fueruntque ei uxores quasi reginae septingentae, et concubinae trecentae: et averterunt mulieres cor ejus. Cumque jam senex esset, depravatum est cor ejus, ut sequeretur deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David Patris ejus. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moabitarum, et Moloch idolum Ammonitarum. Tunc aedificavit Salomon phanum Chamos idolo Moab, in monte, qui est contra Hierusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon etc.

Ecc. XIX.: Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos: et qui se jungit fornicariis,

erit nequam: putredo et vermes haereditabunt illum, et extolletur in exemplum majus, et tolletur de numero anima ejus.

I. Cor. VI.: Ephes. V.: Hebr. XIII., ut in textu.

I. Cor. VI.: Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.

Ephes. V.: Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet haereditatem in regno Christi et Dei.

Galat. V.: Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria etc., quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Apoc. XXI.: Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatriis, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.

P A T R E S.

1. A. PROSPER libro III. de vita contemplativa, capite 6.: Plerosque gula et abundantia vini turpiter in luxuriam solvunt: alios in injuriam pudicitiae sordidae cogitationes incendunt: nonnullos de proposito castitatis occasiones oblatae dejiciunt: quosdam sub impudicitiae jugum exempla perditae viventium mittunt. Sunt alii, quorum vitam lingua turpis inflamat, aut turpem conscientiam manifestat: qui prius inverecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt: ac deinde paulatim morbo crescente, ab honestate deficient, attritoque pudore viles effecti, dum indecedenter elegantes videri volunt, passim jam turpibus verbis impudenter insaniunt. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt: et delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus volvunt. Et in fine: Haec et his similia de mulieribus colloquentes suggerunt concupiscentiae suae materiam. Haec tamen ideo concupiscunt, quia aut loquuntur libenter, aut audiunt. Qui nisi concupiscentiae morbo cor-

Junioribus
cur quorundam
sacrae
scripturae li-
brorum lec-
tio non per-
missa fuerit.
Vide hac de
re Hieron.
lib. 1. Com-
mentar. in
Ezechielem.

rapti essent, nunquam vel loquerentur talia, vel audirent: quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendant. Ac ne me ista veraciter arguentem quisquam judicet arguendum, noverit propter hoc forte ab antiquis fuisse decretum, ne qui adolescentium legerent geneleos librum, ac partem pariter Ezechielis prophetae, vel canticum canticorum, et caetera talia, in quibus et generationes, et actus, et nomina quarundam scripta sunt mulierum. Quas licet secundum historiam fuisse credamus, earum tamen nominibus virtutes figuratas accipimus: quoniam sicut illae non solum viris suis per sanctos mores, sed etiam extraneis sine dispendio sui pudoris ob nimiam pulchritudinem placuerunt, ita sanctae virtutes et suos mirabiles omnibus reddunt, et extraneos quadam admiratione sui perstringunt. Hinc est, quod et ipsi, qui vitiose vivunt, virtutes vitii anteponunt: quia aliud est, quod faciunt morbo, aliud, quod coguntur probare iudicio. Sed ne forte haec spiritualia secundum carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illae significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent, consulto juniores legere sunt illa prohibiti, quae sicut spiritualiter accepta vivificant, ita carnaliter intelligentibus ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiae subministrat. Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum desideria vulnerato gestat in corde: aut turpitudinem, quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, sed divino.

Daemones
sunt maxime
familiares
luxuriosis
et superbis.

2. ISIDORUS de summo bono libro II., capite 39.: Unusquisque suae deputet culpae, quod cecidit quoties libidine vincitur: quia nisi praecessisset latens superbia, non sequeretur libidinis manifesta ruina. Luxuriosis atque superbis daemones plus fautores existunt, dumque in caeteris vitiiis spiritus maligni deserviant, his tamen majori familiaritate junguntur, iisque amplius juxta eorum desiderium famulantur. Principaliter his duobus vitiiis diabolus humano generi dominatur, id est, superbia mentis, et luxuriosa carnis. Qui delectationem refracnat libidinosae suggestionis, non transit ad consensum libidinis. Cito enim resistit operi, qui titillanti consensum non accommodat delectationi. Antequam perficiatur adulterium in opere, jam exstat adulterium in cogitatione. Ex corde enim primum fornicationes sunt auferendae, et non prorumpunt postea in opere. Hinc est, quod per Prophetam dicitur: Accingite lumbos vestros super ubera vestra, hoc est, in corde

Esa. 32. 11.

libidines resecate, quae ad lumbos pertinent. Nam cor sub uberibus est, non in lumbis. Libidinis immoderata licentia nescit habere modum. Nam dum se vitiosus animus in explenda fornicatione, carne luxuriante laxaverit, nihilominus ad alia nefanda scelera suadentibus daemonibus transit. Denique cum immoderate metas pudoris excesserit, crimen criminibus adjicit, paulatimque ad deteriora procedit. Non ita suavis est amantium, immo amentium incerta carnis libido, sicut experta: nec ita delectat fornicatio, dum primum committitur: nam repetita, majorem delectationem ingerit. Jam vero si in usum venerit, tanto perditis dulcior fit, ut separare difficile sit. Unde et saepe ex consuetudine delinquendi, quasi captivi ad peccandum cum quadam violentia trahimur: sensusque nostros contra rectam voluntatem in nobis rebellare sentimus. Inter caetera septem vitia, fornicatio maximi est sceleris: quia per carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Maxime per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per caetera vitia. Daemones scientes pulchritudinem esse animae castitatem, et per hanc hominem angelicis meritis, e quibus illi lapsi sunt, coaequari: livore percussi invidiae, injiciunt per sensus corporis opus desideriumque libidinis, quatenus a caelestibus deorsum dejectam animam pertrahant, secumque quos vicerint, gloriantes ad tartara duçant. Quando impulsu daemonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, et aeterni tormenta incendiū ante oculos proponantur, quia nimirum omnis poena, gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, ita saepe recordatio ardoris gehennae, ardorem excludit luxuriae.

Usu crescit libido.

Maximi sceleris est fornicatio.
1. Cor. 6. 15.

Remedium contra tentationes luxuriae.

3. GREGORIUS libro XXXI. *Moralium*, capite 31.: De luxuria caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.

Filiae luxuriae.

1. B. HIERONYMUS in caput IV.: Oseae: Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. Sicut enim vinum et ebrietas eum, qui biberit, mentis suae impotem facit: ita et fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumque debilitat: et de rationabili homine, brutum efficit animal: ut ganeas et lupanaria et libidinum lustra sectetur.

Luxuria facit ex hominibus bestias.

2. AMBRÓSIUS libro I. de Cain et Abel, capite 5.: Vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exurit. Saevus

Libidinis fomes ebrietas.

Libidinale mala. criminum stimulus, libido est, quae nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiundo inflammat, usuque accenditur. Nullus peccandi modus, et inexplabilis scelerum situs, nisi morte amantis extingui non potest. Et ideo ait Apóstolus: Fugite fornicationem, ut veloci fuga tanquam furiosae dominae declinare saevitiam, et tetro servitio exire possimus.

1. Cor. 6, 18.
Gen. 39, 12.

Servituti miserimae subicit hominem.

3. IDEM de Noë et arca, capite 9.: Nihil est, quod tam misere servituti subiciat hominem, quam libido, atque ejusmodi cupiditates, quae jugo quodam criminum gravi deprimunt miseram conscientiam, ut se nequeat attollere, utpote quae libertatem innocentiae amiseric.

4. CHRYSOSTOMUS in priorem epistolam ad Corinthios, homilia 18.: Membra Christi estis, inquit Apóstolus, templum estis spiritus. Quare nolite facere membra meretricis. Non enim corpori vestro contumeliam facitis, quia non vestrum corpus est, sed Christi. Haec autem dixit, simul et humanitatem ostendens, quod ejus corpus nostrum est, et a malorum licentia nos avertens. Nam si alienum, corpus est, non habetis potestatem, ut alienum corpus injuria afficiatis, inquit, et maxime cum sit Domini, neque spiritus sancti templum maculandum est. Nam si quispiam privatam domum ingressus, et illam ignominia afficiens, ultimum dabit supplicium: qui regis templum, speluncam latronum fecerit, intelligas velim, quot mala perpetietur? His igitur consideratis, eum, qui in nobis habitat, revercare, quippe qui consolator est, et tibi conjunctum et inhaerentem timeas.

1. Cor. 6, 18.

Fornicatio simplex est peccatum.

5. AUGUSTINUS in libro de decem chordis, capite 10.: Noli dicere tibi, quando forte aliquid luxurianter vis agere, uxorem non habeo, facere possum, quod volo: non enim post uxorem meam pecco. Jam nosti pretium tuum, jam nosti, quo accedis, quid manduces, quid bibas, imo quem manduces, quem bibas. Abstinete a fornicationibus. Ne forte mihi dicas, ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad prostitutam eo, nec illud praeceptum violo, quod dictum est: Non moechaberis; quia uxorem nondum habeo, nec post illam aliquid facio: nec illud praeceptum violo, ubi dictum: Non concupisces uxorem proximi tui. Qui ad publicam vado, in quod praeceptum incurro? Carrior factus est tibi homo, quam Deus? Ergo quomodo facio, inquis, ipsi Deo? Corruptis te ipsum. Et unde

Exod 20, 14.

injuriam facio Deo, quia corrumpto me ipsum? Unde tibi facit injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrupis in te per fornicationes et per fluentias libidinis, attendis, quia ad nullius uxorem accessisti, attendis, quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes, et non attendis per libidines illicitas fornicationis, cujus imaginem violasti. Hoc jussit, hoc praecepit Dominus, ne per illicitas voluptates corrumpatur templum ejus, quod esse coepisti. Numquid hoc ego dico? Apostolum audite: Nescitis, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Videtis, quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam: quare corrupis domum Dei?

1. Cor. 3.16
et 6. 19.

6. IDEM sermone 16. de verbis Domini: Jam vide, quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide, quid agas, vide, ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, et in ruinam vertaris. Nescitis, inquit, quia corpora vestra (et hoc de fornicatione loquebatur Apostolus, ne contemnerent corporalia peccata) templum in vobis est spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis vestri?

1. Cor. 6.19.

7. HIERONYMUS in caput 5. epistolae ad Ephesios, super ea verba: Fornicatio autem et omnis immunditia etc. Nisi Philosophorum quidam Cynicus exstisset, qui doceret omnem titillationem carnis et fluxum seminis ex qualicumque attritu tactuque venientem, in tempore non vitandum: et nonnulli sapientes saeculi in hanc turpem et erubescendam haeresim consensissent: nunquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios, ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset, et ad immunditiam junxisset avaritiam, non hanc, qua pecuniam cupimus congregare, sed illam, de qua supra diximus: Ne supergrediatur, et avarus fraudet in negotio fratrem suum: Quod scilicet insatiabilis et inexpletus per omnia turpitudinum genera lasciviaeque discurrat. Sicut decet, inquit, sanctos. Ex quo sanctus non potest appellari, quicumque extra fornicationem in aliqua immunditia et avaritia voluptatum, quae se de-

Mollitiei
peccatum ap-
probant Eth-
nici philoso-
phi.

Ephes. 5. 3.
Immunditia
et avaritia.

Stultilo-
quium. lectaverint, invenitur. Porro stultiloquium esse existimo eorum, qui aliqua narrant turpia, ut risum moveant, et facultate simulata magis illudant eis, quibus placere desiderant.

Febre libido
flagrantior.

8. AMBROSIVS in caput IV. Lucae: Febre libido flagrantior est, graviusque praecipitat et inflammat, sed ubi quis resipuerit a furore, tunc conscientiae interioris visus aperitur, factique succedit poenitentia, et pudenda sui unusquisque facinoris erubescit. Tunc Deus timetur, et peccator cupit se cessare, sed non potest. Tunc caro arguitur, diabolus accusatur: Haec quasi lerna vitiorum, ille quasi auctor erroris. Patescit deformitas: nudum est enim Deo omne secretum, nec illius ficus foliis, hoc est, tegmine corporali et jactantia saeculari flagitiorum secreta velantur. Et unusquisque divinum peccati conscia formidat mente iudicium, dicens: Qui super me montes cadant, in quibus me abscondam fissuris petrarum, cum venerit confringere terram? Tunc tribulos et spinas animo caro, hoc est, curarum morsus sollicitudinumque generat, aestusque, quos sibi per concupiscentiam carnis animus ipse circumdedit. Etenim quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporis voluptatibus, et cum semel adhaeserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, et deliciarum saecularium illecebris obnoxia jam tenetur.

Apoc. 6, 16.
Esa. 23, 19-

Quam tenax
sit carnalis
voluptas.

Job 25, 6.

Caecitas lu-
xuriosorum.
Job 24, 20.

9. GREGORIUS libro XVI. Moralium, capite 31.: Potest quoque apertius vermis nomine caro designari; unde et superius dicitur: Homo putredo, et filius hominis vermis. Luxuriosi igitur cujuslibet, atque carnis voluptatibus dediti quanta sit caecitas, demonstratur, cum dicitur: Dulcedo illius vermis. Quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud, quam vermem amat? Quae enim sit carnis substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scatulentem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur, quis sit exanimis: et intelligitur, quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. Considerata enim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur: Dulcedo illius vermis: quia is, qui in de-

siderio carnalis corruptionis aestuat, ad foetorem putredinis anhelat.

VI.

Quid est invidia, et quas procreat filias?

A. Invidia¹ est tristitia de bono alterius, et odium alienae felicitatis: respectu superiorum, quia eis non aequatur: et respectu inferiorum, ne sibi aequentur: et respectu parium, quia sibi aequantur, ut Augustinus² inquit. Filias³ vero procreat, odium, susurrationem, detractionem, in adversis aliorum rebus exultationem, in prosperis afflictionem.

B. Certe Cain⁴ Abel germano fratri, et Saul⁵ Davidi destinato regi generoque suo legitur invidiasse. Hoc⁶ execrandum crimen praeterquam quod ab omni est caritate et humanitate remotum, homines etiam daemonibus persimiles reddit: ⁷*Invidia enim Diaboli mors introvit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Recte igitur Apostolus monet: ⁸*Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

1) De hoc peccato scribit Cyp. ser. de zelo et livore. Basil. hom. 11. de invidia et 21. in aliquot scripturas locos. Chrysost. ad pop. hom. 44. et sequentib. Prosper lib. 3. de vita contempt. cap. 5 et 9. Isid. de summo bone lib. 3. cap. 25.

2) Aug. lib. 11. de genesi ad lit. c. 14. Prosper sentent. 292.

3) Greg. lib. 51. Moral. cap. 31. 1. Joan. 3. 11 — 13. Rom. 1. 24 — 32. Prov. 17. 5. 24. 17-18. 21. 28. 22. Eccl. 4. 4.

4) Gen. 4. 3 — 6. sq. Jud. 11.

5) 1. Reg. 18. 7 — 20.

6) Nyssenus in vita Moy. et Hier. in cap. 5. ad Gal. Greg. 3. p. curae past. admon. 11. Aug. ser. 85. de temp. Bern. serm. 28. et 49. in cant. et in ser. de tripl. custodia.

7) Sap. 2. 24. 25. Chrysost. hom. 41 in Matth. Greg. 5. Moral. cap. 33. et 34. et lib. 20. Moral. cap. 3. Aug. de saucta virg. cap. 31.

8) Galat. 5. 26.

D E P E C C A T I S
S C R I P T U R A E.

I. Joann. III.: Haec est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa. Omnis, qui odit fratrem, homicida est.

Rom. I.: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt: repletos omni iniquitate etc., plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, superbos etc. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Prov. XVII.: Qui in ruina laetatur alterius, non erit impunitus.

Et cap. XXIV.: Eum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus, ne exsultet cor tuum: ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Et paulo post: Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit?

Eccl. IV.: Contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiae proximi, et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.

Gen. IV.: Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, ad Cain autem et ad munera illius non respexit. Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus etc.

Judas Apostolus in epistola sua catholica: Vae illis, qui in via Cain abierunt.

I. Reg. XVIII.: Praecinebant mulieres, ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste; dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul adspiciebat David a die illa et deinceps etc. Tenebatque Saul lanceam, et misit eam, putans, quod possit David configere cum pariete, et declinavit David a facie ejus secundo etc. Factusque est Saul inimicus David cunctis diebus.

... Sap. II., et Gal. V., ut in textu.

P A T R E S.

1. A. CYPRIANUS in sermone de zelo et livore: Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia et livore capiatur, ne quis dum zelo in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et praeclara sublimitas potuit, quo deceptus est is, qui decepit? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est: Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum: Imitantur ergo illum, qui sunt ex parte illius. Late patet zeli multiplex et foecunda pernicietas. Radix est malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiozem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excaecante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat saevitia, perfidia praevaricatur, impatentia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienae. Dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala caetera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In latrone conquiescit sce-

Nihil magis
Christiano
cavendum,
quam invidia.

Sapient. 2,24.
Mali fructus
invidiae.

lus homicidio admissio, et praedoni rapacitatem statuit praeda possessa: zelus terminum non habet, permanens jugiter malum et sine fine peccatum. Quicumque es invidus et malignus, videris, quam sis eis, quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus: nullius magis quam tuae salutis inimicus es. Quisquis ille est, quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit: tu te non potes fugere: ubicunque fuerit adversarius tuus, tecum est, hostis semper in pectore tuo est, pernicius intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vincus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est, hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas sine remedio est, odisse felicem. Et idcirco, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret, cum eum discipuli interrogarent, quis inter illos major esset: Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus: amputavit omnem aemulationem responso suo, omnem causam et materiam mordacis invidiae eruit et abscidit. Discipulo

Luc. 9. 46.
48.

Discipulo
Christi zelare
non licet.

Christi zelare non licet, non licet invidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus, unde placeamus. Denique et Apostolus Paulus instruens et monens, ut, qui illuminati Christi lumine tenebras nocturnae conversationis evasimus, in factis atque operibus luminis ambulemus, scribit et dicit: Nox transivit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, tanquam in die decenter ambulemus: non in commensationibus etc., non in certaminibus et zelo. Si recesserunt de pectore tuo tenebrae, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminavit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse coepisti: quae sunt Christi gere, quia lux et dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? quid ad diabolum, cui renuntiaveras, redis? quid Cain similis existis?

Rom. 13. 12.

Invidia ipsi
auctori ante
omnia nocet.

2. BASILIUS in homilia de invidia, quae est undecima inter homilias variorum argumentorum: Nihil mortalius animis invidiae perturbatione perniciosius contingit, quae ante omnia ipsi nocet auctori, aliis vero quam minimum. Quemadmodum enim venenum ferrum, sic invidia hos, qui eam possident, consumit atque vastat. Magis autem sicuti viperas dicunt abrupto matris ventre nasci: sic et invidia concipientem se animam corrodere simul ac tabescere solet. Est enim invidia dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus. Qua propter animo

Invidia quid
sit.

invido nunquam tristitia, nunquam moestitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto denique eveniunt omnia in rosa et viola viventium. Cuncta haec tristitiae dolorisque occasionem invido praebent. Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium jaculis petitur, differre videtur. Quid hoc morbo perniciosius? Interitus vitae, pestis naturae, adversa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Quid enim principem malorum daemonem ad bellum adversum hominem internecinum impulit? Nonne invidia, per quam et Deo adversari palam deprehensus est? Dolens enim ob praeclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidiis petiit hominem. Vidit Cain ex Deo honorem fratrum, et exarsit in invidiam, atque eum, qui honoratus erat a Deo, occidit, ut irritaret Deum, qui illum honoraverat. Quam ob rem, fratres dilectissimi, invidiam fugiamus, pugnae in Deum magistram, homicidii matrem, naturae confusionem, amicitiae ac familiaritatis expertem, calamitatem absurdissimam. Quid miser homo angeris, nihil mali passus? quid cum eo contendis, aut quid eum petis in bonis quibusdam existentem, qui de tuo nihil detrahit aut minuit? Et nonnullis interjectis: Sapiens profecto fuerit, quicumque cum invido minime congregitur aut conversatur, nec etiam in eadem esse cum eo mensa studet: Quoniam ex Salomonis sententia, zelus hominis ex socio ipsius. Non enim Aegyptio vir Scytha invidet, sed suae genti quilibet, et in eadem gente non ignotis, sed familiaribus et vicinis, et ejusdem artis hominibus, aut alia de causa conjunctis, et his denique, coaevis, cognatis et fratribus. Et omnino ut aerugo frumenti est vastatio, sic invidia amicitiae pestis. Illud autem in hoc malo laudaverit quisquam, quod invidus quanto in proximum vehementius movetur, tanto sibi majus parit incommodum. Quemadmodum sagittae magna vi emissae, si in durum aliquid ac respuens inciderint, in emittentem facile redeunt, sic invidia proximis tristitiam nequaquam affert, tantum invidenti officit. Quis enim unquam in moerore positus aliquod propterea proximo incommodum intulit? Sese solum vastat atque cruciat. Malum suscipis, per quod inimicus eorum fias, qui te nihil laeserunt, inimicus praeterea Dei boni, et qui omnis est expertus invidiae. Fugiamus ergo fratres intolerabile malum. Serpentis id est praeceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni caelorum

Gen. 5, 4.
5. sq.

Gen. 4, 5. sq.

Invidi familiaritas fugienda.

Invidia nocet invidenti.

Vituperatio invidiae.

Forma invidiorum hominum.

Remedia adversus invidiam.

privatio. Nam et ipso fatentur ore hoc vitium invidi. Ad spectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minime habens. Quid ergo faciendum, ut hanc abimi pestem ab initio minime quidem patiamur, aut in ea fortasse affecti, facile liberemur? Primum quidem, si nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus: non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum et verorum bonorum participationem vocati sumus. Itaque nec dives aemulandus est propter divitias, nec potens ob dignitatis ac magistratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt haec virtutis recte utentibus, nihil per se verae felicitatis habentia. Miser est, qui his abutitur, non aliter, quam qui in pugna contra inimicos ensem corripit, in se ac interitum suum convertit. Omnino autem qui res humanas rationi subjecerit, et ad veram pulchritudinem laudemque se converterit, multum abfuerit ab eo, ut in rebus terrenis et fluxis quemquam putet esse felicem et aemulandum. Qui vero ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit. Si quis vero ita gloriae cupidus fuerit, ut omnes antecellere cupiat, nec secundas facile patiat, maximam profecto occasionem causamque invidiae dabit. Et post pauca: Sic demum te ipsum incolumem servabis, et in bonis longe majoribus claritatem habebis. Nam et virtus intra nos est, et ab iis, qui ob eam labores subeant, apta possideri. Divitiarum autem copia, forma corporis, potentiae fastus intra nos nequaquam consistit.

Proprium diaboli vitium.

3. IDEM homilia in aliquot scripturae locos, quae est inter variorum argumentorum homilias 21.: Invidia proprium est diaboli vitium. Malum hoc est, quod satis exprimi nequit, quod medicinam spernit. Qui caput aut membrum aliquod dolent, medico morbum aperiunt: at qui aegrotat invidia, quid dicet? angunt me proximi bona? nam veritas haec est: Attamen haec quisque verba fateri erubescit. Quid quaeso te affligit, proprium malum, an alienum bonum? certe malum tuum incurabile. Canes enim nutriendo mansuetos reddimus: invidum vero et malignum, beneficio nostro devinciendo longe pejorem reddimus. Non enim gaudet in iis, quae recepit bonis: sed tua tristatur felicitate, quod facultas tibi sit ejus usui subveniendi. Noli igitur in diaboli deceptionem incidere. Invidit enim ti-

bi, invidit, inquam, quum te e paradiso expulit. Ne sequere illum, neve cum eo commercium suscipe ullum. Bis enim te laesit. Primum, quum te ab initio ejecit: deinde nunc reditum tuum turbare contendit.

4. CHRYSOSTOMUS homilia 44. ad populum Antiochenum: Sicut furentes saepenumero gladios in se convertunt, itidem et invidi, solam invisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem: hi feris quoque pejores. Nam illae quidem escae indigentes, vel a nobis irritatae, adversus nos armantur: hi vero beneficiis quoque frequenter allecti, bene meritos maleficiis prosecuti sunt. Hi quidem pejores feris, daemonibus autem pares, forte pejores et istis. Hi namque contra nos bellum exercent impacatum, consortibus autem generis non insidiantur. Unde Judaeis quoque Christus os occlusit, cum cum in Beelzebub ejicere daemonia calumniarentur. Hi vero neque naturae communionem reveriti sunt, neque sibi pepercerunt. Nam antequam invisos, animas suas poenis afficiunt, tumultus omnis et ignobilitatis eas frustra et incassum implent. Cur enim doles, o homo, proximi bonis? Dolere nos oportebat his, quae patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam praetendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigiditas quidem et irrationabiles, habent tamen, quas praetendant excusationes. Tu vero, quam dices, causam rogo? Nullam penitus nisi tantum intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere jubemur, cum et diligentes oderimus, quam poenam luemus? Nam si diligens diligentes, nihilo gentibus melius affectus est: nihil injuriae operatos infestans, quam habebit veniam? quam excusationem? audi, quid Paulus dicat: Si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod autem ubi livor et invidia, caritatis opera sublata sint, cuique patet. Hoc vitium et fornicatione pejus est, et adulterio. Hoc enim in operato tantum sistit: invidiae vero vis totam subvertit ecclesiam, et toti nocet terrarum orbi. Haec homicidii mater est: ita fratrem Cain occidit, ita Jacob Esau, ita Joseph fratres, ita cunctos homines diabolus. Sed tu nunc non occidis, sed multa caede facis graviora, fratrem optans confundi, laqueos undique tendens, sumptos pro virtute dissolvens labores, dolens, quod mundi placent Domino. Non illum itaque, sed ab eo cultum impugnas. Illum afficis contumelia, tuum illius praepo-

Feris deteriores sunt invidi;

Pares aut pejores daemonibus.

Matth. 12, 29. 27.

Omni venia et excusatione caret hoc peccatum.

Nota.

Matth. 5, 44.

1. Cor. 13, 3.

Fornicatione et adulterio quomodo pejus.

Gen. 4, 8. 27, 42. 37, 20. Sap. 2, 24.

nens honori: et quod est omnium gravissimum, indifferens peccatum esse videtur, cum sit omnium atrocissimum. Sive miserearis, sive vigiles, omnium es sceleratissimus, cum invidcas fratri, de hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, et brevi correctus. Abeli Cain invidit, sed sanatus non est: quin et Deo statim ipsius ulceri curam afferente, magis intumescibat, et fluctuabatur, et ad caedem properabat. Ita hoc vitium illo pejus est, nec medicinae, quamcunque adhibuerimus, facile cedit. Funditus igitur eam undique evellamus, illud pensantes, quod, quemadmodum offendimus Deum alienis tabescentes bonis, ita placemus gratulantes, et nosmet ipsos participes facimus honorum bene merenti repositorum. Et propterea Paulus dicit: Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus. Utrinque magnum lucrurum emolumentum. Cogitantes itaque, quod licet non laboremus, sed laboranti condelectemur, illius coronarum efficiamur participes: omnem ejiciamus invidiam, et in animabus nostris caritatem plantemus. Grave quid invidia, grave et simulatione plenum. Hoc mundum innumeris replevit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia, ex hoc livores et pecuniarum amor, ambitio et inanis gloria. Hinc urbes obsidentur, et mare piratas habet: hinc per orbem caedes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur: jam enim et in Ecclesias debacchata est, et prius innumera patravit mala. Hoc avaritiam parit, vitium omnia confundens, et justitiam corrumpens. Et post nonnulla: Lugeamus itaque non hos tantum, verum et invidos: gravis enim et hic valde morbus est. Nec aberraverit quis, hanc diaboli filiam appellans, et post haec inanis gloriae fructum, quin et radicem. Haec enim utraque mala in alterutrum sese producere solent.

Gen. 4, 5. 6.

Lucrum eorum, qui bene favent aliis.

Rom. 12, 15.

Invidia quantum malorum illidem invenit.

Filia diaboli invidia.

Comparatus vermi de ligno nascenti.

5. IDEM homilia 45. ad populum Antiochenum: Talis est invidiae malitia, ut prius se parientem offendat. Et sicut vermis de ligno nascentis, ipsum prius absumit: sic et invidia illam prius, quae se peperit, animam corrumpit, et invisum contrariis, ac vellet, afficit. Nam ne mihi consideres invisorum proemia, sed finem respice: et intellige, quod haec invidentium malitia invisos ad majorem perducit claritatem. Nam hi quidem et Deum in auxilium attrahunt, et caelesti fruuntur favore: hoc vero carens, omnibus redidit expugnabilis: et antequam ab externis hostibus, ab ipso obsessus vitio tantum non consumitur, et tanquam

ocultis depastus dentibus, ita clanculum, ut ita dicam, assumptus remanet. Quod scientes, hujus quaeso vitii pestem fugiamus, et totis viribus ex nostris relegemus animis. Omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, et ipsam salutem nostram super omnia vastat: Improbi namque diaboli est inventum. Et propterea Sapiens quidam dicebat: Invidia vero diaboli introivit mors in orbem terrarum.

Omnium vitiorum perniciosissimum.
Sap. 2, 24.

6. PROSPER libro III. de vita contemplativa, capite 5.: Invidus certe, qui alienum bonum suum facit invidendo supplicium, nulla videtur ad invidendum concupiscentia provocari, sed tantum superbiae morbo vetari. Sed si animi ejus pestem, qua praecipitatur incensus, subtiliter alteque rimemini, invenietis eum et perditionis ejus cupidine, cujus cupit interitum, et superbiae malo teneri, quo sibi jugiter ingemiscit meliorem, cui invidet, anteferri. Quis facile potest, quale sit hoc malum, verbis exprimere, quo invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine: quum potius armari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet poena justa tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores. Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum poena peccati: nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cujus est vulnus occultum.

Oritur ex superbia.

Invidiosi et invidi discrimen.

7. ET capite 9.: Donante Domino debemus ostendere, qualiter invidi sancte viventium merita, sua faciant invidendo peccata: et quantum in eis bonum corrumpat invidia, qui quidquid boni fieri vel dici a sanctis audierint, aut omnino non credunt, aut res bene gestas in malum male interpretando convertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama jactaverit, statim, tanquam si ipsi viderint, credunt. Feraliter eis, qui illud verum non esse probare voluerint, contradicunt. Omnia suis aemulis fingunt, eorum profectus deficient, odia intra se abscondunt, et in in suos cruciatus emutrient, proficientibus invident, peccantibus favent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi. Amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi. Ad gaudenda anxii, ad plangenda laeti, utrobique dispersi. Inter amicos discordias seminant: discordantes, ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorum mendaciis decolorant: in spiritualibus carnalia laudant, ut spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant,

Invidorum ingenium egregie depingitur.

ut eos, qui se incaute sibi commiserunt, qua possunt arte decipiant. Odiorum sibi occasiones pravis suspicionibus coacervant: daemones, quorum sectantur facta, laetificant. Sanctos viros, quibus sunt noti, contristant, velut amici in obsequio, hostes in animo. Continentes in verbo, turpes in facto. Prodigii secretorum, tenaces malorum, prompti suspicionum malarum, inanes bonorum. Pleni sordium, praediti fraudibus. Adversarii corde virtutibus, pravi moribus, et insidiosus cunctis secum in simplicitate viventibus. Haec et his similia sunt, quae omnes invidos bonis voto sive animo inimicos ostendunt. Considerate, obsecro, qualiter invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Ubi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando bene malis usuri sunt, qui male bonis uti non desinunt? Item bonis utitur invidus male, quia omnibus bonis, quae miser exsecratur abjunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? Aut unde sibi parabit salutem, qui de salutis materia (bonis male utendo) facit perniciem?

Invidus, sui ipsius carnis fex.

8. ISIDORUS de summo bono libro III., capite 25: Livor alieni boni suum punit auctorem. Nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. Homines, prave viventes, sicut de bonorum lapsibus gratulantur, ita de eorum recte factis bonique perseverantia confunduntur. Invidus membrum est diaboli, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Sicut et superbus membrum est diaboli, de quo scriptum est: Omne sublime videt, et ipse rex est super omnes filios superbiae. Nulla est virtus, quae non habeat contrarium invidiae malum. Sola miseria caret invidia: quia nemo invidet misero, cui re vera non livor obijcitur, sed sola misericordia adhibetur. Multi et bonos imitari volunt, et de bonorum profectibus invidiae livore tabescunt. Quo fit, ut nec illi corrigantur a malo suo: sed per invidentiam deteriorentur, et bonos a recto studio, quantum in ipsis est, si potuerint, depravare conentur. Quando malos boni proficere vident, non scandalizentur: sed quem sint finem habituri, maxime cogitent. Hoc omnis invidus alienis virtutibus praestat, quod beato Job Satan praestitit. Nam dum aemulatur prosperitatibus, commovit adversa. Sed dum credidit, eum diabolus posse prosternere, inde ejus aucta sunt merita, atque inde claruerunt probabiliora patientiae documenta. Ita requirunt invidi aditum malae famae, per quam bonorum vitam maculent, sicut

Sap. 2, 24.
Job 41, 25.
Nulla virtus caret invidia.
Sola miseria caret invidia.

Job 1, 8. sq.
et 2, 4. sq.

ostium quaerebant Sodomitae, quo domum Loth nocituri introirent. Illi vero caecitate erroris percussi, parietes videbant, ostium non inveniebant. Non aliter invidi videndo velut parietem, virtutes dissimulant: vitia vero perquirunt, per quae eorum conscientiam urant.

9. AUGUSTINUS libro XI. de genesi ad literam, capite 14: Cum superbia sit amor excellentiae propriae, invidia vero sit odium felicitatis alienae, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequantur: vel inferioribus, ne sibi coaequantur: vel superioribus, quod eis non coaequetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

Invidia quid sit, et quomodo ex superbia nascatur.

10. PROSPER in sententiis ex Augustino decerptis, sententia 292: Cum superbia sit amor excellentiae propriae, invidentia vero sit odium felicitatis alienae, quod unde nascatur, in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequantur: vel inferioribus, ne sibi coaequantur: vel superioribus, quo eis non coaequetur. Superbiendo ergo quisque invidus, non invidendo superbus est.

11. GREGORIUS libro XXXI. Moralium, cap. 31: De invidia odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur.

Invidiae fliae.

1. B. GREGORIUS Nyssenus in vita Moysi: Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiae causa, ignominiae principium. Invidia nos longe a paradiso exterminavit: invidia repulit a ligno vitae. Invidia, dico, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturae morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis: hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, et contra non suo bono, sed malis proximi felix est: invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. Milvos cadaveribus pasci, et pretiosis unguentis emori ajunt: videtur enim natura sua ad putridum et purulentum esse affinis: quando vero huic morbo subjectus est aliquis, amicorum commodis quasi unguento tabescit: et si quid calamitosum incidisse proximo intellexerit, ilico advolat, *) posito invadit adunco, quo si qua latent, dis-

Invidiae vituperatio.

Milvis comparantur invidi.

for. *) rostro

2. HIERONYMUS in caput 5. epistolae ad Galatas: Invidiam non putemus idem esse quod zelum: Quia zelus

Discrimen inter invi-

diam et se-
lum.

Invidia in
duas passio-
nes scindi-
tur.

et in bonam partem accipi potest, cum quis nititur ea, quae meliora sunt, aemulari. Invidia vero aliena felicitate torquetur: et in duplicem scinditur passionem, cum aut ipse est aliquid in eo, in quo alium esse non vult: aut alium esse videns meliorem, dolet, se ei non esse consimilem. Pulchre quidam de Neotericis, graecum versum transferens, elegiaco metro de invidia lusit, dicens:

Justius invidia nihil est: quae protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.

Invidi et in-
vidiosi dis-
crimena.

Scriptis et beatus Cyprianus librum de zelo et livore, valde optimum: quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam. Inter invidium autem et invidiosum hoc interest, quod invidus feliciori invidet: Invidiosus autem is est, qui ab alio patitur invidiam.

Caecitas et
infelicitas
invidorum.

3. GREGORIUS pastoralis curae parte tertia, admonitione 11.: Admonendi sunt invidi, ut perpendant quantae caecitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exultatione tabescunt. Quid istis infelicibus, quos dum conspecta felicitas afficit, poena nequiores reddit? Aliorum vero bona, quae habere non possunt, si diligenter, sua facerent. Sic quippe sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno continentur in hoc corpore, quae per officium quidem diversa sunt, sed eo, quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit, ut pes per oculum videat, et per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, et ad usum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operantur manus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus. Nostra sunt nimirum, quae etsi imitari non possumus, amamus in aliis, et amantium quaeque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, caritas quantae virtutis est, quae alieni quoque laboris opera, nostra facit sine labore. Dicendum est invidis, quia, dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quidquid in se aliud boni habere videntur, interimunt.

Prov. 14, 30.

Unde scriptum est: Vita carniū, sanitas cordis: putredo ossium, invidia. Quid enim per carnes, nisi infirma quaedam ac tenera: et quid per ossa, nisi fortia acta signantur?

Aerugini
comparatur
et viperæ.

4. AUGUSTINUS sermone 83. de tempore: Sicut aerugo ferrum, ita invidia ipsam animam, in qua est, interimit et consumit. Et sicut ajunt vipersas dilacerato et disrupto illo ipso materno utero, in quo conceptae sunt, nasci: ita et invidiae natura illam ipsam animam, a qua concepta est, et consumit et perdit. Qualis haec animae tinea

est? Quae cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo zelare in homine donum Dei, et in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere poenam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent? Non cibus talibus laetus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper et ingemiscitur ac doletur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Et quantum ille, cui invidet, successu meliori profecerit, tantum invidus in majus incendium livoris ignibus exardescit: pallor in facie, tremor in labiis, stridor in dentibus. Quisquis ille est, quem in zelo suo persequitur invidus, subterfugere eum forsitan poterit et vitare, invidus vero fugere non valebit. Ubiunque fuerit, adversarius suus secum est, hostis in pectore semper inclusus.

Miseria iavidorum.

5. BERNARDUS in sermone 14. super cantica: **Non** Rom. 1, 30.
veniat anima mea in concilio detrahentium: quoniam Deus Contra detractionem.
odit eos, dicente Apostolo: Detractores Deo odibiles. **Quam** Psal. 109, 5.
sententiam Deus ipse loquens in Psalmo, audi, quomodo affirmet: Detrahentem, inquit, secreto proximo suo, hunc persequerbar. Nec mirum, cum id praecipue vitium caritatem, quae Deus est, et quidem caeteris acrius impugnare et persequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis advertere. Omnis, qui detrahit, primum quidem se ipsum prodit vacuum caritate: deinde, quid aliud detrahendo intendit, nisi, ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Fert ergo caritatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledicta: et quantum in se est, necat funditus et extinguit: non solum autem, sed et in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui praesentes sunt, pervenire contigerit. Vides, quam facile et in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe malitiae hujus inficere possit? Propterea dicit de talibus propheticus Psal. 43, 8.
spiritus: Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Utique tam veloces, quam velociter currit sermo. Unus est, qui loquitur, et unum tantum verbum profert: et tamen illud unum verbum, uno in momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum, per linguae instrumentum spargere, nisi amara non potest, dicente Domino: Ex abundantia cordis Matth. 12, 34.
os loquitur. Et sunt species pestis hujus, dum alii qui- tractionis.
dem nude atque irreverenter uti in buccam venerit, virus

evomant detractiois: Alii autem quodam simulatae ver-
cundiae fuco conceptam malitiam, quam retinere non pos-
sunt, adumbrare conantur. Videas praemitti alta suspiria,
sicque quadam cum gravitate et tarditate, vultu moesto,
dimissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem,
et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his,
qui audiunt, corde invito, et magis condolentis affectu,
quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro
eo, quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re
corrige eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene com-
pertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuis-
set. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem
negare non possum: dolens dico: re vera ita est. Et ad-
didit: Grande damnum. Nam alias quidem in pluribus va-
let, caeterum in hac parte (ut verum fatear) excusari mi-
nime potest.

De primis
moribus in-
vidiae.

6. IDEM sermone 49. in Cantica: Metientes nosmet
ipsos nobis, sentimus aliqui nostrum pro nostrae imperfec-
tionis experientia, quam rara virtus sit, alienae non invi-
dere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tanto
plus, quam ad propriam quemque gratulari, quanto se
perpenderit in virtute superatum. Et quomodo (ais) ego
proficere possum, qui fratri proficenti invideo? Si doles,
quod invides, sentis, sed non consentis. Passio est quan-
doque sananda, non actio condemnanda. Tantum non il-
lic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter vi-
delicet foveas morbum, satisfacias pesti, persequaris inson-
tem, bene ab illo gesta calumniando, deprimendo, per-
vertendo, atque impediendo gerenda. Alioqui non nocet
ambulanti et extendenti se ad meliora, quod jam non ipse
operatur, sed quod habitat in eo peccatum. Non est ergo
damnatio illi, qui non dat membra sua arma iniquitati,
non linguam ad detrahendum, non quidquam reliqui cor-
poris ad laedendum nocendumve aliquo modo, magis au-
tem confunditur sic se esse male affectum: et inolitum ex
longo vitium confitendo, flendo, orando conatur expellere:
et cum non praevaleret, mitior inde ad omnes, atque apud
se humilior invenitur.

Rom. 6, 15.

Contra de-
tractores.

7. IDEM in sermone de triplici custodia, manus,
linguae et cordis: An non amittunt vitam detractores Deo
odibiles, odibiles vitae? Fugit vita, quos odit, et quos
vita fugit, mori necesse est. An non et ipse moritur, qui
venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua pro-
pinaat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: et

dum nescit, paulatim in eo fraterna caritas refrigescit. Auditorus est forsitan ipse quoque, cui detrahitur: undique enim verba volant, et multorum prius ora sermo pertransiens, difficile fieri potest, quin singulorum creverit linguis, et quasi jam provectus referatur ad eum, ad cuius spectat offensam. Itaque scandalizabitur audiens et tabescet, eoque facilius extinguetur in eo caritas, quo amplius ante vivere videbatur. Si inimicus, ait, meus maledixisset Psal. 54. 16. mihi, sustinuissem utique: et quidem cavet sibi prudens auditor, cavet et ipse, si non desipit, qui sibi noverit esse detractum: ille, ne veneno inficiatur: iste, ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est, tamen lingua maledica, et illius percutiens conscientiam, et istius vulnerans caritatem, secum pariter utrumque peremit. Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum quae tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto et acutissima, quae tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, immo triceps est lingua detractoris. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim haec quoque Christi corpus, et membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsi quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio judaicae iniquitatis infixit. Nisi enim hujus, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis sui vitam illius vitae corporis praetulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriae, crucis ignominiae tradidisset. Et dicimus: Levis res sermo: tenera, mollis et exigua caro lingua hominis: quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: Profertur leviter, sed non leviter revocatur: facile volat, atque ideo facile violat caritatem.

Psal. 56. 5.
Lingua detractoris gladius triceps.

Matth. 27. 29.

8. CHRYSOSTOMUS homilia 41. in Matthaem: Tale certe malum invidia est, qua nulla unquam malignitas pejor invenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquae fructum, ut putant, aliquem capiunt, et brevi tempore peccatum committunt. Invidi autem et multo ante se ipsos, quam quibus invident, perturbant et cruciant: et ita in agendo semper invidendoque sunt, ut nunquam peccandi afferant finem: sed quemadmodum sues lutosa im-

Quam execrabile malum invidia sit.

munditia, et daemones nostris damnis laetantur, sic invidia calamitate proximorum exsultant. Cumque aliquid triste ac doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulum acquiescit, atque respirat invidus: alienas enim jacturas suos quaestus existimat, et aliorum felicitatem miseriam suam arbitratur: nec magis considerat, quid ipse suave consequatur, quam quid proximo calamitosum inferatur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? Nonne omni cruciati torquendi sunt? Non aliter profecto, quam canes rabie concitati, infestique daemones, atque furiae ipsae. Nam quemadmodum scarabaei alieno stercore, sic invidia adversa aliorum fortuna nutriuntur, cum sint communes humano generi hostes atque inimici. Et alii quidem homines si animantes rationis expertes crudeliter caedi ac dilaniari viderint, aliquantulum commiserantur: tu vero cum saluti beneficium conferri homini cernas, expalles et tremis, et in ferocitatem caedendi benefactoris conspiras. Et quid hac insania furiosius unquam reperietur? His profecto de causis fornicatores ac publicani ad coelos conscendere poterunt: invidiae autem morbo laborantes, quum intus essent, a regno caelorum exciderunt: filii autem (inquit) regni ejicientur foras. Praeterea omni pravitate illi ex animis expulsi, ea, quae nunquam sperarunt, facile nacti sunt: Pharisei autem vel ea, quae retinebant bona, penitus amiserunt: neque id injuria. Nam invidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in daemonem immanissimum convertit. Invidia prima hominis caedes apparuit. Invidia fraterna caritas contempta est. Invidia sanguine hominis terra primo maculata. Invidia denique factum est, ut hiatu suo terra Dathan, Chore, Abiron, universumque illum populum vivos absorpserit. Et paulo post: Nam unde Cain fratricida effectus est? Unde vero Esau fratrem insectabatur? Unde Laban, unde Jacob filii, unde Chore, Dathan et Abiron, unde Maria atque Aaron inquinati fuerunt? Unde ipse diabolus calumniae nomen sortitus est? Ad haec illud etiam tecum semper verte, quia non majorem illi, cui invides, quam tibi ipsi facis injuriam, cum te ipsum versus mucronem impellas. Quid enim incommodi Cain fratri suo Abel intulit? Nonne illum quidem invitus ad meliorem vitam citius transmisit, ac se ipsum aerumnis involvit? Esau vero qua in re mansueti Jacob obfuit, cum ipse etiam paterna domo excidit, et post insidias illas in aliena vagabatur regione, Jacob vero multis bonis atque divitis abundavit? Qua in re fratres

Nota.

Matth. 9, 12.

Invidia convertit homines in daemones.
Gen. 4, 8.

Num. 16, 31
— 53.
Gen. 4, 8, 27,
42.
Gen. 37, 20.
Sl. 2, 59.
Num. 16, 1.
sq. et 12, 1.

Gen. 4, 8, sq.

Gen. 27, 42.
45. sq.

Gen. 37, 27.
sq. et 42, 2, sq.

sui Joseph pejorem reddiderunt? Nonne quamquam usque ad sanguinem fere venissent, inediae malo in extremis periculis fuerunt, cum ille regia potestate in Aegypto potiretur? Nam quanto majore invidia laboras, tanto majora illi offers bona, cui invides. Deus enim, qui omnia perspicit, cum viderit innocentem injuria circumventum, extollit multo magis, clarumque illum facit, invidentem autem deprimit.

GREGORIUS libro V. *Moralium*, capite 33.: Et parvulum occidit invidia. Invidere enim non possumus, nisi ^{Job. 5, 2.} Invidemus non nisi illis, ^{quos nobis meliores arbitramur.} eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod eo minor sit, cujus invidia torquetur. Hinc est, quod hostis callidus primo homini invidendo surripuit, quia amissa beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit. Hinc est, quod Cain ad perpetrandum fratricidium corrui: quia despecto suo sacrificio; praelatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit, et quem meliorem se esse exhorruit, ne utcumque esset, amputavit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen pro esu lenticulae ipse vendiderat, minorem se eo, quem nascendo praeibat, ingemuit. Hinc Joseph fratres sui Ismaëlitis transeuntibus vendiderunt: quia cognito revelationis mysterio, ne se fieret melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc Saul David subditum, lanceam intorquendo, persequitur, quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus itaque est, qui invidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono ulterius non doleret.

10. ET capite 34.: Sed inter haec sciendum, quia ^{Diabolicum vitium.} quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia orta sua viscera serpens concutit, et imprimendae malitiae estem movit. De quo nimirum scriptum est: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Nam cum devictum or livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indant, quam graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, ^{Exterior species invidi hominis.} membra frigescent, fit in cogitatione rabies, in dentibus ridor: cumque in latebris cordis crescens absconditur, dolore caeco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. il laetum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua venena sauciat, quam felicitas torquet aliena: quantoque exanei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum

mentis lividae profundius suffoditur: ut quo alii ad meliora properant, eo ipso deterius ruant, qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus, perfecto opere, surrexisse putabatur. Nam invidia cum mentem tabefecerit, cuncta, quae invenerit bene gesta, consumit. Unde bene per Salomonem dicitur: Vita carnis,

Prov. 14:30.

Remedium
contra invidiam.

sanitas cordis: putredo ossium, invidia. Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quaedam ac tenera: et quid per ossa, nisi fortia acta signantur? Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam haereditatem diligit, quam cohaerendum numerus non angustat, quae et omnibus una est, et singulis tota: quae tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Quia autem parvulus est, qui terrena diligit: magnus, qui aeterna concupiscit; potest etiam sic non inconvenienter intelligi: Parvulum occidit invidia, quoniam hujus pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desideriis infirmatur.

Job 5, 2.

Invidi sunt
membra diaboli.
Sep. 2. 24.

11. ITEM libro 29. Moralium, cap. 3.: Ecce alius fratri suo in corde tacitus invidet, et si occasionem reperiat, eum supplantare contendit. Cujus alterius membrum est, nisi ejus, de quo scriptum est: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum?

Diabolus
praecedit
superbiae et
invidiae.

.12. AUGUSTINUS in libro de sancta virginitate, capite 31.: Superbiam sequitur invidentia, tanquam filia pedissequa. Eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. Quibus duobus malis, hoc est, superbiae et invidentiae, diabolus praecedit.

VII.

Quid est gula, et quanam illius filiae?

A. Gula est cibi ac potus appetitus¹ inordinatus: ² filias habet, ³ ineptam laetitiam, multiloquium, scurrilitatem; ⁴ spurcitiem, sententiam et intellectus habitudinem.

1) Greg. 30. Mor. c. 27.
2) Idem lib. 31. Moral. cap. 31.
3) Exod. 32. 6. Job. 21. 12. Prov. 10. 19. Ephes. 5. 3. Greg. 3. parte curae past. admonitione 20. Chrysost. homil. 57. ad pop.
4) Esa 28. 7. 8. Eccle. 10. 16. 17. Chrys. 44. in Joan. et 58. in Matth. Hier. lib. 2. cont. Jovin.

B. Quid vero foedius, quam hominem a belluis naturali quadam frugalitate

contentis superari, dum ventris, crapulae, et vinolentiae quasi mancipium agit, dum bona dissipat, valetudinem laedit, morbos accersit, ac vitam demum ipsam abrumpit eripitque sibi? Nam vere dictum illud: ⁵ *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjicit vitam.* Item: ⁶ *In multis escis erit infirmitas.* Jubet ergo Christus: ⁷ *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Caeterum ab ebrietate nos revocans Paulus: ⁸ *Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria.* ⁹ *Ebriosi regnum Dei non possidebunt: ut idcirco tam graviter interminetur quoque Propheta potatoribus: ¹⁰ Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

et in cap. 44. Ezech. et in cap. 5. ad Gal. Legatur de hoc vitio Basil. hom. in ebrietatem et luxum Aug. de temp. serm. 231. et 232. Chrysost. in serm. cont. luxum et crapulam et hom. 1 ad pop. Antioch. Isidor. lib. 2. de summo bono, cap. 42. et 43. Ambr. de Helia et jehunia, cap. 12. et seq. 5) Eccl. 37, 34. et 31, 10 — 22. Psal. 77, 20. 30 Num. 11, 33. 34. Deut 32, 15. Prov. 21, 17. 6) Eccl. 37, 34.

7) Luc. 21, 34. Vide Burchard, lib. 14. decret. et Ivonem parte 13. cap. 08. et seq.

8) Ephes. 5, 18. Prover. 20. 1. Hier. in cap. 1. ad Tit. et epist. 83 ad Oceanum cap. 4. Amb. lib. 1. de poenit. cap. 14.

9) 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 10 — 21. Osee. 4, 11. Prov. 31, 4. 5. Eccl. 19, 2.

10) Esa. 5, 22. 22, 12 — 14. Prov. 23, 20. 21, 29 — 35. Amos. 6, 1. 4 — 6. Luc. 6, 24. 25.

SCRIPTURAE.

Exod. XXXII.: Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere.

Job XXI.: Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Prov. X.: In multiloquio non deerit peccatum.

Ephes. V.: Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio.

Esai. XXVIII: Verum hi quoque prae vino nescierunt, et prae ebrietate nescierunt. Sacerdos et Propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. Omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Quem docebit scientiam.

Eccl. X: Vae tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam?

Eccl. XXXVII: Noli avidus esse in omni epulatione et non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

Et cap. XXXI: Utere quasi homo frugi his, quae tibi apponuntur, ut non, cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior causa disciplinae: et noli nimis esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis, ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem.

Psalm. LXXVII: Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit. In omnibus his peccaverunt adhuc.

Num. XI: Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus: et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, sepulcra concupiscentiae. Ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat.

Deut. XXXII: Incrassatus est dilectus, et recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

Proverb. XXI.: Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum et pingua, non ditabitur.

Luc. XXI.: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitae, et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

Proverb. XX.: Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.

I. Corinth. VI.: Nolite errare, neque fornicarii etc. neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet.

Gal. V.: Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia etc., homicidia, ebrietates, commessiones, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Osee IV.: Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor.

Proverb. XXXI.: Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas: ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum, et mutant causam filiorum pauperis.

Ecc. XIX.: Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensatos.

Et cap. V.: Vae, qui potentes etc., ut in textu.

Et cap. XXII.: Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et laetitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus et bibamus; cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum.

Proverb. XXIII. : Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessionibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur, et vestietur pannis dermitatio. Et, paulo post: Cui vae? cujus patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices: Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam?

Amos. VI. : Vae, qui opulenti estis in Sion etc., qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici: Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.

⁹) qui

Luc. VI. : Vae vobis divitibus, *) quia habetis consolationem vestram. Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.

P A T R E S.

1. A. GREGORIUS libro XXX. Moralium, cap. 27. :
 Sciendum est, quia quinque nos modis gulae vitium tentat. Aliquando namque indigentiae tempora praevenit: aliquando vero tempus non praevenit, sed cibos lautiores quaerit: aliquando quaelibet sumenda sint, praeparari accuratius expetit. Aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi, mensuram moderatae refectionis excedit. Nonnunquam vero et abjectius

Quinque modis a gula tentamur.

est, quod desiderat, et tamen ipso aestu immensi desiderii deterius peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Jonas meruit: quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Aegypto populus eductus, in eremo occubuit: quia despecto manna, cibos carniū petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer, non antiquo more, coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cum ad Hierusalem dicitur: Haec fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia: aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiae vitio mensuram immoderate refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno aestu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit: quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitū anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiae degustamus. Hic quippe, quem diximus: Esau primatum per lenticulam perdidit; et Helias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo servavit. Unde et antiquus hostis, quia non cibus, sed cibi concupiscentiam, esse causam damnationis intelligit: et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, et secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est, quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, ut a vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cum alimenta quaedam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus, profecto quid aliud quam vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quaerit: et non, quæ edendi libido suggerit.

2. IDEM XXXI. Moralium, capite 31.: De ventris Filiæ gulæ. ingluvie inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.

3. ITEM III. parte curæ pastoralis, admonitione 20.: Quæ vitia ex gula nascantur. Gulæ deditos superfluitas locutionis, levitas operis, atque luxuria comitatur. Nisi enim illos immoderata loquacitas raperet, dives ille, qui epulatus quotidie dicitur splendide, in lingua gravius non arderet, dicens: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior Immoderata loquacitas. Lucæ 10.

- in hac flamma. Quibus profecto verbis ostenditur, quia epulando quotidie, crebrius in lingua peccaverat, qui totus ardens, refrigerari se in lingua praecipue requirebat. Rursum quia gulae deditos levitas pronus operis sequitur, auctoritas sacra testatur, dicens: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Quos plerumque edacitas usque ad luxuriam pertrahit: quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excoitantur. Unde et hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur: **Gen. 3. 14.** Pectore et ventre repes, ac si aperte diceretur: Cogitatione et ingluvie super humana corda dominaberis. Quia gulae deditos luxuria sequitur, propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens: Princeps cocorum destruxit muros Hierusalem. Princeps namque cocorum venter est, cui magna cura obsequium a cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibus impleatur. Muri autem Hierusalem, virtutes sunt animae, ad desiderium supernae pacis elevatae. Cocorum igitur princeps muros Hierusalem dejecit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animae per luxuriam destruuntur. Admonendi ergo sunt gulae dediti, ne in eo, quod escarum delectationi incumbunt, luxuriae se mucrone transfigant: et quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis levitas insidietur, adspiciant: ne, dum ventri molliter serviunt, vitiorum laqueis crudeliter adstruantur. Tanto enim longius a secundo parente receditur, quanto per immoderatum usum, dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur. Itaque ne aut gulae deditos appetitus a mentis statu dejiciat, aut abstinentes afflictus caro ex elatione supplantet, audiant illi ex ore veritatis: **Luc. 21. 34.** Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus mundi. Ubi utilis quoque pavor adjicitur: Et superveniat in vos repentinus dies ille. Tanquam laqueus enim veniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae. Audiant isti: Non quae intrant per os, coinquant hominem, sed quae exeunt de ore, illa sunt, quae coinquant hominem. Audiant illi: **Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et hanc destruet.** Et rursum: Non in commessionibus et ebrietatibus: **Et rursum: Esca non commendat nos Deo. Audiant isti: Quia omnia munda mundis etc. Audiant illi: Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum. Audiant isti: Discedent quidam a fide et veritate. Et paulo post: Prohibentium nubere, praecipientium abstinere a cibus, quos**
- Levitas operis.**
Exod. 32. 6.
Luxuria.
- Hiere 52. 14. juxta LXX.**
- Marc. 7. 15.**
1. Cor. 6. 13.
Rom. 13. 13.
1. Cor. 8. 8.
Tit. 1. 15.
Philip. 3. 19.
- 1. Tim. 4. 3.**

Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et his, qui cognoverunt veritatem. Audiant illi: **Bonum est, non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizatur. Audiant isti: Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. Quatenus illi discant cibos carnis inordinate non appetere, et isti creaturam Dei, quam non appetunt, non audeant condemnare.** Rom. 14. 21.

11. **CHRYSOSTOMUS** homilia 57. ad populum Antiochenum: Ubi ebrietas, ibi diabolus: ubi turpia verba, ubi saturitas, illic daemones choreas agunt. Talem habebat mensam dives ille, propterea ne guttae quidem aquae dominus fuit. Daemones choreas agunt apud scurrilia loquentes. Luc. 10, 24.

12. **IDEM** homilia 44. in Joannem: Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est: haec obtusum et crassum ingenium, haec carnalem animam reddit, haec caecat intellectum, nec sinit, ut quicquam perspiciat. Quam perniciem adferat gula.

13. **ITEM** homilia 58. in Matthaeum: Sed sufficit etiam hoc diaboli furorem deprimere, cui nemo magis amicus est, quam qui deliciis et ebrietate maculatur: hic enim fons, haec mater, atque origo vitiorum omnium est: Haec via olim Hebraeos in cultum diabolus idolorum iniecit, hac iniquos amores Sodomitarum inflammavit: haec enim, ait, iniquitas est Sodomae, in copia et plenitudine panis luxuriabantur: hac denique via mille alii gehennae traditi periere. Quid enim deliciarum haec foeditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, immo vero etiam suibus multo deteriores. Deliciae et ebrietas fons, mater et origo vitiorum omnium. Exod. 32. 4. sq. Ezech. 16, 49. Sues ex hominibus facit. Audivi enim multos, cum insanae istae accidunt passiones, dicentes: Utinam non esset vinum. O amentiam singularem, o stoliditatem inauditam. Alii delinquent, et Dei tui dona criminantis: putasne a vino hoc factum malum? Non fecit vinum certe, sed incontinentia eorum, qui vino abusi sunt. Dicas, utinam non esset ebrietas, non essent deliciae: si vero dicis, utinam non esset vinum, ordine paulatim progrediens optabis, ne sit ferrum propter homicidiam, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit foemina propter adulterium, et sic omnia Dei opera tibi destruantur. Non igitur ita dicas; mentis enim istud est diabolicae: nec vinum, sed ebrietatem crimineris: et ebrio, cum in se fuerit reversus, omni dedecore suo prius descripto, dicas datum esse vinum ad laetitiam, non ad turpitudinem nostram: datum est, ut rideamus, non ut derideamur: ut recte valcamus, non ut aegrotemus: ut imbecilla corpora reficiamus, non ut robur animi dejiciamus: honoravit te hoc munere Deus,

Non vinum sed vini abusus damnandus.

cur dehonestas propter intemperantiam bibendi te ipsum?

1. Tim. 5, 23. Audi quid ad Timotheum dicit Paulus: Modico vino utere propter stomachum tuum, et crebras infirmitates tuas. Quod si sanctus vir ille morbo depressus, et alternis aegritudinibus laborans, quousque magister permisit, vino non utebatur: quam veniam nos consequemur, vino ad ebrietatem sani abutentes? Et illi quidem dicebat: Paucio utere vino

Cur a nimio vino abstinentium.

propter stomachum tuum; ebrioso vero dicit: Utaris modico vino propter fornicationes, ut crebra turpiloquia fugias, propter pestiferas cupiditates, quas ebrietas parit. Quod si haec non persuadent vobis, ut ab his abstineatis, saltem propter dolores et eversiones stomachi abstineatis. Non ad moerorem, nec ad dolorem, sed ad laetitiam vinum datum est. Vinum enim, inquit, laetificat cor hominis: quam ejus virtutem vos dejicitis. Nam quae laetitia est, si non es in te ipso, si mille doloribus vexaris, si omnia tibi circumferri videantur, si tenebris detentus quasi febricitans, hominibus indigeas, qui oleo caput tuum perfundant? Haec non omnibus dicta esse velim, immo vero dicta sunt omnibus: non quia omnes vino corrumpantur, sed quia nullam de ebriosis curam sobrii habent: idcirco ad sobria magis orationem direxerimus, quoniam et medicus, aegrotis omis-

Psal. 103, 15.

Turpissima insania est ebrietas.

sis, sanos, qui ipsis assident, alloquitur: Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania unquam capiimini, et ut eos, qui capiuntur, diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestiis homines fieri: nihil enim ultra, quam opus est, illae desiderant: isti autem mediocritatis terminos excedentes, irrationabiliores illis constituuntur. Quanto enim melior asinus ebrioso est, quanto canis praestantior? Omnes certe animantes, quae rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis est, etiam si mille homines cogerent, nunquam elabuntur. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini, non mentis compotes solum, verum etiam non apud vos judices. Inde namque manifestum est, canibus atque asinis vestro vos judicio esse deteriores, et magis abjectos, quia nullum brutorum supra mensuram comedere aut bibere cogitis.

Asini et canes ebrioso homine praestantiores sunt.

14. HIERONYMUS libro II. adversus Jovinianam:

Seminarium libidinis. Terent. in Eunucho.

Esus carniū et potus vini ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Unde et comicus: Sine Cerere, inquit, et Libero friget Venus. Et paulo post; Quod si quis existimat, et abundantia ciborum potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiae, hoc est, et versari in deliciis, et deliciarum vitiiis non teneri, se ipsum decipit. Cum enim

Sapientiae studium im-peditur satū.

procul ab his remoti saepe capiamur naturae illecebris, et cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus: quanto magis, si circumdati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur? Absque gustu et cibus impossibile est humanum corpus subsistere: adesse ergo debet ratio, ut tales ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animae praegravetur: quia et comedendum est, et deambulandum, et dormiendum, et digerendum, et postea, inflatis ventis, incentiva libidinum sustinenda. Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens. Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos et perditos labore doleamus: Olerum, pomorum, ac leguminum et facilior apparatus est, et arte impediisque coquorum non indiget: et sine cura sustentat humanum corpus, moderateque sumptus (quia nec avide devoratur, quod irritamenta gulae non habet) leviori digestionem concoquitur. Nemo enim uno aut duobus cibus, hisque vilibus usque ad inflationem ventris operatur, quae diversitate carniū et saporis delectationem percipitur. Cum variis nidoribus fumant patinae, ad esum sui, expleta esurie, quasi captivos trahunt, unde et morbi ex saturitate nimia concitantur: multique impatientiam gulae vomitu remediuntur: et quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa et obesa corpora, quae crescendi mensuram compleverint, nisi cito ablatione sanguinis imminuantur, in paralytim et pessima morborum genera erumpere, et idcirco necessariam esse demptionem, ut rursus habeant, in quae possint crescere: non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere: nec posse vivere animal, nisi crescendi capax sit. Unde et Galenus vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum vita et ars sagina est, dicit in exhortatione medicinae, nec vivere posse diu, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine et adipibus, quasi huto involutas, nihil tenuae, nihil caeleste, sed semper de carnibus et ructu et ventris ingluvie cogitare.

ritate et violentia.

Quantum cibi sumendum.

Prov. 20. 1.

Qualibus cibus utendum.

Hippocrates.

Galenus.

Nihil caeleste cogitare potest gulae deditorum animus.

Statum mentis evertit ebrietas.

15. IDEM in caput XLIV. Ezechielis: Perspicuum est, ebrietate et sicera statum mentis evertit: et non plene nos sapere, quando vini satietate animus occupatur.

16. ITEM in caput V. ad Galatas: Quartum decimum locum inter carnis opera ebrietas tenet. Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt. Et dominus ad discipulos: Cavete, ait, ne forte graventur corda vestra in vino et

Galat. 5. 21. 1. Cor. 6. 10. Luc. 21. 34.

Vini immo-
derate sumpti operatio.
Ephes. 5. 18.

Ad Eusto-
chium epist.
22.

Vinum in
Christi san-
guinem con-
secratur.
1. Tim. 5. 23.
Luc. 1. 15.

Exod. 32. 6.
1. Cor. 10. 7.
Semper ebri-
tati juncta
luxuria.

Ebrius de
somno exoi-
tatus, nec vi-
vus nec mor-
uus est.
Ebrietas, vo-
luntarius
daemon.

Brutis pejor.
res ebriosi.

crapula. Vino hominis sensus evertitur: pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur. Unde Apostolus clamitat: Et vinum in quo est luxuria. Habet unusquisque suae sententiae potestatem: Ego Apostolum sequor, in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem. Ebrietatem autem et luxuriam, inter carnis opera numerari, nec ille potest negare, qui eisdem passionibus vincitur. Et licet me quidam in eo libro, quem de servanda virginitate scripsi, reprehendendum putent, quod dixerim, adolescentulas ita vinum debere fugere, ut venenum, non me sententiae poenitebit: opus quippe ibi magis vini, quam Dei a nobis creatura damnata est: et licentiam tulimus virgini proprio aetatis calore ferventi, ne sub occasione parum bibendi, plus biberet et periret; alioquin sciebamus et in Christi sanguinem vinum consecrari, et Timotheo vinum, ut biberet, imperatum. Ebrietas autem tam ex vino, quam ex caeteris bibendi generibus, quae vario modo conficiuntur, potest accidere: ex quo et de sancto dicitur: Vinum et siceram non bibet. Sicera interpretatur ebrietas. Et ne quis vinum non bibens, aliud sibi putaret bibendum: exclusa causatio est, dum omne, quod inebriare potest, cum vino pariter aufertur. Quinta decima, quae est extrema inter carnis opera, comessatio est. Manducavit quippe populus et bibit, et surrlexerunt ludere. Semper ebrietati juncta luxuria est. Pulchre quidam non ignobilis orator, cum ebrius de somno describeret excitatum, ait: Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat. Qua sententia expressit, quodammodo nec mortuum eum fuisse, nec vivum.

1. B. BASILIUS Magnus homilia 14. in ebrietatem et luxuriam: Ebrietas daemon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam exstinguit. Sicut enim aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationem suppressit. Qua in re, dio homo miser, a-brutis differs? Nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditor accepisti, reliquae creaturae omnis factus dominus et imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis videri. Nec solum eo peiores brutis, quod mente insani aut ebrii, sed etiam quod sensibus longe infra illa deficere videantur. Quod quaeso animal ita visu audituve atque ebrius homo, debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis vero saepe ut domesti-

cis congregantur? An non umbras saepe numero tanquam sulcos aut loca praerupta transiliunt? Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: terra interdum insurgere, ac in arduum ac rectum erigi, montes vero circummoventur videntur? Quandoque ab re et praeter modum rident: nunc vero sine consolationis remedio plorant, nunc item audaces et temerarii, mox timidi et ignavi. Lymphatus et malo daemone captus, misericordia quidem dignus: ebrius vero eadem fere et ipse patiens, minime misericordia dignus, qui spontaneo servit daemoni. Quis est, qui maledictionem Cain in se ipsum transfert? An non qui vino tremit et vacillat per omnem vitam? Naturali namque firmitate deficiente, necesse est corpus continuo vacillet atque moveatur. Cum potatione procedente eo veniunt, ut de augenda hac insania certent, et de ebrietate per ambitionem contendant: cujus auctorem legis, diabolum habent: victoriae vero praemium, peccatum. Nam qui plus hauserit meri, is prae caeteris laudatur, is victoriam refert. Atque ita gloria in ignominia illorum est. Inter se namque contendunt, et ut in iudicio aliquo defensitant. Ebrietas itaque rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quae, sunt ebrii, quam gentium idola? Oculos habent, et non vident: aures habent, et non audiunt: manus paralyti affectas habent, pedes infirmos ac facile offendentes.

Maledictionem Cain in se transferrunt.

Legis ebriosorum auctor diabolus.

Ebrietatis malum.

Ebrii sunt velut idola gentium.

2. AUGUSTINUS sermone 231. de tempore: Cum fratres carissimi, ebrietatis malum sit grave vitium et Deo odibile, ita per universum mundum a pluribus in consuetudinem missum est, ut ab illis, qui Dei praecepta cognoscere nolunt, jam nec putetur nec credatur esse peccatum, in tantum, ut in conviviis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, et per inimicam amicitiam adjurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant, quam oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus, quam opus est, bibendo inebriet: minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. Et omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Quod enim in paludibus nascatur, non ignorat caritas vestra: totum, quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugae: nascuntur ibi ranae et diversa genera vermium, quae magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. Ista enim herbae vel arbores, quae aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent,

Propter consuetudinem putatur ebrietas non esse peccatum.

Cogentes ad nimium potum.

Ebriosi paludibus comparantur.

nihil utilitatis habere videntur, in tantum, ut in annis singulis incendio concrementur. Videte, quod de ebrietate nascitur, igni praeparatur. Tales sunt, sicut jam dixi, omnes ebriosi, quorum prandia ducuntur usque ad noctem, quorum coenas lucifer videt, qui stare non possunt, etiam cum videntur esse jejuni, quorum sensus tardi, graves, obtusi, et quodammodo jam sepulti. Denique in ipsa frequenter ebrietate nec se ipsos, nec alios recognoscunt, nec ambulare valent, nec stare: dicere aliquid vel audire, quod ad rationem pertineat, omnino non possunt.

Ebriosi quales sint.

Mensuras sine mensura bibere.

Fructus ebrietatis.

Prov. 23. 20.

Excusationes ebriosorum.

Nemo ad bibendum cogendus.

Nota.

Matth. 25, 40.

Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, et ad mensuras sine mensura bibere. Majora enim pocula providentur, certa bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites et rixae nascuntur, inde diversis et horrendis saltationibus membra torquentur, inde adulteria et nonnunquam homicidia perpetrantur. Et quoties nimium potum accipiunt, tanquam in paralysim resoluti, dum suis pedibus ambulare non possunt, foedissima latera aliorum manibus portantur ad lectum. Et est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio et dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, animae ac mentis stupor. In talibus impletur, quod scriptum est: Cui vae? cui tumultus? cui irae? cui rixae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino, et eis, qui investigant, ubi potus fiunt, et student calicibus epotandis? Sed illi, qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si, quoties illum ad convivium vocaero, potum ei, quantum voluerit ipse, non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui et tuus et suus est inimicus. Si et te et alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si justum sit, ut te a Deo separet, dum te ebrioso conjungis. Ad extremum tu eum noli adjurare, noli cogere, sed in potestate illius dimitte, ut, quantum sibi placuerit, bibat, et si se inebriare voluerit, vel solus pereat, et non ambo pereatis. O infelicitas generis humani, quam multi inveniantur, qui ebriosos et luxuriosos amplius quam oportet, cogunt bibere, et ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare: nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit: Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Sed qui tales sunt, quando

alios in nimio potu sepehant, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade, vade in ante, et dabit tibi Deus: et utique dum ambulaverit homo, ei daturus est. Quid est ergo, quod dicit: Vade in ante, et dabit tibi Deus, nisi: Vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? Ac sic ore suo ipse confitetur apud se, Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus. Rogo, fratres carissimi, diligenter attendite et videte, quia quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiam si supra aquam diutius teneantur, repleta siti, bibere nolunt omnino, nec possunt. Considerent ebrii, si non pejores animalibus iudicandi sunt. Cum enim animalia amplius, quam eis opus est, bibere nolunt, illi et duplum et triplum, quam eis expedit, potum accipiunt. Et unde trium aut quatuor dierum refectionem potuerant rationabilem habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius, quam expendere, propter invidiam aut ebrietatem: atque utinam potum tantummodo perderent, et non etiam ipsi perirent. Et nonnullis interjectis scripturae testimoniis, ait: Ipsi, qui contra coalumniam et amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera a nobis voce audiant, quia quicumque ebrios poenitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in aeternum profecto peribit, quia non mentitur Spiritus sanctus, per Apostolum dicens: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Et ideo quicumque sunt ebriosi, melius faciunt, ut non nobis, sed sibi potius irascantur, et cum Dei adjutorio de luto faecis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus poenitendi est, festinent, quanta possunt celeritate, Deo auxiliante, consurgere, et totis animae viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant: Eripe me de luto, ut non inhaeream. Et illud: Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit poenitentia, et emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad caritatis vel sobrietatis lucem redire sine poenitentia non permittat. Sed hic ante omnia intelligere et scire debemus, quia non uno die efficiuntur homines ebriosi, sed cum paulatim adjurantibus et cogentibus crudelissimis inimicis potius, quam amicis, per singulos dies singulos sibi aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. At ubi hoc in usum miserint, ita

Animalia
bruta praefur-
runtur ebri-
osis.

Ebriosi ex-
cluduntur a
regno Dei, ni-
si resipiscant.

1. Cor. 6, 10.

Psal. 68, 15.
Ibidem.

Ebrietas
vitium us
paratur.

Consuetudo
potandi quo-
modo tollenda.

eos ipsius ardor ebrietatis occupat, ut illos semper sitire compellat. Sed qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit, ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui si semel totum, quod amplius accipichat, subtraxerit, ubi nimia siti coeperit exardescere, cum grandi amaritudine clamat et dicit: Malle se mori, quam sibi bibendi vel inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit, quod tolerabilius erat illi in carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ardorem nimium patiat, et de tam gravi malo, quod patitur, liberetur, sicut jam dictum est, per intervalla dierum sibi aliquid de nimietate potus subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat. Qui hoc ita, ut diximus, per partes subducere voluerit, et de ebrietate liberabitur, et illam intolerabilem poenam non patietur. Ergo, fratres carissimi, dum haec suggero, me absolvo apud Deum. Quicumque me audire contempserit, et ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo alios adjurare vel cogere voluerit, et pro se et pro illis in die iudicii reus erit.

3. IDEM Augustinus in sermone 252. de tempore:

Sobrios irridentium amentia.

Nota.

Illud vero, quale est, quod ipsi infelices ebriosi, quando se nimio vino ingurgitant, rident et vituperant eos, qui rationaliter hoc tantum, quod sufficit, bibere volunt, dicentes eis: Erubescite, et verecundia sit vobis, quare non potestis bibere, quantum nos? Dicunt enim eos non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum. Se dicant esse viros, qui in ebrietatis cloaca jacent: et illos non dicunt esse viros, qui honeste et sobrie stant. Jacent prostrati, et viri sunt: stant erecti, et viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur: et victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui et se et alios potest regere: et non irridetur, immo non plangitur ebriosus, qui nec se, nec alios potest agnoscere. Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit, ut amplius bibam, et in convivio regio non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis, ista praetendimus: et quod implere volumus, non potuisse nos dicimus. Nolle, in culpa est nostra, et non posse, praetenditur. Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso objicitur. Ipsi enim reges, et quicumque sunt alii potentes, quia Deo proprio et Christiani sunt, et prudentes, et sobrii, et toto

Excusatio ebrietati vacantium.

Psal. 140. 4.

Nota.

Responsio.

corde Deum timentes, si te viderent definisse, ut eis non acquiescas pro timore Dei inebriari, si tibi sub hora videantur irasci, postea vero te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes: Quantum cum illo egimus, quantis eum minis et terroribus fatigavimus, et tamen nunquam eum a sobrietate separare potuimus. Nam et Deus, qui te videt per ejus amorem inebriari non velle, ipse tibi gratiam illorum dabit, qui te, ut amplius biberes, videbantur hortari et cogere. Ille, qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio perseverare voluerit, et pro ipsa aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad martyrii gloriam reputabit. Et post pauca: Ideo, carissimi, tanta infelicitate se inebriant homines, quia putant ebrietatem, aut parvum, aut nullum peccatum esse. Sed pro ista ignorantia maxime sacerdotes in die judicii reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quae vel quanta mala de ebrietate nascuntur, assidue noluerint praedicare. Qui ergo credit ebrietatem esse parvum peccatum, si se non emendaverit, et pro ipsa ebrietate poenitentiam non egerit, cum adulteris et homicidis aeterna sine remedio illum poena cruciabit, secundum illud, quod ipsi bene nostis, beatum Apostolum praedicasse: Neque, inquit, fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Videte: ebriosos cum fornicatoribus et idolis servientibus, et masculorum concubitoribus et adulteris junxit.

Ignorantia ebrietati magnam causam praebet.

1. Cor. 6, 9.

4. CHRYSOSTOMUS in homilia contra luxum et crapulam: Eum, qui vivit in deliciis, et ebrietati deditus est, et parasitos alit, et adultores, et carniū voratione et vini potatione disrumpitur, saepe et invitum et sponte nevit peccant. ^{Ventri dediti, saepe invitum peccant.} cesse est peccare, et extra hujus loci tempus, et cum illinc recesserit. Nam sicut navis oneraria, quae supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine gravata submergitur: ita anima et corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quam ferat natura sua, impletur et injectorum gravitatem non amat, et in perditionis pelagus demergitur, et nautas et gubernatores, et eos, qui in prora, et alios navigantes, et ipsum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non praeparationis studium, non anni pars tempestiva, non aliud quidquam navi, quae sic in tempestate est, prodest: ita et delicatis evenit, neque cogitationum multitudo, neque

Navibus onerariis comparantur.

Ad omnia
sunt inutiles
et inepti.

Incommoda
animi et cor-
poris.

eruditio et admonitio, neque admonitiones et consilia, neque aliud quid, neque timor futurorum, neque pudor, neque accusatio praesentium, neque aliud quid salvare potest sic periclitantem animam: sed invalescit luxus et amentia per omnia: et sub aquas nolens volens eum, qui aegrotat, defert, et grave facit naufragium. Unde nihil facile, nihil ad futuram vitam et justificationes, quae alibi futurae, adfert. Sed qui talibus vacat, et ad praesentem vitam inutilis fit, ad nihil accommodus, et ubique ridiculus, tam in publicis quam in privatis rebus, et si in tumultu aliquid opus est fieri, non invenitur habere aliquid providentiae, vel gubernationis: ab omnibus inimicis capi potest, omnibus inutilis, amicis et accedentibus, et non solum periculis et obsidionibus facile potest rapi: non in tranquillitate solum eum audire, pavore non caret, sed et in arduis, ob immodestiam morum, se accedenti erit inutilis. Nam ipsum illic, in adversitatibus loquor, timor et effoeminatio, et metus immodicus, et consilii inopia apprehendunt: hic autem in prosperitate, audacia et ignominia et intemperantia et inflatio et arrogantia plus inutilem, quam superiora, efficiunt. Sane talium non solum corpora sic affecta, et injucundis et superfluis et foetidis undique plena sunt, ita ut tolerari nequeant, sed et anima corpore multo injucundior, multo majores quam illud morbos in se arripit ex deliciis. Nam sicut corpus non solum superfluitates emittit naturales, sed multo plures, et undique. Nam et oculi et aures et os gravedine, muco et corruptione, et his, quae intus generantur, lutulentis et impuris affectibus sunt plena: et ipsa natura carnis laxior fit, quam naturalis proportio: foetidaque et inutilis, et ad omne bonum opus inutilis. Etenim innatum perdit calorem: perdit autem et suas vires, et neque ad opus, neque ad suam generationem est accommoda. Hinc autem incurabilibus et difficillimis implicantur morbis, qui perpetuo in voluptate vivunt. Nam in tremoribus et palloribus, mirisque et pedum et manuum doloribus, et aliis pluribus, de quibus medici dicunt, irretibiles fiunt.

5. IDEM CHRYSOSTOMUS homilia 1. ad populum Antiochenum: Non simpliciter Apostolus Paulus dixit: Vino utere, sed: Vino modico: non quod hac admonitione et consilio Timotheus egeret, sed quod nos indigeremus. Idcirco ad illum scribens, nobis bibendi vini mensuram et terminos statuit, tantum bibere jubens, quantum valetu-

1. Tim. 5;
23.

Quantum bi-
bendum.

dinem adjuvet, quantum corpori sanitatem praebet, et non alterum morbum: non pauciores enim, quam continuatus aquae potus, sed multo plures et difficiliore animi et corporis morbos immodica vini parit potatio, passionum bellum, absurdarum cogitationum hiemem menti introducens, et corporis vim molliorem et solubiliorem efficiens. Non enim ita terrae natura vexata aquarum superabundantia continue dissolvitur, ut corporis vis mollescit, et diffluit, et exilis redditur vini potu continuo ingurgitata. Fugiamus igitur utrimque intemperantiam, tum corporis valetudinem curando, tum ipsius lascivias recidendo. Vinum enim a Deo datum est, non ut inebriemur, sed ut sobrii simus: ut delectemur, non ut doleamus. Vinum enim laetificat, Violentia quam malos fructus producat. Psal. 103. 15. inquit David, cor hominis: tu vero ipsum tristitiae materiam facis. Etenim animo gravato sunt supra modum ebrii, tenebris multis menti offusis. Medicina optima est, quando commensurationem habet optimam. Simpliciores nonnulli postquam aliquos prae ebrietate se deturpantes viderint, illos vituperare omittentes, fructum a Deo datum calumniantur, dicentes: Non sit vinum. Ipsi itaque dicamus: Non vinum, sed ebrietas damnanda. Non sit ebrietas. Vinum enim Dei, ebrietas autem diaboli opus est: non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conservi insaniam argue. Tu vero peccantem punire et corrigere omittens, benefactorem afficis contumelia. Cum igitur quosdam haec dicentes audierimus, obmutescere faciamus. Non enim usus, sed immodestia ebrietatem Immodestia ebrietatem facit. facit: ebrietatem, inquam, malorum omnium radicem. Vinum datum est; ut corporis imbecillitatem corroberet, non ut animi sanitatem exterminet. Noli igitur immoderate Dei munere utens, stultis et impudentioribus hominibus occasiones praebere. Quid enim ebrietate miserabilius? Mortuus est animatus: ebrius, daemon est voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Non enim in conventibus tantum inutilis ebrius, aut in privatis et publicis negotiis, sed etiam solo est adspectu omnium gravissimus, foetores exhalans teterrimos, eructationes, et oscitationes, et voces ebriorum insuaves atque molestae, eos, qui spectant et simul sunt, extremae abominationis implent. Et quod malorum caput est, caelum ebriis invisum hic morbus efficit, nec aeterna bona assequi permittit, sed post vitae hujus opprobrium, et illic tali morbo laborantes poena manet aeterna. Hanc igitur improbam consuetudinem recidamus, et Paulam audiamus dicentem: Vino modico utere. Etenim Quam turpis et miserabilis creatura sit ebrius. 1. Tim. 5.23. Temperantia

in cibo potuque servanda.

ipsum modicum propter infirmitatem permisit: quod nisi imbecillitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coëgisset. Necessarium enim est nobis, traditos cibos et potus temporibus et necessitatibus semper metiri: et nullatenus necessitatem excedere, neque imprudenter et temere quid facere oportet.

6. ISIDORUS libro II. de summo bono, capite 42.:

Prima est luxuriae materies saturitas papis: unde et Propheta Sodomam de satietate panis accusat, dicens:

Ezech. 16.
49.

Haec fuit iniquitas Sodomorum, superbia, saturitas panis, et abundantia aquae: Panem quippe Sodomitae immoderate

Gen. 19. 24.

sumentes, in turpitudines deluxere flagitiorum, atque inde meruerunt, comitante superbia, caelestibus aduri incendiis, ex quo modum non tenuerunt edacitatis. Utile est cavere gulam, ciborumque concupiscentiam. Quid enim tam noxium, quam ut animus serviat ventri et escae, quae sunt destruenda, testante Apostolo ac dicente: Deus autem

1. Cor. 6.
13.
Gula ad luxuriam provocat.

et hunc et hanc destruet. Proxima est ventri libido, sicut loco, sic vitio. Ubi enim ventris cura, ibi et eorum, quae circa ventrem sunt proxima. In ordine namque membrorum genitalia ventri junguntur. Dumque unum ex his immoderate reficitur, aliud ad luxuriam excitatur: Non ad luxuriam vel ad satietatem, sed tantummodo, ut corpus sustentetur, epulis est utendum. Nam ut Philosophi dixerunt, cibandus est venter, ut contineat animam, non ut corrumpat. Qui nimium cibis utuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. Nam

Acie[m] mentis obtundit.

Graeci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum ogni non posse. Nam gulae saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque hebescere facit. Libidinis ignes ciborum fomite increscunt. Corpus autem, quod abstinentia frangit, tentatio non exurit. Unde et tres pueros abstinentes, flamma Babylonii incendii, etsi tetigit, non combussit: quia nimirum etsi, desideriorum carnalium ignis abstinentium mentes inflamat usque ad consensum, tamen concupiscentiae vel operis, non exurit. Cui abundantia est epularum, ardentis di itis intendat supplicium, cujus tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic epularum fuerat copia. In hoc enim saeculo esurire et sitire noli: propterea illic inter flammam sitiens, stillam aquae quaesivit, nec meruit. Considerandum, quam vehementer arguantur commessatio et sumptuosa convivia. Nam per Prophetam comminatur Dominus, se non hanc relaxare iniquitatem his, qui eam libenter ambiunt. Dicit enim per Esaiam Prophe-

Dan. 3. 11.
91. 94.

Luc. 16. 10.
94.

Est. 22. 13.

tam: Ecce gaudium et laetitia occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Si dimittitur iniquitas haec vobis, donec moriamini. Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animae virtutes edacitatis vitio destruantur. Inde est, quod et princeps cocorum muros Hierusalem subvertit, quia et venter, cui servitur a cocis, virtutes animae destruit. Neque enim posse quempiam virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomaverit ingluviem. Nemo potest dominari caeteris vitiis, nisi prius ingluviem ventris restrinxerit. Nec quisquam facile poterit a semet ipso spiritus immundos expellere, nisi per abstinentiam gulae. Tunc enim hostes, qui extra nos sunt, a nobis fortius superantur, quando prius, quae intra nos sunt, vitia extinguuntur. Nam frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum. Non qualitatem ciborum, sed eorum cupiditatem cavendam. Nam saepe accuratius praeparata, sine gulae concupiscentia degustantur: et saepe abjecta et vilia edendi cupiditate sumuntur. Sicque fit, ut non sit in culpa ciborum qualitas, sed illud reputetur in vitio, quod cum desiderio degustatur. Quatuor sunt genera distinctionum in gulae appetitu, id est, quid, quando, quantum, et quo modo appetatur. Quid, ad rem ipsam pertinet, quae appetitur. Quando, si ante legitimum tempus quid appetatur. Quantum vero, ad immoderationem refertur. Quomodo, ad impatientiam festinationis adscribitur. Nullus homini tam importunus exactor est, quam venter, qui quotidianam refectionem, quotidiana famis exactione adimplet. Cum caeteris enim vitiis, etsi interdum nascimur, interdum tamen cum eis non morimur. Plerumque voluptas vescendi ita sub obtentu necessitatis subrepat, ut, dum putatur serviri necessitati, voluptatis desiderio serviatur: nec facile discernitur, utrum, quod accipiatur, gulae an indigentiae deputetur.

Omnes animae virtutes destruit. Jerem. 52, 14. iuxta LXX.

Non tam ciborum qualitas, quam cupiditas cavenda.

Quadruplex distinctio in appetitu gulae.

Nimum importunus exactor, venter est.

7. ET capite 43. libri ejusdem: Esca crapulam, potus ebrietatem generat. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut, ubi sit, nesciat. Unde etiam et malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. Verum est, quod juxta Prophetam, fornicatio et ebrietas aufert cor. Unde in proverbiiis: Potentes, inquit, qui iracundi sunt, vinum non bibant, ne, cum hiberint, obliviscantur sapientiam. Plerisque laus est, multum bibere, et non inebriari. Audiant hi adversum se dicentem Prophe-

Ebrietas fructus.

Osee 4. 11. Prov. 31. 7.

Multum bi-

here nec tam inebriari. **Esai. 5. 22.** **Ibidem, 11.** **Eccles. 10. 16.** **Consuetudo belluina.** **Joel. 1. 5.** **1. Tim. 5. 23.** **Num. 6. 3.** **Luxuriam gignit vinum et sicera.**

tam: **Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Vino multo deditos et luxuriose viventes Esaias sic arguit, dicens: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino aestuetis. De talibus et alio loco dicitur: Vae tibi civitas, cujus rex juvenis est, et cujus principes mane comedunt. Multi enim a mane usque ad solis occubitum ebrietati et gulae voluptatibus deserviunt, nec intelligunt, cur nati sunt, sed consuetudine belluina detenti, luxuriae tantum tota die epulisque inserviunt. Clamat Joel Propheta his, qui ebrietati deserviunt, dicens: Expergiscimini ebrii et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine. Quo testimonio non ait tantum: Flete omnes, qui bibitis vinum, ut bibere omnino non liceat, sed adjecit, in dulcedine: quod ad voluptuosam pertinet et prodigam effusionem. Nam quantum satis est necessitati, edocet Timotheum bibere Apostolus, dicens: Vino modico utere. Non solum ex vino inebriantur homines, sed etiam ex caeteris potandi generibus, quae vario modo conficiuntur. Unde et Nazaraeis, qui se sanctificabant Domino, praeceptum est: Vinum et siceram non bibere. Utraque enim statum mentis evertunt, et ebrios faciunt: luxuriam quoque carnis utraque aequaliter gignunt. Quidam continentibus sicut panem cum pondere edunt, ita et aquam cum mensura sumunt, asserentes ad castimoniam carnis etiam aquae abstinentiam convenire.**

8. AMBROSIUS in libro de Helia et jejunio, capite 12.: Sicut mater fidei, continentia: ita perfidiae mater, ebrietas est. In quod facinus non ista praecipitat? Sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus et potestatibus judicant, immo regnare sibi videntur, et exercitiis imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates aedificant, qui non habent, unde cauponi potus sui pretium solvant. Fervet enim vinum in his, et nesciunt, quid loquantur. Divites sunt, dum inebriantur: mox ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Uno die bibunt multorum dierum labores. De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, et ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam fortes sibi homines videntur in vino, quam sapientes, quam disertis, quam etiam pulchri ac decori, cum stare non pos-

Perfidiae mater ebrietas. **Ebriorum fatuitas.**

sint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor et sanguis ora suffundit. Foetor ebrietatis horrore fit. Barbari in ferum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vini lacrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet enim hoc temulentia, ut et molliat, et resolvat corda temulentorum. Sicut enim ignis probat ferrum durum, ita et vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit. Omnes sibi in vino aequales videntur, nullus inferior. Non pauper diviti cedit, utpote quia pauperem se esse nescit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cum bibunt, illum regem habent, qui bibendo superaverit viros. Meritoque scriptum est: Aequalis vita hominibus, vinum in ebrietate. Sed utinam et quod sequitur, audires: Bibas illud moderate, ut sis sobrius. Non habes, quod accuses vinum: in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Exultatio animae et cordis est, si illud moderate bibas. Immoderatio autem potus, in iracundiam concitat, et ruinas multas efficit. Sed forte dicas, has esse potationes vulgarium et levissimorum hominum. Veniamus ergo ad horum potentium et fortissimorum convivium.

9. CAPITE 13.: Primo minoribus poculis velut velitari pugna praeluditur. Verum haec non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina. Etenim ut tragoediarum actores primo sensim vocem excitant, donec vivae vocis aperiant iter, ut postea magis possint clamoribus personare: ita isti quoque in principio praelusorii se exercent poculis, ut irritent sitim, ne forte restinguant eam, et satiati postea, bibere non possint. Ergo ubi res calere coeperit, poscunt majoribus poculis, fervor inardescit. Aridus cibi siti exaestuat, et ubi imminui vasa coeperint, potu meraciore reparantur. Certant pocula cum ferculis, et inter moras saepe geminantur. Deinde procedente potu longius contentiones diversae, et magna certamina, quis bibendo praecellat. Nota gravis, si quis se excuset, si quis temperandum forte vinum putet. Et haec, donec ad mensas perveniatur secundas. At ubi consummatae fuerint epulae, putes jam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum, et cum consummaverint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialae, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas,

Eccl. 31, 35.
juxta LXX.
aut aliam
versionem.

Comptorum
consuetudo.

Certamen
conbibonum.

victoriae praemium culpa: pendet anceps diu et dubius belli eventus. Furor enim illic est pracliaris. Et in fine: Quos mane insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem vesperi, cernas etiam a puerulis rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso juventutis flore arentes.

Reprehensio
eorum, qui
invitant alios
ad potum ac
cibum immo-
deratum

10. RURSUM capite 14.: Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem. Invitas ad prandium, efferre vis ad sepulcrum. Cibos promittis, tormenta irrogas. Vina praetendis, venena suffundis. Omne enim, quidquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Etiam major vis vini, quam veneni est. Denique venenum vino excluditur, non veneno vinum. Merito Dens per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparavit, dicens: Furor draconum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis. Et pulchre additur, insanabilis. Multi enim reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ebrietate. Certe veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adjungit. Adverte etiam et perfidiae venenum, vini declaratum nomine. Ait enim supra de alienigenis, qui nescirent Deum: De vinea enim Sodomorum vinum eorum, et vitis eorum vitis Gomorrhae: uva eorum uva fellis, botrys amaritudinis in ipsis.

Deut. 32, 55.

Ebrietas animo et corpori nocet.

Ibidem, 32.

11. CAPITE 16.: Sudant vino corpora temulentorum: si levius ea tetigeris, exprimis vinum. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniae, ebrietas venenum insipientiae. Haec sensus hominum mutat et formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, et praeter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, et in bestiales libidines excitantur, ut nullum tempus praescriptum habeant, quod deceat indulgere concubitu. Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi gravis poena, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas opulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Nam eadem Dominus per Hieremiam locutus est, dicens: Bibite et inebriamini, et vomite, et cadetis, et non consurgetis. Hinc etiam vanae imagines, incerti visus, instabilis gressus, umbras saepe transiliunt sicut foveas. Nutat his cum facie terra, subito erigi et inclinari videtur, et quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, et solum manibus apprehendunt, aut

Ebrietas detestatio, et quantum detrimenti adferat.

Hierem. 25, 27.

concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, et resonantia fluctu litora. Canes, si viderint, leones arbitrantur, et fugiunt. Alii risu solvuntur incondito, alii inconsolabili moerore deplorant, alii cernunt irrationabiles pavores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est; somnus his mors est: excitari nullis vocibus possunt, quantolibet stimulando impulsu petas; nisi respuerint, evigilare non possunt. Unde bene Hieremias hujusmodi hominem tanquam superfluum creaturam delendum putat. Quid est homo ebrius, nisi superflua creatura?

Homo ebrius nihil aliud quam superflua creatura.

12. CAPITALE 18.: Sed quid de viris loquamur, quando etiam foeminae, quas oportet sollicitiorem castitatis sobrietatisque adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non convenit vel videri, prodire audent in publicum non velato capite, vultu procaci. Apostolus mulieres tacere etiam in Ecclesia jubet, domi viros suos praecepit interrogare. Illae in plateis inverecundo viris sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, scissae amictus, nudae lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se juvenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, et fit miserabile theatrum. Inter saltantium lapsus oculo impuro, et contaminato adspectu, terra turpi saltatione polluitur, quae obscoeniscantibus verberatur.

De foeminis temulentis.

1. Cor. 14, 34.
1. Tim. 2, 9.
sq.

Terra turpi saltatione polluitur.

1. C. BURCHARDUS Wormatiensis Episcopus libro XIV. decretorum, instituit tractationem de crapula et ebrietate, et ex canonibus, patrumque ac pontificum sententiis ostendit, quae poena injungenda sit iis, qui illis vitiis implicentur. Atque inter reliqua hunc adfert canonem ex poenitentiali Theodori: Sacerdos quilibet, si inebrietur per ignorantiam, septem dies poeniteat in pane et aqua: si per negligentiam, quindecim dies: si per contemptum, quadraginta dies. Diaconus vel monachus, secundum ordinem, ut scriptum est, ceu et reliqui clerici, et ministri juxta ordinem, judicio sacerdotis poeniteant. Laici velut vota non habentes, si inebriantur, arguantur a sacerdote, quod ebriosi regnum Dei non possidebunt, et interitus sit ebrietas: et compellat eos poenitere. Qui cogit hominem, ut inebrietur humanitatis gratia, acerrime corripiatur, et septem dies poeniteat: si per contemptum, triginta dies. Nul-

Poenitentia eorum, qui se inebriant.

1. Cor. 6, 10.
Poenitentia eorum, qui alios ad ebrietatem cogunt.

lus Christianus alium Christianum plus bibere cogat, quam naturae sufficiat. Quod si fecerit, juxta id, quod in poenitentiali habetur, poeniteat. ET ejusdem libri capite 13.

Vomentes ex ebrietate.

ex poenitentiali Romano: Qui per ebrietatem vomitum facit, si presbyter aut diaconus est, quadraginta dies poeniteat. Si monachus, triginta dies poeniteat; si clericus, viginti dies; si laicus, quindecim dies. Item capite 14. ex poenitentiali Bedae: Laicus, si per ebrietatem vomitum facit, tres dies a carne et vino et cerevisia absteineat.

Alios inebriantes.

RURSUM capite 15. ex eodem: Si quis per nequitiam alium inebriat, quadraginta dies poeniteat. Quod si in consuetudine habuerit, communione privetur, donec digne poeniteat, et emendationem promittat.

2. IVO Episcopus Carnotensis XIII. parte decretorum, a capite 69. usque ad 86., habet omnia, quae Burcharthus in libro 14.: et quae ex eo ante adducta sunt, apud Ivonem capite 76, 81, 82 et 83. reperiuntur.

3. HIERONYMUS in caput I. epistolae ad Titum: Quale est autem, Episcopum videri vinolentum, ut sensu occupato vel exaltet risum contra gravitatis decorem, et labiis dissolutis cachinnet, vel si paululum tristis, cujusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat et lacrymas? Longum est ire per singula, et insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jacere convivae, alios scissis vestibibus in vulnera aliena prouere, alios clamare, alios dormitare; qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adjuratum per regem frequentius non bibisse. Vomunt, ut bibant; bibunt, ut vomant. Digestio ventris et guttur uno occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quod, secundum Apostolum, in vino luxuria est. Et ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta ventrem et genitalia: pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum.

Quas insanias ebrietas suggerat.

Ephes. 5. 28.

Ebrius nunquam castus.

Vinolentia scurrarum est. Luxuriam parit.

Qui inebriatur, mortuus

4. IDEM in epistola 83. ad Oceanum: Vinolentia scurrarum est, et commessorum, venterque mero aestuans, cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: ergo qui inebriatur, et mortuus et sepultus est. Noë ad unius horae ebrietatem nudat femora sua, quae per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth

per temulentiam nesciens libidini miscet incestum: et quem et sepultus est.
Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Gen. 9, 21 et 19, 33.

5. AMBROSIUS libro I. de poenitentia, capite 14.: Pascitur li- bido convi- viis.
Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur. Graviora sunt his fomenta verborum. Pascitur li- bido convi- viis.
Ubi caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat.

VIII.

Quid est ira, et quae soboles ex illa nascitur?

A. Ira est immoderata cupiditas puniendi ejus, a quo laesum se quis arbitratur. ¹Nascuntur ex illa detestandae filiae, rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio atque blasphemia.

¹ Gregor. lib. 31. moral. cap. 51. Proverb. 20, 22. Job, 15, 1—16. Eccl. 19, 28. Ephes. 4, 31. 32.

B. Est ² hoc animi virus perniciosum, omnem judicii prudentiaeque vigorem, et animi saepeque corporis sanitatem labefactans. Quare monuit Ecclesiastes: ³ *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. Et gentium doctor praecepit: ⁴ Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. Caeterum adversus iracundos, contentiosos, contumeliosos jam lata est Christi sententia, valdeque metuenda illa: ⁵ Omnis, qui*

² Lege Basil. in hom. 10. de ira. Chrysost. ad pop. homil. 29. et sepe in quentibus. Item hom. 6. in acta. 4. et 18. in Matth. Greg. lib. 5. Moral. cap. 30. et sequent.

³ Eccl. 7, 10. Eccl. 8, 10. 28, 1—20. 30, 20. Prov. 12, 16. 15, 1. 18, 6. 14, 22. 24, 20. 21. 27, 3. 4. Job. 5, 2. Psalm. 4, 5 et 30, 10. ⁴ Ephes. 4, 31. 32. Col. 3, 8—13. Bernard. ser. 13. in psal.: Qui habitat. Ambr. lib. 1. off. cap. 21. Aug. in Psal. 4. Item lib. de vera rel. cap. 45. epist. 87. et 140. Greg. lib. 8. epist. 51. ad Leont. et p. 3. curae past. admonit. 17.

⁵ Matth. 5, 22. Greg. lib. 21. Moral. cap. 5. Ab-

gust. lib. 1. de orat Do.
mini in monte cap. 19.
in Enchirid. cap. 79.

*irascitur fratri suo, reus erit iudicio:
Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus
erit concilio: Qui autem dixerit, fatue,
reus erit gehennae ignis.*

S C R I P T U R A E.

Proverb. XXIX.: Vir iracundus provocat rixas: et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

Job. XV.: Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum? Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus? Numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia? Quid nosti, quod ignoremus? quid intelligis, quod nesciamus? Et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam Patres tui. Numquid grande est, ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones? Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et coeli non sunt mundi in conspectu ejus. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem etc.

Ecccl. XIX.: Est correptio mendax in ira contumeliosi: et est iudicium, quod non probatur esse bonum: et est tacens, et ipse est prudens. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.

Ephes. IV.: Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemias tollatur a vobis cum omni malitia.

Ecc. VII.: Melior est patiens arrogante. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

Ecc. VIII.: Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, et ubi non est adiutorium, eludet te.

Et cap. XXVIII.: Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? ipse dum caro sit, reservat iram: et propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari. Tabitudo enim et mors imminent in mandatis ejus. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamentum altissimi, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata; homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Secundum enim ligna silvae, sic ignis exardescit: et secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit: et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendit ignem: et lis festinans effundit sanguinem: et lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit: et si expueris super illam, exstinguetur: utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem: civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis: qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.

Item cap. XXX.: Zelus et iracundia minuunt dies.

Prov. XII.: Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

Et cap. XV.: Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem, Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

Rursum cap. XVIII.: Labia stulti miscent se rixis, et os ejus jurgia provocat. Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?

Item cap. XXII.: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae.

Iterum cap. XXVI.: Sicut carbonem ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas.

Et cap. XXVII.: Grave est saxum, et onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Job. V.: Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.

Psalm. IV.: Irascimini, et nolite peccare.

Et XXX.: Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.

Coloss. III.: Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos etc.

Matth. V.: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, ut in textu. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante

altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.

P A T R E S.

A. GREGORIUS libro I. *Moralium*, capite 31.: De ira rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, blasphemiae proferuntur.

1. B. BASILIUS Magnus in homilia de ira, quae est decima inter homilias variorum argumentorum: Quando ^{Hominem ira in feram convertit.} semel irae perturbatio mentem praecipitans, imperium animae sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item et furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, insiliunt, rabie ut canes afficiuntur, punguntur ut scorpium, mordent ut serpentes. Novit et scriptura eos, qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus sese ob perversitatem similes ac familiares reddiderunt. Nam et canes et serpentes et genimina viperarum, et his similia nominat. Qui enim ad mutua inter se ejusdem generis parati sunt inferenda incommoda, jure feris ac venenatis adscribi possunt, quibus ex natura continuum adversus homines odium est. Effraenes linguae, ora in custodita, incontinentes manus, ^{Irae fructus.} contumeliae, probra, accusationes, verbera, et alia ejusmodi, quaecumque quis enumerare poterit, irae sunt ac furoris fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturae obliviscuntur. Sed et ante omnia se ipsos haud agnoscunt irati, deinde neque quotquot habent necessarios. Quemadmodum enim torrentes ad curva loca decurrentes, secum obvia quaeque trahunt: sic et iratorum impetus violenti et instabiles, omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vitae virtus, non generis propinquitas, non acceptae jam gratiae, non denique quidquid aliud, quamvis aestimandum, in honore est. ^{Momentanea insania.} Momentanea quaedam insania est ira. Quin et maximum se in malum saepius conjiciunt, et studio vindicandi, se ipsos negligunt. Eorum namque memoria, quibus laesi sunt, velut oestro quodam incitati, et animo exacerbato atque aestuanti, non prius desinunt, quam incommodum aliquod infestanti infligant: vel ipsi (si id contingat) accipiant: quemadmodum saepe evenit, ut, quae per

vim tentata sunt, plus accipiant incommodi, quam inferant. Quis enim in ea se mala conjiceret, quae ira fervidi homines, quavis occasione vociferantes et exasperati, subeunt atque tolerant? Nam et omni fera venenata impudentius ruunt, nec prius desistunt, quam aliquo malo magno et intolerabili, ira intumescente, aestuantem exsatient animum. Neque enim ensis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid, animam ira intumescens ac furentem satis compescere valebit: non magis quam a daemonibus detenti, a quibus irati nihil nec forma, neque animi affectu differunt. Nam iis, qui ad vindictam anhelant, ita quidem circum praecordia sanguis fervet, quasi vi ignis ebulliat et exaestuet. Superne vero accensa facie, alio aspectu visendum exhibet iratum, eam formam, quae omnibus consueta est et nota, quasi larva quadam, ut in scena fieri solet, prorsus immutans: oculi consueti non apparent, sed ignei micantesque, dentes acuunt, veluti sues grassantes: vultu sunt liventi sanguine suffuso. Oris tumore increbescente, venae ob turbati intra viscera spiritus angustiam disruptae. Vox aspera et intensa, sermo inconstans et confusus, ac temere cadens, nec concinne, nec significanter, ne ex parte quidem prolatus. Postquam vero ira sicut flamma, sicca materia succensa irritatos invasit, tunc nec sermone dicenda, neque referenda videre licet spectacula. Manus quidem erectas etiam adversus contribules, et per omnes corporis partes distractas, pedes extra omnem ordinem et ab re certatim discurrentes: demique partes corporis omnes, insaniae instrumenta factas. Si autem pariter aliquem exadverso concurrentem inveniant, iramque mutuum inter se exerceant, ea patiuntur, quae fas est eos pari, qui sub tali daemone contendunt ac certant. Membrorum mutilationes, vulnera, mortes praemium pugnae ferunt. Cepit qui primus, manibus injuriam intulit: alter ulciscitur: Hic instat, ille non cedit: corpus obiter vulneribus petitur. Ira vero facit, ut dolor et incommodum minime sentiantur. Non enim damna corporis aut sensum curant, cum omni studio et omnibus viribus sint animo ad ulciscendum commoti et excitati. Ne, fratres dilectissimi, malum malo curate, nea contendite invicem calamitate mutua vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longe gravior discedit. Ira certamen excitat, certamen vero convicium, convicium verbera, verbera demum vulnera, ex quibus et mortes saepe sequuntur. Ille maledixit, tu benedicas. Verberavit, tu patere. Exspuit, ni-

A daemone
bus vix irati
differunt.

Irae homi-
bus quomodo
resistendum,
et adversus
iram reme-
dia.

lilique te existimavit, tu cogita, quomodo ex terra es, et in terram reverteris. His namque modis atque rationibus te confirmans, longe leviora, quam re vera sint, invenies tibi adversarii facta jurgiaque. Sic etiam talionem illi securus reddes ostendesque, quam sis contumeliis invulnerabilis, ac praeclaram tibi patientiae coronam comparabis, dum alterius insaniam, occasionem philosophiae ac tuorum feceris meritorum. Quam ob rem, si mihi credis, probra contumeliasque minime curabis; obscurum te et inglorium vocavit, nulliusque aestimationis? terram te ac cinerem esse dicas. Nec tu melior es patre nostro Abraham, qui se eadem vocavit: ignarum, pauperem, ignobilem nominavit? tu verum te dicas, et e stercore genus ducere, verba David memorans. His etiam Mosis decus adde. Ille ab Aaron et Maria verbis petitus probrosis, non ad Deum adversus illos interpellavit, sed pro eis oravit. Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus? beatorum hominum et Deo gratorum, an eorum, qui spiritu referti sunt maligno? Quando enim verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhaereas, seu per iram in adversarii partes inclines. Da tempus cogitationibus, ad optimam eligendi partem opportunum. Nam e duobus alterum procul dubio consequeris, aut inimicum tuae mansuetudinis exemplo munitiorem reddes: vel certe, si despereris, acrius illum vindicabis. Si enim malum est ira, cur malum id non evitas? Si venia dignum, cur irato succenses? Ex quo si secundus venisti ad iram, nihil te hoc juvabit. Non enim in certaminibus palæstram prius provocans, sed qui superat, coronatur. Quam ob rem non solum is, qui facinus aliquod grave prius tentaverit, sed qui mali ducis ad scelus exemplum fuerit imitatus, omnino mulctatur. Si enim te pauperem vere appellat, verum respuere nequaquam debes. Si mentitur, quid ad te dicti vanitas? Sicut enim ad laudes tuas, si veritatem excedunt, efferrī non debes: ita nec ad probra in te non vere jactata minime dolere. Nonne vides, quemadmodum sagittae, si duriora offendant, resultant ac excidunt, in mollibus vero et obedientibus facile figuntur: ita et in contumeliis evenit: qui eis occurrit ac resistere quaerit, illas in se recipit; qui autem mansuetudine ac patientia armatus ad eas excipiendas se praeparaverit, omnino excutiet ac evitabit. Quid, miser, angeris pauperis appellatione? Reminiscere, quod, quemadmodum nudus in mundum venisti, nudus etiam egressurus es. Quid enim nudo Job. 1, 21.

Gen. 18. 27.

Psal. 21, 7.
Num. 12, 2.
3. sq.

pauperius? Nihil profecto grave audisti, nisi tibi ipse, quae objecta sunt, agnoscas. Quis unquam ob paupertatem in carcerem ductus est? Nam egere, non turpe quidem aut aliquod probrum fuerit, sed paupertatem generose non ferre. Memor sis Domini nostri Jesu Christi, qui cum dives esset, nostri gratia egere voluit. Si vero et stultus et indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quae a Judaeis jactata sunt in veram sapientiam: Samaritanus es, et daemonium habes. Si enim contra haec maledicta irasceris, jam ea corroborasti. Quidnam est ira stultius? Si vero quietus et immobilis, persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cum re ipsa prudentiam modestiamque ostenderis. Alapa seu pugillo caesus es? expuit aliquis in faciem? Eadem et Dominus est passus. Nec enim ab expuentibus aut cedentibus faciem avertit. Calumniam pateris? et Dominus: Tua laceratur vestis? Et a Domino quoque vestis per vim extracta, et super eam missae sordes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imitationem pervenias. Talia igitur, et horum similia tibi succurrant, mentisque tuae impetum ac iram compescant. Similes namque praeparationes et animi dispositiones, morsus cordis et impulsus facile debebunt, et animi cogitationes in tranquillum statum deducunt. Quomodo igitur irae incommoda fugiamus? Si eam nullo modo mentem rationemve occupare sinamus. Quam ob rem si forte in cogitationem veniat aut cadat, eam ita retineamus, ut equum jugalem nobis ratione, ut freno quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem, et via ingredientem, qua a mentis recto concilio dirigitur. Et paulo post: Ira, quando oportet et ut oportet, ex ratione dispensata, fortitudinem, patientiam ac constantiam parit; praeter vero rectam rationem tractata, furor et insania efficitur. Idcirco nos Psalmus admonet: Irascimini, et nolite peccare. Ipse namque Dominus in Evangelio illum, qui temere fratri iratus fuerit, reum judicii facit. Illum vero, qui tanquam pharmaco ad ea, quae oportet, ira utitur, minime condemnat. Dicitur namque: Ponam inimicitiam inter te et serpentem. Et rursus: Hostes sitis Madianitis. Docentis verba sunt, ut ira veluti armis utamur. Ideo Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in caedem fratrum armavit. Unusquisque, inquit, vestrum, gladium ad latus teneat, et transite a porta in portam, et flectite per circuitum castrorum, et suum quis-

Luc. 2, 7.
2. Cor. 8, 9.

Joan. 8, 48.
Nihil ira
stultius.

Matth. 26, 67.
Esa. 50, 6.

Matth. 27, 28.
31 35.
Joann. 19, 24.

Irae incom-
moda quo-
modo vitari
queant.

Ira freno
rectae ratio-
nis gubernata
laudabilis
est.

Psal. 4, 5.
Matth. 5, 22.

Gen. 3, 15.
Num. 31, 5.
Ira veluti ar-
mis usi sunt
Sancti.
Exod. 32, 27.

que fratrem interimat, et quilibet proximum suum. Et paulo post Moyses ait: Vestras hodie manus Deo consecratis, quilibet in filio suo, et fratre suo, ut detur vobis benedictio. Quid Phinees justum reddidit? Nonne justa contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac mansuetus exi-^{Num. 25, 5.} stens, postquam stuprum Zambri et scorti Madianitis palam in populo vidit, adeoque impudenter admissum, ut nec tam turpe spectaculum occultari vellent: minime tam indignum facinus passus, ira, ut oportebat, usus, protinus utrumque trucidavit. Samuel autem Agag regem Amalech, a Saule contra mandatum Domini servatum, nonne justa^{1. Reg. 15.33.} ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira saepe numero bonarum actionum ministra. Helias vero zelotes^{Bonarum actionum ministra nonnunquam est ira. 3. Reg. 18.40.} quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, et quadringentos viros sacrorum nemorum, comedentes de mensa Jezabel, justa sapientique indignatione, in totius Israel utilitatem, ut morte multarentur, effecit. Tu autem fratri tuo sine causa irasceris. Quomodo autem sine causa? Cum sit alius, qui instigat daemon, et alius, qui instigatur homo, cui tu maledicis: simile quiddam canibus admittens, qui saxa mordere solent, quando jactantes attingere non valent. Instigatus enim ac incitatus, misericordia profecto dignus est. Qui vero incitat, odio maximo est insectandus. In hunc igitur iram transfer hominum interfectorem, mendacii patrem, peccati ministrum. Fratrem vero in te peccantem miserebere. Nam si in peccato usque ad extremum durabit, cum ipso daemone aeterno tradetur igni. Et iterum post pauca: Si ex Dominico praecepto omnium ultimus esse assueveris, quonam modo maledictis praeter dignitatem provocatus, aegre ferre aut respondere poteris? Nam si parvus puer verbis te contumeliosis peteret, occasionem tibi potius ridendi daret. Quod si phrenesi captus et sensu excidens, verba incomposita et stulta minimeque vera dicat, misericordia potius quam odio dignus erit. Non igitur verba solent tristitiam movere, sed^{Non tam alterius verba, quam superbia nostra nos ad iram provocat.} superbia adversus eum, qui nos vituperat, et uniuscujusque de se ipso phantasia. Quod si horum alterutrum menti tuae exemeris, inanes quidam sonorum strepitus erunt, quae ab adversario dicuntur. Quam ob rem iram omnino sedabis indignationemque, ne iram illam, quae de caelo supra omnem impietatem et injustitiam hominum revelabitur, experiare. Si enim animo sapienti amaram indignationis radicem extirpare poteris, multa cum hoc principio perturbationum semina facile exstingues. Nam et dolus, et Filiae irae.

suspicio, et infidelitas, et malignitas, et insidiae, et audacia, et omnia his similia, hujus vitii germina sunt, atque appendices: Itaque fratres amantissimi, ne, obsecro, tantum nobis malum inducamus, animae morbum, rationis tenebras, a Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, daemonem pessimum nostris animis innatum, incolam quemdam impudentem, nostra interiora possidentem, denique sancti Spiritus iter ad nos impediens. Ubi inimicitiae sunt, contentiones, indignationes, sectae; nostris animabus perpetuos generantes tumultus, ibi spiritus mansuetudinis haud requiescit. Quam ob rem beati Pauli monitis obtemperantes, omnem a nobis indignationem ac clamorem cum omni malitia abjiciamus, ac invicem boni ac misericordes existamus, expectantes beatam spem mansuetis omnibus promissam.

Egregia descriptio irae.

Eph. 4, 31.

Matth. 5, 7.

2. CHRYSOSTOMUS homilia 21. ad populum Antiochenum. Nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil: sicut e contra nihil nescio irasci jucundius. Ferae potius quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam servat legem; hunc autem, quotiescunque mitigaveris, rursum efferatur, nisi quis in talem habitum ipsum induceret. Sicut enim dies clara et serena, et hyems multa plena tristitiae, itidem et irascentis animus, et mansueti. Quis tortor ita laniare latera poterat? quae ignita tela corpus ita perforarent? quis furor ex naturalibus ita sensibus excedere facit, sicut furor et irae consternatio? Novi multos ex ira morbos incurrisse, et febrium difficillimae praesertim hae sunt. Si vero ita corpora laeduntur, animas cogita: ne cogites enim, quod non vides, sed cogita, si malitiam suscipiens ita laeditur, quantum patiens patietur detrimentum. Multi oculos amiserunt, in gravissimum multi morbum inciderunt; generose quidem ferens omnia, facile sustinebit. Verum tamen talia tanquam gravia imperat, et horum nobis mercedem statuit gehennam, et diabolus est, et nostrae salutis inimicus, et magis huic, quam Christo, paremus, qui salvator est et benefactor et protector, et talia dicit, quae jucundiora sunt et honestiora, utilioraque ac magis expediunt, et nobis et necessariis nostris plurimum prosunt. Nil iracundia pejus, carissimi, nil ira intempestivius. Non opus est multa dilatione, acutus est morbus. Frequenter ex ira verbum aliquis emisit, ad cujus remedium totius indiget vitae: et aliquid commisit, quod omnem ipsius vitam subvertit. Hoc enim est difficile, quod

Homini iracundi vituperatio.

Ira corpus laedit, et animum.

Nihil iracundia pejus et intempestivius.

in brevi tempore, et per solam actionem, et per unum duntaxat verbum aeternis nos frequenter exclusit, et multos evacuavit labores. Itaque vos hortor, ut omnia faciatis, ut hanc feram cohibeatis. Pareamus itaque Deo, nec in barathra nos praecipitemus: sed dum tempus est, equum cohibeamus, ne scissorem subvertamus: irae amputemus alas, ne amplius malum in altitudinem extollatur. Acutum enim est ira vitium, acutum et efficax animas nostras furari, propterea passim oportet ei aditum obstruere; absurdum enim est, feras quidem mansuefacere posse, animam vero nostram insolescentem despiciere. Ignis est vehemens ira, omnia devorans; nam et corpus perdit, et animam corrumpit, et reddit insuavem, et in visu quemque turpissimum. Quod si furoris tempore posset irascens sibimet ipsi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim irascentis deformius adspectu. Ebrietas quaedam est ira, immo vero difficilior ebrietate, et daemone miserabilior: sed si modeste agere meditemur, optimam philosophiae viam inueniemus.

Ignis vehemens omnia devorans.

Daemone miserabilior.

3. ET homilia 30. ad populum Antiochenum: Non habitat Spiritus sanctus, ubi furor; maledictus iracundus. Nihil sani potest emanare, unde procedit ira. Sicut enim in maris tempestate multus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis philosophandi tempus habet: ita nec in ira. Vide daemonibus pressorum vultus, ebriorum et furentium: Quid inter se differunt? Nonne furoris totum est? Quid enim, si hoc ad tempus efficitur? Nam furens ad tempus premitur, hoc autem quid pejus, quod et se non confunduntur excusare? Nesciebam, inquit, quid dicerem. Et quare nesciebas hoc, cum sis homo rationalis? Rationem habens, irrationalium opera facis, tanquam effrenis equus furore correptus et impetu? Et excusatio quidem est accusatione digna. Utinam enim scisses, quae dicebas. Irae sunt, inquit, verba, non mea. Quomodo sunt illius? certe vires ira non habet, nisi sumat abs te: quale si quis dicat: manus sunt, non mea, vulnera. Ab hoc igitur daemone liberemur, eum corripiamus incipientem, sigillum pectori quasi quoddam frenum imponamus. Canis est impudens, ira; sed legem audire discat. Multo pejus pressis daemone sumus, qui peccamus, dispositi. Sed non spumamus, nec oculos contorquemus, nec manus. Utinam hoc in corpore pateremur, et non in anima. Vis tibi demonstrem animam spumantem et immundam? cogita irascentes et ebrios ex ira. Qua spuma non emittunt immundiora verba?

Intempesto mari et daemoniis comparantur iracundi.

Ira vires non habet, nisi eas a nobis arripiat.

Canis est impudens.

Daemoniacis comparantur

homines ex
ira ebrii.

Verè veluti foetidam salivam emanant, et sicut illi praesentium forunt neminem, ita nec hi, obtenebrata eis mente, et oculis conversis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non contemnendum, sed omnes similiter adspiciunt. Nonne vides eos trementes, sicut et illos? at non humi sternuntur. Sed eorum anima jacet humili, et palpitans cadit. Si namque recta stetisset, non passa fuisset ea, quae passa est. An non esse tibi videtur animae prostratae et propria spoliatae solertia, quae faciunt et dicunt ebrii ira? Est et alia furoris species difficilior. Qualis autem haec?

Iram in corde
amo reservantes.

Cum nec iram dimittere sustinent, sed proprium malum apud se nutriunt, mali memoriam quasi quemdam tortorem. Ipsos enim primos occidit mali recordatio, ut omittam futura. Quantum esse putas tormentum homini praecordia percusso, quotidie, qualiter inimicum ulciscatur, consideranti? Priorem semet ipsum punit et castigat, intra se ipsum tumens, adversus se pugnans et exardescens. Nam necesse semper est apud te ignem accensum esse. Et paulo post: Nec ad vesperam usque maneat, inquit Paulus: tanquam enim tabes quaedam et tinea mentis nostrae radicem corrodit. Quàm tuis visceribus feram includis? Satius est anguem vel viperam in corde tuo latere, quam iram et rancorem. Illa namque nos repente relinquunt, haec autem semper remanet, dentes infigans, infundens venenum, graves adducens cogitationes. Non est contemptibilem hominum, ab ira non vinci. Contemptibilem autem est, ita timere risum extrinsecus, ut propterea capiantur, et proprio succumbant vitio, et Deum offendant, seque ulciscantur.

Ephes. 4, 26.
Satius esset
serpentem in
corde latere.

Feris comparantur irascentes.

4. IDEM Chrysostomus homilia 31. ad populum Antiochenum: Bestiam, cum maxime efferatur, tunc fugimus omnes; sic et irascentem. Hocne honorem esse censes, quoniam et bestiam honoramus et furentes, cum declinamus? Nequaquam. Nota, magis haec est contumelia; immo vero neque nota, neque contumelia, sed misericordia et humanitas. Non cernis nautas, cum vehemens ventus spiraverit, vela demittentes, ne submergatur navigium? equos, cum in campum delati sessorem abripuerint, a sessore non retrahi, ne vires incassum exhauriat? Ignis est ira, flamma est velox, indigens materiae. Igni fomitem ne praebes, et statim malum exstinxeris. Non habet ex se fortitudinem ira, nisi sit alter, qui nutriat eam. Nulla tibi est excusatio. Ille furore tenetur, et nescit, quid agat; tu conspiciens eum, cum in eadem incideris, nec ex illo fue-

Ignis est ira.

Excusatione
carent iracundi.

ris correctus, quam veniam sperabis? Si quem in convivio constitutus ab initio videris ebrium, et turpiter agentem: nonne multo magis post illum inebriatus, venia fueris indignus? Itidem et hic, quam excusationem esse putamus, dicendo scilicet: Ego non coepi? Hoc contra nos est, quod nec illum conspicati, sumus correcti. Ut si quis diceret: Ego prius non interfeci; propterea namque puniri dignus es, quoniam nec exemplum intuitus, temet ipsum coërcuisti. Si videris vomentem ebrium distrahi, dissipari, oculos habere distentos, immunditia mensam implere, omnes eum fugere, et postmodum in eadem incidas; num eris magis odiosus? Talis est et irascens, immo vero vomentis venas intendit, oculos inflammat, distrahit intestina, verba multo illis immundiora cibus eructat, indigesta loquitur omnia, elaboratum nihil; non enim ira permittit, sed sicut illic humorum immoderatio stomachum vexans, ut plurimum omnia ejicit: itidem et hic immodicus fervor animam vexans, ea tegere, quae tacere bonum est, non permittit. Sed effabilia dicit, et ineffabilia, non audientes, sed se ipsum dedecorans. Sicut igitur a vomentibus fugimus, sic et ab irascentibus, pulverem eorum injiciamus vomito. Quid agentes? tacentes, canes vocemus, ut ipsa devorent vomita. Novi, quod audientes nauseam patimini; sed cum haec fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem super facto delectari. Cane sordidior est, contumeliosus gaudens, qui revertitur ad vomitum suum. Nam si, postquam semel evomuit, destitisset, non esset par illi; si vero rursum eadem vomit, manifestum est, quod eadem comedit. Quid itaque tali magis abominabile? Quid autem illo sordidius ore, quod tales cibos manducavit? Atqui hoc est opus naturae, illud vero minime: immo vero et hoc praeter naturam, et illud: Quomodo? Non enim secundum naturam est, temere contumeliam inferre, sed praeter naturam. Nihil igitur, ut homo loquitur, sed haec quidem ut fera, haec autem ut furens. Sicut enim corporum morbus est praeter naturam, similiter et hoc. Et quoniam praeter naturam est, si in eo moratur diu, paulatim moritur; in eo vero, quod juxta naturam est, diu commorans non perit. Mallet cum homine coenum edente mensam communicare, quam cum talia loquente. Non cernitis porcos stercus mandentes? sic et isti. Quid enim foetidius verbis, quae contumeliosi loquuntur. Studium eis est, nihil sanum eloqui, mundum nihil, sed si quid turpe, si quid deforme, hoc tam facere, quam dicere, et quod gra-

Vomentibus
comparan-
tur

Porcis com-
parantur.

vius est, alios se confundere putant, cum se ipsos dedecore magis afficiant.

Nihil insuavius iracundo.

Melius est cum bestiis habitare.

5. ITEM homilia 6. in acta Apostolorum: Nihil insuavius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius, nihil foediſ, quemadmodum scilicet nihil suavius est eo, qui nescit irasci. Melius est cohabitare bestiae, quam homini tali: nam illa quidem si semel cicuretur, servat suam legem: illum autem quoties placaveris, iterum exasperatur. Sibi enim habitum quemdam talem indidit semel. Quemadmodum enim dies candidus ac lucidus, et hyems plena conturbatione inter se multum distant, ita etiam iracundi ac mansueti animae. Sed nondum quae ab illis ad alios veniunt incommoda, sed solum quae sibi ipsis inferunt, audivimus. Quamvis et hoc non parvum damnum, alium damno affecisse. Verumtamen nunc hoc consideremus: Quis tortor etc, ut supra ex homil. XXIX. ad populum Antiochenum.

Ira velut bestia mitiganda et mansuofacienda.

Qualis bestia sit.

Corpori animoque nocet.

6. ET homilia 4. in Matthaicum: Ponamus, si placet, iram quoque bestiam esse quamdam: quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium commodatur, tantum tu erga iracundiam impende curam, et effice hujusmodi cogitationem mitem atque mansuetam. Siquidem haec fera et unguibus saevissimis armatur, et dentibus, et nisi illam sollicitate mansuefeceris, cuncta simul disperdet atque lacera bit. Nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia ferreis quibusdam unguibus universa confodiens. Neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animae sanitatem; cunctas siquidem ejus omnino vires discerpit ac devorat, eamque ad omnia inutilem facit. Si enim ii, qui vermes in interioribus corporis nutriunt, ne respirare quidem sinuntur, vexatis profecto adesisque visceribus, quomodo nos venenatam hanc in nobis alentes viperam, iram dico, quae omnia interiora hominis depascitur; quid unquam sanum aut forte poterimus cogitare aut parere?

Iracundi ut aegroti tractandi sunt.

Saevisimus daemon, mentis furor.

7. IDEM homilia 18. in Matthaicum: Medici quando injuriis et calcibus caeduntur furentum, tunc illorum magis magisque miserentur, tum maxime ad reddendam illis sanitatem parantur, scientes, quod excellentiam morbi significat ea injuria. Et tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam, sic tractes injurios. Illi namque sunt maxime aegroti, omnemque violentiam sustinentes. Libera eum a gravi isto dolore, et da operam, ut iram remittat. Libera eum a saevissimo daemone, propriae scilicet mentis fa-

rore. Nam et cum aliquos a daemone actos videmus, sæpe lacrymamur; non autem agimus, ut ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis servemus: illorum enim sunt similes iracundi, immo illis longe miseriores, qui utique sensibus adhuc integris insaniunt. Propter quod veniam non meretur istorum dementia. Noli igitur insultare jacenti, quin immo miserere. Etenim si videamus aliquem horribiliter a bile vexatum, et vertiginis suae tenebris obtectum, quique etiam malignum humorem urgeatur evomere, porrigimus manum, et supportamus huc illucque jactatum. Et si vestimenta ille nostra polluat, non aversamur, neque abjicimus aegrotum: sed illud tantummodo unum requirimus, quemadmodum a tam grandi hac eum angustia liberemus. Hoc igitur etiam erga illos faciamus, ut et supportemus vomentes, et confoveamus aegros: nec eos uspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem ponant: et tunc tibi gratiam, qui talis fuerit, exsolvet maximam. Quando enim ejusmodi aeger a passione requieverit, tunc liquido cognoscat, a quanta illum conturbatione sanaveris; et quid dico, ab illo tibi gratiam referendam? Deus te illico coronabit, et innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum gravissima aegritudine liberasti; sed etiam ille te honorabit ut dominum, modestiam tuam per cuncta miratus.

8. GREGORIUS Magnus libro V. *Moralium* in Job, capite 30.: Virum stultum interficit Iracundia, et parvulum occidit invidia. Sciendum nobis magnopere est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem conditoris redire conamur. Nam cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo scissamque perturbat, ut sibimet ipsi non congruat, ac vim intimae similitudinis amittat. ET capite 31.: Quanta ergo sit iracundiae culpa, pensemus, per quam, dum mansuetudo amittitur, supernae imaginis similitudo vitatur. Per iram sapientia perditur, ut quid quoque ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit: quia nimirum intelligentiae lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. Per iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est: Ira perdit etiam prudentes, quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Per iram justitia relinquitur, sicut scriptum est: Ira viri justitiam Dei non operatur: quia dum perturbata mens, iudicium suae rationis exasperat, omne, quod furor

Miseriores iracundi insani sunt.

Job 5, 2.

Irae refractio.

Quanta sit iracundiae culpa.

Sapientia perditur per iram
Eccl. 7, 10.

Justitia per eandem relinquitur.
Jacob 1, 20.

suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitae socialis amittitur, sicut scriptum est: Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae. Et idem: Quis poterit habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum? Quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est: Vir animosus parit rixas, et vir iracundus effundit peccata. Iracundus quippe peccata effundit, quia etiam malos, quos incaute ad discordiam provocat, pejores facit. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: Sol non occidat super iracundiam vestram, quia, cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suae cognitionis abscondit. Per iram sancti spiritus splendor excluditur, quo contra, juxta vetustam translationem, scriptum est: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos? Cum enim humilem diceret, quietem protinus adjunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto spiritui habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam irae suae stimulus accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequamquam recognoscuntur noti: Lingua quidem clamorem format, sed sensus, quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab abreptitiis longe est, qui actionis suae conscius non est? Unde fit plerumque, ut usque ad manus ira prosiliat, ut, quo ratio longius recedit, audacior exurgat, seque ipsum animus retinere non valet, quia factus est potestatis alienae, et eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet. Aliquando autem manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse perversus homo facere vel metuit, vel erubescit. Fitque ut voto et voce homicidium peragat, etiam cum a laesione proximi manibus cessat. Aliquando ira perturbato animo quasi ex judicio silentium indicit, et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, ut iratus quisque collocationem suam proximo subtrahat, et nil dicendo, quam sit aversus, dicat. Et nonnunquam hæc silentii severitas per disciplinae dispensationem geritur, si tamen sollicitè in intimis discretionis forma teneatur. Non-

Concordia
rumpitur.
Prov. 15, 18.

Lux veritatis
amittitur.
Eph. 4, 26.

Sancti spiri-
tus splendor
excluditur.
Esa. 66, 2.

Abreptitiis
iracundi si-
miles.

Ira aliquan-
do usque ad
manus prosili-
t.

Ira ad male-
dicta et im-
precationes
prosiliens.

Ira in corde
reclusa nec
extrinsecus
se proferens.

nunquam vero dum accensus animus a consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus a proximi dilectione separatur, et acriores stimuli ad mentem veniunt, causaeque, quae gravius exasperant, oriuntur, atque in irati oculo, festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per silentium clausa, intra mentem vehementius aestuat, et clamosas tacita voces format: verba sibi, quibus exasperetur, objicit: et quasi in causae examine posita, durius exasperata respondet, quod Salomon breviter insinuat, dicens: Praestolatio impiorum furor. Prov. 14. 25. Sicque fit, ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausa irae flamma consumat. Unde bene ante nos quidam sapiens dixit: Cogitationes iracundi, viperae sunt generationes: mentem comedant matrem suam. CAPITE 32.: Sciendum vero est, quod nonnullos ira citius accendit, facilius deserit. Nonnullos vero tarde quidem commovet, sed diutius tenet. Primum et secundum genus iracundium. Alii namque accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suae sonitus reddunt; citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favilla frigescent. Alii autem lignis gravioribus durioribusque non dispares, accensionem tarde suscipiunt, tamen accensi semel, difficilius extinguuntur; et quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem servant. Alii autem, Tertium et quartum. quod est nequius, et citius iracundiae flammam accipiunt, et tardius deponunt. Nonnulli vero has et tarde suscipiunt, et citius amittunt. In quibus nimirum quatuor modis hinc quido lector agnoscit, quia et ad tranquillitatis bonum ultimus plus quam primus appropinquat, et in malo secundum tertius superat. Sed quid prodest, quod iracundia, quomodo mentem teneat, dicimus, si non etiam, qualiter compesci debeat, exprimamus? Duobus enim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est, ut mens sollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenus redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se praeparet. Quae nimirum venientia tanto fortius excipit, quanto se cautius ex praescientia armavit. Qui enim improvidus ab adversitateprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminetia per sollicitudinem praenotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans expectat, et inde, ad victoriam valenter accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis

Comparatio istorum quatuor inter se.

Risariam ira comprimitur.

Secundus
modus,

Ira duplex,
alia bona, alia mala: si-
ve, ira per
vitium et ira
per æquum.

Psal. 4. 5.

Ecc. 7. 4.
Psal. 6. 8.

suae primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper haec cogitans, semper contra haec thorace patientiae munitus, et quidquid acciderit, providus superet, et quidquid non accesserit, lucrum putet. Secundus autem servandae mansuetudinis modus est, ut, cum alienos excessus adspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo saepe se recolit parcenda peccasse. ET capite 33.: Sed inter haec solerter sciendum est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justitiae format. Illa ex vitio, haec ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinae animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernae ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio aeterni rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur: Irascimini, et nolite peccare. Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus, volunt. Si enim sic proximis, ut nos, amare praecipimur, restat, ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis, irascamur. De hac per Salomonem dicitur: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. De hac iterum Psalmista ait: Turbatus est prae ira oculus meus. Ira quippe per vitium oculum mentis exaecat, ira autem per zelum turbat, quia, quum saltem recti aemulatione concutitur, ea, quae nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obscurat, ut altiora in commotione non videat, quae bene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta reducitur, unde ad tempus, ne videat, reverberatur. Nam ipsa recti aemulatio, aeterna post paululum in tranquillitate largius aperit, quae hic interim per commotionem claudit, et unde mens turbatur, ne videat, inde proficit, ut ad videndum verius clarescat, sicut infirmanti oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur; sed inde eam post paululum veraciter recipit: unde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam vero commotioni con-

templatio jungitur, nec praevalet mens perturbata conspiciere, ad quod vix tranquilla valet inhiare, quia nec solis radius cernitur, cum commotae nubes caeli faciem obducunt, nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillius proprie ostendit, quia, quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. Sed cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne haec eadem, quae instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina praeceat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit, et tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiae vitium virtutem putat. Unde necesse est, ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat, animositatem reprimat, et motus fervidos sub aequitate disponat, ut eo fiat justior ultra alienus, quo prius exstitit victor suus, quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse, qui corrigit, per patientiam crescat, ut fervorem suum transcendendo diducet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longe a rectitudine aberret. Quia vero, sicut diximus, etiam laudanda boni aemulatio mentis oculum turbat, recte nunc dicitur: Virum stultum interficit iracundia. Ac si aperte diceretur: Ira per zelum, sapientes turbat: ira vero per vitium stultos trucidat, quia illa sub ratione restringitur, haec vero irrationabiliter devictae menti dominatur.

Ira pedisse-
qua, non do-
mina, esse
debet.

Job. 5. 2.

8. BERNARDUS sermone 13. in Psalmum: Qui habitat in adjutorio: Affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturae, gravis perditio est, et miseranda perniciēs. Occupemus illam, fratres, in quibus expedit, ne forte ad inutilia illicitaque prorumpat. Ego vobis dico: non autem ego, sed veritas: non ego, sed Dominus: Nolite irasci eis, qui transitoria vobis auferunt, qui convicia inferunt, qui ingerunt forte supplicia, et post hoc faciunt nihil. Ostendam autem vobis, cui debeatis irasci: Irascimini ei, quae sola vobis nocere potest, sola facere, ut omnia illa non prosint. Vultis scire, quaenam illa sit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic irascimini. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui perfecte huic irascitur, caeteris non movetur, magis et

Irascendum
est iniquitati
propriae.

- Psal. 57, 16.** amplectitur ea. Ego (inquit) in flagella paratus sum. Sit damnus, sit convicius, sit laesio corporalis; paratus sum et non sum turbatus, quoniam dolor meus in conspectu meo semper. Quidni exteriora omnia parvi pendam in huius aestimatione doloris? filius (inquit) uteri mei persequitur me, et convicianti servulo indignabor? Cor meum dereliquit me, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et damna temporalia plangam, aut incommoda corporalia reputabo? Hinc nimirum non modo mansuetudo oritur, cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat.

9. **AMBROSIVS** libro I. officiorum, capite 21.: Caveatur iracundia, aut si praecaveri non potest, cohibeatur. Mala enim lex peccati, indignatio est, quae ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primum est igitur, si fieri potest, ut morum tranquillitas usu quodam affectionis proposito in naturam vertatur. Deinde, quoniam ita plerumque motus infixus est naturae ac moribus, ut evelli atque *) evitari non queat; si praevideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare, quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste irae, si potes; cede, si non potes, quia scriptum est: Date locum irae. **Gen. 27, 43.** Jacob fratri indignanti pie cessit, et Rebeccae, id est, patientiae instructus consilio, abesse maluit et peregrinari, quam excitare fratris indignationem, et tunc redire, cum fratrem mitigatum putaret. Et ideo tantam apud Deum invenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliavit sibi, ut ille praereptae benedictionis non meminisset, meminisset delatae satisfactionis. Ergo si praevenerit et praeoccupaverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in te, non relinquantur locus tuus. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, et perversitas impulerit ad indignationem, si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: **Psal. 55, 14.** Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Deinde: inquire pacem, et sequere eam. Pacem illam sancti Jacob vide: qua primum sedato animum; si non praevalueris, fraenos linguae impone tuae. Deinde reconciliationis studium non praetermittas. Haec oratores saeculi de nostris usurpata in suis posuere libris. Sed ille sensus huius ha-

De cohibenda ira.

*) evinci

Rom. 12, 19.
Gen. 27, 43.
sq.

Gen. 52, 15.
sq. et 55, 10.
sq.

bet gratiam, qui prior dixit. Vitemus ergo aut temperemus iracundiam, ne sit ejus aut in laudibus exceptio, aut in vitiis exaggeratio. Non mediocriter est, mitigare iracundiam, non inferius, quam omnino non commoveri. Hoc nostrum est, naturae illud: Noli respondere irato ad iracundiam ejus, sive imprudenti ad imprudentiam. Cito culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Ferunt Gentiles, ut in majus omnia verbis extollere solent, Archytae Tarentini dictum Philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicem, quam te afflicterem, nisi iratus essem. Sed et David armatam etiam dexteram in indignatione compresserat. Et quanto plus est non re-maledicere, quam non vindicare? Et bellatores adversus Nabal ad ultionem paratos, Abigail deprecatione revocaverat. Unde advertimus, tempestivis quoque intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eo usque autem delectatus est, ut benediceret interventem, quod ab studio vindictae revocatus foret. Jam dixerat de inimicis suis: Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi. Audiamus, turbatus in ira quid dixerit: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? Illi ergo ad iracundiam provocabant, hic tranquillitatem eligebat. Jam dixerat: Irascimini et nolite peccare. Moralis magister, qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinae, quam extirpandum noverrat, moralia docet. Hoc est: Irascimini, ubi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed *) lenitudo et remissio judicatur. Irascimini ergo ita, ut a culpa abstinatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic: Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, et non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam continet, quam qui urbem capit, quia ira etiam fortes decipit. Cavere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos nostros ratio componat. Examinat enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, et improvise percussit ictu. Ideo praevenire pulchrum est cogitatione, quae volvendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodam rationis et habentis constricta mitescat.

Archytae Tarentini dictum.

1. Reg. 25, 13. sq.

Psal. 56, 4. Ibidem: 7.

Psal. 4, 5. Irascimini et nolite peccare varie intelligitur.

*) lenitudo

Prov. 16, 32.

Psal. 4, 5.
Ejusdem in-
terpretatio.

10. AUGUSTINUS in psalmum IV.: Irascimini, inquit, et nolite peccare. Quod duobus modis intelligi potest. Aut, etiam si irascimini, nolite peccare, id est, etiam si surgit motus animi, qui jam propter poenam peccati non est in potestate, saltem ei non consentiat ratio et mens, quae intus regenerata est secundum Deum, ut mente serviamus legi Dei, si adhuc carne servimus legi peccati. Aut agite poenitentiam, id est, irascimini vobis ipsis de praeteritis peccatis, et ulterius peccare desinite.

Rom. 7, 5. 6.
sq.

14. IDEM in libro de vera religione, capite 45.: Invicti esse volumus, et recte; habet enim hoc animi nostri natura post Deum, a quo ad ejus imaginem factus est, sed ejus praecepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret. Nunc vero dum ipsa, cujus verbis turpiter consensimus, domatur dolore parienti, et nos in terra laboramus, et cum magno dedecore superamur ab omnibus, quae nos commovere ac perturbare potuerunt. Itaque nolimus ab hominibus vinci, et iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici potest? Fatemur, hominem hoc esse, quod nos sumus, qui tamen etsi habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit, quam vitium? Quis autem dubitet, immane vitium esse invidentiam, qua necesse est torqueatur et subjiciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo, ut homo nos vincat, quam invidentia, vel quodlibet aliud vitium. ET deinceps sequenti capite: Sed nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vincit. Non enim vincitur, nisi cum ei eripitur ab adversario, quod amat.

Ab ira vinci
turpius, quam
ab homine.

Ira perseverans corrumpit cor.

12. ITEM epistola 87. ad Felicitatem et Rusticum: Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit.

Matth. 5, 6.

13. ET epistola 149. ad profuturum: Quam vigilandum sit, ne cujusquam odium cordis intima teneat, neque sinat, ut oremus Deum in cubili nostro clauso ostio, sed adversus ipsum Deum claudat ostium, nosti optime frater. Subrepat autem, dum nulli irascenti ira sua videtur injusta. Ita enim inveterascens ira fit odium, dum quasi justus doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat vasque corrumpat. Quapropter multo melius nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo, in alicujus odium irae occulta facilitate dilabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere, multo esse melius, malum hominem perpeti, quam forsitan per

Inveterascens ira fit odium.

Praestat etiam juste nemini irasci.

ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam irae juste pulsanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile recessuram, et perventuram de surculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crescere citius quam putatur. Non enim erubescit in tenebris, cum super eam sol occiderit.

14. GREGORIUS Magnus libro VIII., epistola 51. ad Leontium: Quoties ira animum invadit, mentem edoma, Ira refran-
nanda et vi-
tanda. vince te ipsum. Differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit, quod placet, vindica. Ira enim in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non praeire, ut quasi ancilla justitiae post tergum veniat, et non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, et non exhibenda. Aliquando exhibenda est, sed nunquam sequenda. Quando enim in executione justitiae placata mente irascimur, iracundiam et non sequimur, et exhibemus. Ira enim, quae animum perturbat, quanta consideratione cavenda est, monstratur. De qua scriptum est: Sit omnis Jacob. 1, 19.
20. homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri, justitiam Dei non operatur. Prov. 18, 14. Hinc rursum scriptum est: Quis potest habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum? Huic iterum Prov. 22, 24. dicitur: Noli esse cum homine iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae. Contra hanc in laude patientiae dictum est: Melior est vir, qui vincit iram, quam qui cap- Prov. 16, 32. pit civitatem magnam. Hinc David personam in se infirmorum sumens, ait: Turbatus est prae ira oculus meus. Atque ex ipsa perturbatione quid sequatur, adjunxit, dicens: Inveteravi inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cum Psal. 6, 8. turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos nostros ad vetustatem reducimur, quia inter malignos spiritus ad vetusti hominis similitudinem revocamur. Cum igitur iram, quae cor permovet, sacra eloquia tot testimoniis detestentur, perpendamus, qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo iudice, in testimonio illius toties reprobatum.

15. IDEM in parte tertia pastoralis curae, admonitione 17.: Admonendi sunt iracundi, ut aemulationi, quam se habere existimant, mansuetudinem subjungant. Idcirco namque spiritus sanctus in columba et in igne monstratur, quia videlicet omnes, quos implet, et columbae simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentem exhibet. Nequaquam ergo sancto spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate Ira mansuetudine temperanda.
Joan. 1, 32.
Act. 2, 3.

Ira per se-
lum, et ira
per vitium.

Impatiens et
iracundus,
quomodo
differant.

1. Reg. 25.

Matth. 5.

mansuetudinis fervorem aemulationis deserit, aut rursus in aemulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Sed longe alia est ira, quae sub aemulationis specie surripit, alia, quae turbatum cor et sine justitiae praetextu confundit. Illa enim in hoc, quod debet, inordinate extenditur: haec autem semper in iis, quae non debet, inflammatur. Sciendum quippe est, quia in hoc ab impatientibus iracundi differunt, quod illi ab illis illata non tolerant: isti autem etiam, quae tolerantur, important. Nam iracundi saepe etiam se declinantes insequuntur, rixae occasionem commoent, labore contentionis gaudent: quos tamen melius corrigimus, si in ipsa irae suae commotione declinamus. Perturbati quippe quid audiant, ignorant: sed ad se reducti, tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriae omne rectum, quod dicitur, perversum videtur. Unde et Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam, digesto vino, laudabiliter dixit, et idcirco malum, quod fecerat, cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit. Cum vero ita iracundi alios impetunt, ut declinari omnino non possint, non aperta exprobratione, sed sub quadam sunt cautela reverentiae parcendo ferendi.

16. ITEM libro XXI. Moralium, capite 5., ut supra de peccatis in genere, quaestione tertia E. 3.

17. AUGUSTINUS libro I. de sermone Domini in monte, capite 19., ut supra ibidem.

18. ET in Enchiridio ad Laurentium, capite 79.: Sunt autem quaedam peccata, quae levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennae putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulnere subiecit continuo medicinam, praeceptum fraternae reconciliationis adjuuens. Mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te etc.

IX.

Quid est acedia, et quas gignit filias?

Bernard. serm. 5. et 6.
de ascens. Domini Greg.
3. parte curae pastor. ad-
monit. 10.

Acedia est remissi animi languor ad bene operandum, praesertim vero tristitia

est de re spirituali. Quae has gignit
¹ filias: Malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, corporem circa praecepta necessaria, mentisque circa res illicitas evagationem.

Huic peccato sunt obnoxii homines
² otiosi, inertes, et quos ³ tepidos scriptura vocat, ac omnes demum, qui tempus hoc gratiae diemque salutis rebus ac studiis vanis transigunt. Finis autem huius peccati est, quem docet in Evangelio Christus: ⁴ *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Tam alibi: ⁵ *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Neque tacuit ille, quid interim a nobis, ne torpeamus, fieri velit: ⁶ *Videte, inquit, vigilate et orate: nescitis enim, quando tempus sit.* ⁷ *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.*

Haec summatim perstrinximus, ut, qui justitiae vias sunt minus edocti, praecipuos humani generis morbos, atque execrandas pestes, quas ostendimus, non solum cognoscant et observent, sed etiam ex praescripto divinae legis, a se aliisque depellere et penitus arcere conentur. *Beatus vero vir, ⁸ qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non*

1) Greg. 51. Moral. cap. 31. Eccl. 33, 20. Prov. 15, 13, 17, 22. Eccl. 7, 9, 30, 22, 23. Psalm. 118, 28, 39, 13.

2) Matth. 20, 3—6. eq. 22, 4, 5.

3) Apocal. 3, 14—17. Prov. 6, 3—11, 10, 4, 20, 13, 18, 8, 10, 15, 10, 24, 20, 4, 21, 25, 22, 13, 24, 30—34, 25, 20, 20, 13—16, 28, 10. Eccl. 5, 8, 9, 7, 10, 14, 2, 22, 1, 2. Psalm. 72, 5, sq. Jerem. 48, 10. Rom. 13, 11, 2. Cor. 7, 10.

Gal. 3, 3. Apoc. 2, 4, 5. 4) Matth. 7, 18, 3, 10, 21, 18, 19. Luc. 13, 6—9. Joann. 15, 1, 2.

5) Matth. 25, 30. Eccl. 6, 23—27. Eccl. 9, 10, 2. Thess. 3, 7—12. Gal. 6, 9, 10. Hebr. 12, 12, 13. Rom. 12, 11, 12. Philip. 4, 4.

6) Marc. 13, 33—37. Matth. 24, 42—44, 25, 13. Joann. 9, 4. Ephes. 5, 14. Apoc. 3, 2, 3.

7) Luc. 13, 24. Matth. 7, 13, 14, 11, 12.

8) Psalm. 1, 1. Bernard. serm. 35. ex parvis sermonibus.

stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit, quemadmodum psalter canit regius, ut primam justitiae ac beatitudinis partem cantico suo primo demonstret.

SCRIPTURAE.

Ecccl. XXXIII.: Multam malitiam docuit otiositas.

• **Prov. XV.:** Cor gaudens exhilarat faciem: in more animi deicitur spiritus.

Ecccl. VII.: Noli esse pusillanimis in animo tuo.

Et cap. XXX.: Tristitiam non des animae tuae, et non affligas temet ipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis, haec est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis, et exultatio viri est longaevitae. Miserere animae tuae placens Deo, et contine, et congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe expelle a te. Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa.

Prov. XVII.: Animus gaudens aetatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.

Psalm. CXVIII.: Dormitavit anima mea prae taedio.

Et Psalm. XXXIX.: Cor meum dereliquit me.

Matth. XX.: Egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam meam. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi etc.

Et cap. XXII.: Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa, et omnia parata; venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

Apoc. III.: Et angelo Laodiceae Ecclesiae scribe: Haec dicit Amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei: Scio operam tuam, quia neque frigidus

es, neque calidas: Utinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere: ex ore meo, quia dicis, quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus et nudus.

Prov. VI.: Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis. Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam; quae cum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. Usquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi fur armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te.

Et cap. X.: Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum.

Cap. XIII.: Vult et non vult piger: anima autem operantiam impinguabitur.

Prov. XVIII.: Pigrum dejicit timor; animae autem effoeminatorum esurient. Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Et cap. XIX.: Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit viam suam, mortificabitur. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.

Cap. XX.: Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo aestate, et non dabitur illi.

Et 21.: Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari: tota die concupiscit et desiderat: qui autem justus est, tribuet, et non cessabit.

Item cap. 22.: Dicit piger, leo est foris: in medio platearum occidendus sum.

Cap. 24.: Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticas, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo et exemplo didici disciplinam. Usquequo piger dormies? usquequo de somno consurges? Parum, inquam, dormies, medicum dormitabis: parvillum manus conseres, ut quiescas: et veniet tibi quasi cursor egestas tua, et mendicitas quasi vir armatus.

Item cap. 25.: Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.

Cap. 26.: Dicit piger, leo est in via, et leaena in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manus sub ascella sua, et laborat, si ad os suum eas converterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

Et cap. 28.: Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

Eccl. V.: Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

Et cap. VII.: Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab altissimo.

Cap. XIV.: Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua.

Cap. XXII.: In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspersionem illius. De stercore boum lapidatus est piger: et omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus.

Psalm. LXXII.: In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua etc.

Hierem. XLVIII.: Maledictus, qui facit opus Do-

mini fraudulenter vel, ut septuaginta transtulerunt, ἀμιλῶς, id est, negligenter.

Rom. XIII.: Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere.

II. Corinth. VII.: Saeculi tristitia mortem operatur.

Gal. III.: Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?

Apo c. II.: Habeo adversum te pauca, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac. Sin autem: venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.

Matth. VII.: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Cap. III.: Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Et cap. XXI.: Mane autem revertens in civitatem, esuriit. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.

Luc. XIII.: Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio. Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora, et si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.

Joan XV.: Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est. Omnem palmitem in me, non ferentem fructum,

tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Matth. XXV.: Serve male et piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, et congreco, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores. Illic erit fletus et stridor dentium.

Ecc l. VI.: Sapientia doctrinae secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta; quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. Audi fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum, injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne accideris vinculis ejus. In omni animo tuo, accede ad illam, et in omni virtute conserva vias ejus.

Ecc l. IX.: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec tempus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quo tu properas.

I. Thessalon. III.: Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmet ipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam, si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere bene facientes.

Galat. VI.: Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

Hebr. XII.: Propter quod remissas manus et soluta genua crigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Rom. XII.: Sollicitudine non pigri. Spiritu ferventes. Domino servientes. Spe gaudentes. In tribulatione patientes. Orationi instantes. Necessitatibus sanctorum communicantes.

Philip. IV.: Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.

Marc. XIII.: Videte, vigilate, et orate; nescitis enim, quando tempus sit etc. Vigilate ergo, (nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

Matth. XXIV.: Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.

Et cap. XXV.: Vigilate, quia nescitis neque diem, neque horam.

Joan. IX.: Me oportet operari opera ejus, qui misit, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.

Ephes. V.: Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis etc., redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Apoc. III.: Esto vigilans, et confirma caetera, quae moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva, et poenitentiam age. Si ergo non vigila-

veris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te.

Luc. XIII.: Contendite intrare etc., ut in textu.

Matth. VII.: Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.

Et cap. XI.: A diebus autem Johannis Baptistae usque nunc, regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

Psalm. I.: Beatus vir, qui non abiit etc., ut in textu.

P A T R E S.

1. BERNARDUS sermone 3. de Ascensione Domini: Non dubito ego intellectum omnium vestrum (qui hic estis) illuminatum esse, sed non affectum aequè esse purgatum, manifestis approbabo conjecturis. Omnes, quod bonum est, nostis, et viam, per quam incedere, et quomodo in ea incedere debeatis, sed voluntas non una est. Quidam enim ad omnia viae et vitae hujus exercitia non solum ambulant, sed et currunt, immo potius volant, ut eis et vigiliae breves, et cibi dulces, et panni suaves, labores non solum tolerabiles, sed et appetibiles videantur. Alii autem non sic, sed corde arido et affectione recalcitrante vix trahuntur ad haec, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, et nolunt erubescere. Sunt iterum multi inter nos, qui de uno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant, miseri et miserabiles, utpote socii tribulationis, sed consolationis non ita. Numquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione? Quid ergo in causa est? Illud omnino, quia non vident Christum, cum tollitur ab eis, id est, non cogitant, quomodo eos orphanos reliquerit, quod peregrini et advenae sint super terram, quod tam diu faeculenti corporis horrido carcere teneantur, et non sint cum Christo. Hu-

Voluntas
non una om-
nium.

jusmodi autem si dñi ita permanserint sub onere, aut opprimuntur et succumbant, aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in luce miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quae sola facit jugum suave et onus leve. Inde autem perniciose tepeditas emanat, quia affectus, id est, voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt, sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti graviter et illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio; etsi haec interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est, quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quae his distractionibus subjacet, et quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur: si multum, multum; si parum, parum. Vel certe si magis probas, nunquam istae illis misereri poterunt in aeternum, quia ubi vasa vacua non invenit, oleum stare necesse est: nec mittunt vinum novum nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque spiritus et caro, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur, praesertim cum tepiditas ipsi domino soleat vomitum provocare. Si enim Apostoli adhuc carni Dominicae inhaerentes, quae sola sancta (quia sancti sanctorum) erat, spiritu sancto repleti nequiverunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuae (quae sordidissima est, et diversarum spurcitiarum phantasiis repleta) adstrictus et conglutinatus, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere, nisi carnis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Re vera cum inceperis, tristitia implebit cor tuum: sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, et voluntas renovabitur, vel potius nova creabitur, ut omnia, quae primo difficilia, immo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate. Emitte, inquit, spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Sicut per faciem exteriori cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emissio ergo spiritu, creatur et renovatur facies terrae, id est, terrena voluntas fit caelestis, parata ad nutum citius obedire. Beati, qui tales sunt: quia non solum malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim, quos supra commemoravimus, terribiliter ait Deus: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, Gen. 6. 3.

Perniciosa tepiditas non deo manet.

Tepidi quales sunt.

Tepiditas impedit Spiritus sancti adventum et praesentiam.

4. Reg. 4. 5. 6.
Matth. 9. 17.
Marc. 2. 22.
Apos. 3. 16.
Joan. 4. 7.

Modus proligandi teporem.

Psal. 105. 30.

Gen. 6. 3.

quia caro sunt, id est, carnales, et quidquid in eis spiritus fuerat, in carnem evanuit.

Religiosi
serventes.

Tepidi.

Exhortatio
ad tepidos.

Inferno pro-
xima, et um-
bra mortis
tepiditas
censetur.

Qua de re
Pigri admo-
nendi sunt.

2. ET sermone 6.: Utinam autem haec ut intellectum admonent, moveant et affectum, ne sit intus amarissima contradictio, et divisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum. Nimirum advertere potes in omnibus fere religiosis congregationibus, viros repletos consolatione, superabundantes gaudiorum, jucundos semper et hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditates in lege Dei, crebro suspicientes in caelum, et puras manus in oratione levantes, sollicitos observatores conscientiae, et devotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliae breves, labor manuum delectabilis, et universa denique conversationis hujus austeritas refrigerium videatur. Contra sane invenire est homines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virga et calcariibus indigentes, quorum remissa laetitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine aedificatione, quos denique (ut videmus) vix gehennae metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus, obsecro, quicumque ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, et Deo solet (ut interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare, certe quia molestissima, plena miseriae et doloris, et inferno plane proxima, umbra mortis jure censetur. Si quaerimus, quae sursum sunt, etiam sapere et praelibare interim studeamus.

3. GREGORIUS III. parte curae pastoralis, admonitione 16.: Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter praecipites. Illi namque suadendi sunt, ne agenda bona, dum differunt, amittant; isti vero admonendi sunt, ne, dum bonorum tempus incaute festinando praeveniunt, eorum merita immutent. Pigris itaque intimandum, quod saepe, dum opportune agere, quae possumus, nolumus, paulo post, cum volumus, non valemus. Ipsa quippe mentis desidia dum congruo fervore non accenditur, a bo-

norum desiderio funditus, convalescente furtim torpore,
 mactatur. Unde aperte per Salomonem dicitur: Pigredo Prov. 19, 45.
 immittit soporem. Piger enim recte sentiendo quasi vigi-
 lat, quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo sopo-
 rem immittit dicitur, quia paulisper etiam recte sentiendi
 vigilantia amittitur, dum a bene operandi studio cessatur.
 Ubi recte subjungitur: Et anima dissoluta esuriet. Nam
 mens, quia se ad superiora stringendo non dirigit, neg-
 lectam se inferius per desideria expandit. Et dum studio-
 rum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimae
 fame sauciatur, ut quo se per disciplinam ligare dissimulat,
 eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab Ibidem.
 eodem rursus Salomone scribitur: In desideriis est omnis Matth. 12, 50.
45. 45. otiosus. Hinc ipsa veritate praedicante, uno quidem ex-
 eunte spiritu munda domus dicitur, sed multiplicius re-
 deunte, dum vacat, occupatur. Plerumque piger, dum
 necessaria agere negligit, quaedam sibi difficilia opponit,
 quaedam vero incaute formidat, et dum quasi invenit, quod
 velut juste metuat, ostendit, quod in otio quasi non in-
 juste torpescat. Cui recte per Salomonem dicitur: Propter Prov. 20, 4.
 frigus piger arare noluit: mendicabit ergo aestate, et non
 dabitur ei. Propter frigus quippe piger non arat, dum
 desidia et torpore constrictus, agere, quae debet, bona
 considerat, et dissimulat. Propter frigus quippe piger non
 arat, dum parva ex adverso mala metuit, et operari maxi-
 ma praetermittit. Bene autem dicitur: mendicabit aestate,
 et non dabitur ei. Qui enim nunc in bonis operibus non
 exudat, cum sol iudicii ferventior apparuerit, quia frustra
 regni aditum postulat, nihil accipiens aestate mendicat. Be-
 ne hinc per eundem Salomonem rursus dicitur: Qui ob- Ecccl. 11, 4.
 servat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nun-
 quam metit. Quid enim per ventum, nisi malignorum spi-
 rituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes, quae mo-
 ventur a vento, nisi adversitates pravorum hominum de-
 signantur? A ventis quippe impelluntur nubes, quia im-
 mundorum spirituum afflatu pravi excitantur homines. Qui
 ergo observat ventum, non seminat: et qui considerat
 nubes, nunquam metit: quia quisquis tentationem maligno-
 rum spirituum, quisquis persecutionem pravorum hominum
 metuit, neque nunc grana boni operis seminat, neque tunc
 manipulos sanctae retributionis secat.

C. BERNARDUS sermone 35. ex parvis sermonibus:
 Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Pii sunt, Psaln. 1, 4.
 qui in Deum credunt, et ipsum colunt. Est enim pietas

Impii qui
sunt, et quod
eorum caput.

Impiorum
consilium,
quod sit.
Prov. 1. 24.

Quatuor mo-
dis itur ad
impiorum
consilium.

Quibus armis
opus sit ad
resistendum.

cultus Dei. Hic autem cultus in tribus consistit, fide, spe et caritate, quae sunt invisibilia. His tribus carent impii, qui Deum non colunt, et quorum consilium est, visibilia invisibilibus, terrena caelestibus praeponere. Horum caput et princeps est diabolus, qui primus a pietate recessit, et impius factus, etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate fraude sua dejecit, volens eos habere socios sui erroris et participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, et illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc daemon suggerit carni, caro spiritui, et fit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem: Omnium nostrum sit unum marsupium. Ponunt ergo in memoria quasi in marsupio quisque obolum suum; Daemon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Inde tanquam de symbolo comparant sibi victum competentem. Caro quidem combustionem, ignem scilicet, qui non exstinguitur, spiritus malam conscientiam, id est, vermem, qui non moritur. Daemon autem emit utriusque sanguinem. Ad hoc consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur involiti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariae sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est fortitudo, qua resistant usque ad mortem minis, cruciatibus, et damnis. Illi, qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, quae reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis, qui seducuntur ignari, est opus prudentia, quae ab utilibus inutilia discernit, et docet, quid tenendum, quidve rejiciendum sit. Justitia indigent illi, qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quae nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia et fortitudo sedem habent voluntatem, quia voluntas justa debet esse et fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora praeponens. Hanc non videtur habuisse Adam, qui malo consentiens, quod utile erat, deservit. Prudentia et temperantia sedem habent in ratione, quia ratio prudens debet esse et temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet a gratia vitare contagia injustitiae propter justitiam. Vetat quidem non solum injustitiam apertam, sed etiam illa, quae sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit, vitans divitias et quaedam alia, non quia illicita, sed quia justitiae solent esse impedimenta. Sed propter quosdam, qui ex hypocrisi hoc faciunt, additur: propter

justitiam. Justitia est perfectio animae rationalis. Aliae virtutes sunt ad ejus acquisitionem vel conservationem, fortitudo, temperantia, prudentia, quae justitiam conservant, ne amittatur aut minuatur. Postquam vero perfecta est justitia, et transit in affectum cordis, idem est, quod illa tria: quia fortis est, prudens, temperata. Qui non abiit. Abire, pertinet ad illos, qui sunt inconstantes, et leviter possunt impelli. Quod quidam volentes evitare, fiunt evidenter obstinati, nullius consilio acquiescentes, propositum suum immobiliter tenentes: et ideo adjunctum est, et non stetit, scilicet ut nec levis sit, nec obstinatus. Via peccatorum est mundus, vel propria voluntas, quae est superbia, ex qua omnia mala, sicut ex communi sunt bona. Et in cathedra pestilentiae non sedit. Sedet, qui docet, exemplo suo faciens peccare alios. Cathedra haec et quatuor pedibus subsistit. Primus pes est malitia: secundus, contemptus Dei: tertius, irreverentia: quartus, astutia. Malitia est, amare malum, et saporem mali habere, et malum, quia malum est, diligere, sicut facit diabolus et nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando, ut tales timeant Deum non timore bono, sed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum, ut amplius fiant mali, contemnunt et ipsum Deum, et fit secundus pes contemptus Dei. Item posset fieri, ut malum amarent, Deum contemnerent, sed inhiberet eos pudor hominum, cum quibus habitant; ideo ad augmentum mali sequitur tertius pes irreverentia, ut nec Deum timeant, nec homines reverentur. Ad consummationem vero malitiae adest quartus pes astutia, ut sciant uti tribus praedictis, miscentes oleo venenum, et melli acetum. Eminens pars cathedrae, cui sedens inhaeret, est potentia. Si enim potens est, qui praedicta habet, tunc plurimum nocet, vel si potentem sibi alicere potest, quem consilio suo seducat, et ad malum impellat. Deinde apponitur pulvinar, ut suaviter sedeat. Pulvinar fit de levibus pennis avium, significans vanam gloriam et favorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. Scabellum pedibus supponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, sed spirituales simulant, ut magis decipiant. Horum doctrina est quasi pestilentia, multa loca occupans et vastans.

Via peccatorum.

Cathedra pestilentiae.
Psalm. 1.
Cathedrae pedes.

Eminens cathedrae pars.

Pulvinar.

Scabellum.

DE PECCATIS ALIENIS.

I.

Quae peccata dicuntur aliena?

Ea, quae licet aliorum manibus operaque perficiantur, nobis tamen merito imputantur, nostrasque conscientias damnationis coram Deo reas constituunt.

Quam ob rem de his accipi potest, quod scrip-

tura imperat: ¹ *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et quod orat propheta regius: ² *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce ser-vo tuo.* Eodem refert Basilius ³ Magnus, quod Ephesiis scriptum est a Paulo: ⁴ *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Tum illud ejusdem Apostoli: ⁵ *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.*

1) 1. Tim. 5. 22. Vide Basil lib. de vera virginitate.
2) Psal. 18. 13. 14. et ibidem Enthyminus. Item Aug. lib. 5. de libero arb. cap. 10.
3) Lib. 2 de hap. cap. 9. Aug. serm. 18. de verbis domini.
4) Ephes. 5. 11.
5) 2. Thess. 3. 6.

SCRIPTURAE.

I. Timoth. V., Psalm. XVIII., Ephes. V., et II. Thess. III., ut in textu.

P A T R E S.

4. BASILIUS Magni libro de vera virginitate: Sicut enim sanctum atque admirabilem Paulum, dum adhuc esset in corpore, alia quidem praecesserunt opera, cum plurimi ex his, qui propter doctrinam et conversationem ejus perfecti evasere, in aeternam illum vitam praecedentes, sudorum praemia, quos pro illis pertulit, apud justum iudicem Deum illi paraverunt; alia vero solutum carnis vinculis, et jam cum Christo regnantem usque ad hanc diem consequuntur, eorum scilicet, qui per eum in sacris epistolarum ejus monitis se ad virtutem exercentes, laudes semper ac praemia praeclaro illi duci et praeceptori optimo hinc transmittunt: sic econtra alia quidem praecedunt peccata eorum, qui pessimis sermonibus et operibus laesi, atque impediti a virtutis tramite, in infernum praecessere, supplicia suae damnationis auctoribus illic paraturi; alia vero etiam sequuntur, eorum scilicet, qui post ipsorum mortem per summam nequitiam et exempla pessima, quae mundo reliquere, dum eos imitari pergunt, maxime laeduntur. Nam sicut hodie quoque beatus David ad veram religionem, et Dei cultum providentiaeque agnitionem mundo perutilis est, et qui propter illum in religione proficiunt, huic jam ex recte factis suis consequentes ei transmittunt laudum voces: ita et Marcion et reliqui haereticorum dogmatum duces, quia per eam perversitatem doctrinae, quam mundo invexere, maxime nocent, cuncti, qui salutis suae damna per eos in hac vita perceperunt, auctores perditionis suae, etsi dudum vita functos, atrocioribus illic suppliciis tradunt. Si enim, qui scandalizaverit unum ex pusillis hujusmodi, morte dignus judicatur, profecto qui tam multos per vitam reprobam, quod perniciosorum operum mundo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat, post mortem quoque omnium, qui sua causa pereunt, dignissime ac justissime mortis reus habebitur, per singulos eorum, qui sui causa hic seu vulnerantur, seu moriuntur, auctore etiam vulnera mortemque suscipiente. Porro si juxta hunc sensum alii praecedunt actus, aliique subsequuntur, et sicut qui ex nequitia sequuntur, majori supplicio hujusce perditionis auctorem per singulos eorum, qui perniciosa vel doctrina, vel vita pereunt, tradunt; qui vero a virtute subsequuntur, majoribus et dignioribus praemiis per singulos eorum, qui inde salutis emolumenta quaesierunt, et a sceleribus

Opera quaedam praecedunt, quaedam sequuntur Sanctos.

Malos quaedam peccata antecedunt, quaedam post mortem sequuntur.

Haeresiarum mortuorum poenae quotidie augentur, propter falsa dogmata, quae post se reliquerunt. Matth. 18.

Rei mortis sunt omnium, qui per eorum doctrinam perierunt.

conversi sunt, hujusmodi magistrum donant, et virgo igitur habet in uterutram virtutis vitiorumque partem actus quosdam partim praecedentes, partim subsequentes. Atque infelix illa quidem, quae praeter delicti proprii supplicium, ex aliarum etiam ruina, quibus offendiculum ac lubricum posuit, acrioribus semper suppliciis traditur. Sed illa sane felicissima et beatissima, quae praeter coronas proprias, per singulas earum, quae quoniam ex imitatione ejus profecere, coronantur, ipsa quoque post mortem in aeterna vita coronis semper novis redimitur.

Alienis peccatis obnoxii.

2. EUTHYMIUS in psalmum XVIII.: In alienis peccatis parce mihi, cum noverim reges, pontifices, parentes, et dominos, obnoxios esse subditorum, plebium, filiorum et servorum peccatis, quando nimirum ob illorum negligentiam deliquerint.

Psal. 48, 18.

3. AUGUSTINUS libro III. de libero arbitrio, capite 10.: Cum duae sint origines peccatorum, una spontanea cogitatione, altera persuasione alterius, quo pertinere arbitror, quod Propheta dicit: Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo. Utrumque voluntarium est quidem. Nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit. Sed tamen gravius est non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasionem traduci.

Aliis suadentes peccatum, committunt peccatum alienum.

Ephes. 5, 11.

4. BASILIUS Magnus libro II. de baptismo, cap. 9.: Cognito itaque, quomodo et secundum quid infrugiferas arbores esse contingat, caveamus, ne quidquam legitimo divini beneplaciti studio desit, sed in omnibus commendemus nos ipsos, tanquam Dei ministros. Non hoc autem solum, sed neque communicemus cum talibus, sicut in Christo loquens Apostolus determinate pronuntiavit, dicens: Ne communicetis infrugiferis tenebrarum operibus. Quod autem subjungit, quin magis et reprehendite, modum docet, quomodo non debeamus illis communicare. Quid vero sit communicare, et quibus id modis fiat, expendamus. Et primum occurrit illud in paroemiis: Veni nobiscum, consors esto sanguinis; deinde et quod Apostolus dicit: Omnes vos gratiae mecum consortes existentes. Et: communicantes tribulationi meae. Et: communicet autem, qui in doctrina instruitur, ei, qui se instruit, de omnibus bonis. Item: Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Item: Argu-

Quibus modis communicatur peccatis alienis.
Prov. 1, 11.
Rom. 15, 27.
Philip. 4, 14.
Gal. 6, 6.
Psal. 49, 18.
Levit. 19, 17.
Psal. 49, 21.

quando argues fratrem tuum, nec recipias propter ipsum peccatum. Et: Haec fecisti, et tacui. Suspicas iniquitatem, nempe, quod similis tibi futurus sis; arguam te, et stabo contra faciem tuam. Talium communicationem aestimo secundum opus quidem, quando mutua quidam operam ad eundem scopum in operis perpetratione, inter se conferunt; secundum animi vero sententiam, quando quis affectui operantis assentitur, et condelectatur. Reliqua communicatio, quae plerosque latet, exacta divinae scripturae inquisitione manifestatur, quando videlicet nec cooperatur quis, nec affectu assentitur operanti malum; cogita vero animi illius malitia, unde quod malum est, facit, oblitet, et non arguit, quemadmodum hoc declarant, cum quae supra sunt scripta, tum quod ab Apostolo Corinthiis 1. Cor. 5, 6. est dictum, nempe, quoniam non luxistis, ut tolleretur e medio vestrum, qui facinus hoc perpetravit, quibus subjunctum: Modicum fermenti totam conspersionem corrumpit. Metuamus itaque, et obtemperemus dicenti: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. Quod si quis autem cooperatur quidem alicui in bono, idque omnino bono, ignorat vero affectus illius malitiam, et operis scopum, communicationis culpam in eo, quod illi cooperatur, non habebit, sed propriam mercedem juxta proprium laborem recipiet, propterea quod nihil commercii habet cum illius alieno et praepostero affectu, et se ipsum in canone dilectionis erga Deum conservat, quemadmodum nobis a Domino nostro Jesu Christo in iis, qui cum in eodem molendino, tum in eodem lecto cum perituris constituti servabuntur, declaratum est. Differentia vero inter eos, qui fidei meae concrediti sunt, et qui non sunt, in debita sita est cura, non in communicatione peccatorum. Nam cura quidem proprie et peculiariter iis solis a me debetur, qui fidei meae commisi sunt. Communicatio vero in malo et operibus infrugiferis in omnibus pariter vetita est. Participatio et communicatio cum malis, multiplex est. Ibidem. Matth. 24, 40. Ephes. 5, 11.

5. AUGUSTINUS sermone 48. de verbis Domini: A malis corde semper disjungimini, ad tempus caute corpore copulamini, nec tamen negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscunque modis potestis agite, ne, cum invenitis in scripturis et in exemplis sanctorum, sive qui ante, sive qui post Domini adventum in hac vita fuerunt, quod mali bonos in veritate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos

Malorum
consuetudo,
quando non
commaculat.

dos malos. Duobus modis non te maculat malus, si ei non consentias, et si redarguas; hoc est non communicare, non consentire: Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur; hoc ergo admonens Apostolus ait: Nolite communicare operibus infructuosus tenebrarum, magis autem et redarguite. Et Ephes. 5, 11. quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinae. Magis autem, inquit, et redarguite. Videte, quemadmodum utrumque complexus est. Nolite communicare, magis autem et redarguite. Quid est, nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare; nolite approbare. Quid est, magis autem et redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis, neque negligentes, ut non arguatis, neque superbientes, ut insultanter arguatis.

Quid sit non
communicare.
Redarguere,
quid sit.

II.

Quot numerantur ejusmodi aliena peccata?

Novem, sicut novem fere modis committuntur, utpote consilio, jussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentia cul-pae alienae, conniventia vel indulgentia, participatione criminis, ac prava defensione.

III.

Quando peccatum alienum consilio perpetratur?

Ecc. 27, 28 — 30. 6, 6
— 8, 8, 20 — 22. 37, 7
— 17. Job 5, 13. 12, 13.
18, 5 — 10. Esai. 10, 11
— 14. Psal. 7, 16. 9, 16.
Prov. 20, 27. Ecc. 10,
8.

1) Joan. 11, 47 — 53.

Cum mali scilicet consilii, quod alii sequuntur, vel sequi possent, ipsi sumus auctores et administri. Exemplo sit Caiphas, qui consilio suo Senatum judaicum in mortem Christi concitavit

atque permovit. Contra vero laudatur Joseph ab Arimathaea, et vir bonus justusque dicitur, quia ² non consenserat consilio et actibus eorum, pontificum scilicet et Pharisaeorum, in Christi ³ necem impie conspirantium. Ejusdem classis fuit Demetrius ⁴ ille, qui cum aliis opificibus, ut suo studeret quaestui, totam pene urbem Ephesiorum adversus Paulum Paulique doctrinam ingenti seditione complevit. Impegit hic etiam infamis ⁵ Herodias, qua rex Herodes per adulterium foede abutebatur. Nam illius consilio et suasu instructa saltatrix filia, quod crudeliter appetivit sanctissimi Joannis obtruncatum caput, nefarie impetravit.

2) Luc. 23. 50. Psal. 1, 1. Gen. 49, 5. O. Job 21, 16.

3) Joan. 11, 53. Matth. 26, 3. 4.

4) Act. 19, 24. 2. Reg. 10, 2 - 4. 6. 7. 19. 10, 20 - 23. 17, 1 - 8. 14. 3. Reg. 12, 12 - 19. 21, 23. 26. 2. Paral. 22, 2 - 5. 25, 14 - 24. 1. Esdr. 4, 4. 5. Hester. 5, 10 - 14. 7, 9. 10. Daniel. 6, 5 - 24. 1. Mach. 1, 12 - 16. 2. Mach. 1, 11 - 17. 4, 32 - 50. Act. 14, 18.

5) Marc. 6, 23 - 28. Matth. 14, 8. sq.

S C R I P T U R A E.

Eccl. XXVII.: Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet, et plaga dolosi dividet vulnera. Et qui foveam fodit, incidet in eam, et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo, et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet, unde adveniat illi.

Et capite VI: Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus. Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam, et est amicus, qui odium et rixam et convicia denudabit. Est au-

Canisius T. III.

tem amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis.

Cap. VIII.: Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quae eis placent. Coram extraneo ne facias consilium; nescis enim, quid pariet. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

Et capite XXXVII.: Noli consiliari cum socero tuo, et a zelantibus te absconde consilium. Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semet ipso. A consiliario serva animam tuam, prius scito, quae sit illius necessitas; et ipse enim animo suo cogitabit, ne forte mittat sudem in terram, et dicat tibi, bona est via tua, et stet e contrario videre, quid tibi eveniat. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum injusto de justitia, et cum muliere de his, quae aemulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione, non attendas his in omni consilio. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam; quicumque titubaverit in tenebris, non condolebit tibi. Et cor boni consilii statue tecum; non est enim tibi aliud pluris illo.

Job V.: Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.

Et cap. XVIII.: Nonne lux impii exstinguetur etc. Arctabuntur gressus virtutis ejus, et praecipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. Tenebitur planta ejus laqueo, et exardescet contra eum sitis. Abscondita est inter terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.

Cap. XII.: Apud ipsum est sapientia et fortitudo, et ipse novit et decipientem, et eum, qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem.

E sai. XIX.: Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, quomodo dicitis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum. Ubi nunc sunt sapientes tui? Annuntient tibi et indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegyptum, angulum populorum ejus. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.

Psalm. VII.: Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Et Psalm. IX.: Infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Prov. XXVI.: Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui voluit lapidem, revertetur ad eum.

Ecc. X.: Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis, et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

Joann. XI.: Collegerunt Pontifices et Pharisaei consilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit etc? Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam; nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat etc. Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.

Luc. XXIII.: Et ecce vir, nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus; hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathaea, civitate Judaeae, qui

expectabat et ipse regnum Dei: hic accessit ad Pilatum etc.

Psalm. I.: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum etc.

Genes. XLIX.: Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum.

Job XXI.: Verum tamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.

Joann. XI.: Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.

Matth. XXVI.: Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicitur Caiphias, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.

Act. XIX.: Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum, quos convocans, et eos, qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio: et videtis etc. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas tota confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum etc.

II. Reg. X.: Cum venissent servi David in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas, quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo, ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? Tulit itaque Hanon servos David, rasisque dimidiam partem barbae eorum, et praescidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos etc. Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt mercede Syrum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum. Quod

cum audisset David, misit Joab et omnem exercitum bellatorum etc. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum, et Sobach principem militiae percussit, qui statim mortuus est: Videntes autem universi reges, qui erant in praesidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt, et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium praebere filiis Ammon.

Et capite XVI.: Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium, quid agere debeamus. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, ut, cum audierit omnis Israel, quod foedaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario; ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum; sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

Deinde cap. XVII.: Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percussit eum, cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percussit regem desolatum. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet; unum enim virum tu quaeris, et omnis populus erit in pace. Placuitque sermo ejus Absalom et cunctis majoribus hatu Israel. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, et audiamus, quid etiam ipse dicat. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Hujusmodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus, an non? quod das consilium? Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. Et rursus intulit Chusai: Tu nosti pa-

trem tuum etc. Dixitque Absalom et omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitae, consilio Achitophel. Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum. Porro Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque, et abiit in domum suam et in civitatem suam, et disposita domo sua, suspendio interiit.

Et III. Reg. XII.: Venit ergo Jeroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertia. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem caedam vos scorpionibus. Et non acquievit rex populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitarret verbum suum, quod locutus fuerat in Manu Ahiae Silonitae, ad Jeroboam filium Nabath. Videns itaque populus, quod noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quae nobis pars in David? vel quae haereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. Misit ergo rex Roboam ad Uram, qui erat super tributa, et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerusalem, recessitque. Israel a domo David, usque in praesentem diem.

Et cap. XXI.: Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini; concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus est, in tantum, ut sequeretur idola, quae fecerant Amorrhaei, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel.

II. Paralip. XXII.: Quadraginta duorum annorum erat Ochosias, cum regnare coepisset, et uno anno regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Athalia filia Amri. Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab; mater enim ejus impulit eum, ut impie ageret. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab; ipsi enim fuerunt ei consilarii post mortem patris sui, in interitum ejus. Ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab rege Israel in bellum contra Hazael regem Syriae, in Ramoth etc.

Et cap. XXV.: Amasias vero post caedem Idumaeorum et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum. Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum Prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? Cumque haec ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te. Discendensque Propheta: Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo. Igitur Amasias rex Juda inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu regem Israel, dicens: Veni, videamus nos mutuo. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Dixisti, percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam, sede in domo tua; cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu et Judas tecum? Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas, ut traderetur in manus hostium propter Deos Edom. Ascendit igitur Joas rex Israel, et mutuos sibi praebuere conspectus. Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Judae. Corruitque Judas coram Israel, et fugit in tabernacula sua. Porro Amasiam regem Juda filium Joas filii Joachaz cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit in Jerusalem, destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadrin-

gentis cubitis. Omne quoque aurum, et argentum, et universa vasa, quae reppererat in domo Dei, et apud Obed Edom, in thesauris etiam domus regiae, nec non et filios obsidum reduxit in Samariam.

I. Esdrae cap. IV.: Factum est igitur, ut populus terrae impediret manus populi Judae, et turbaret eos in aedificando. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum.

Hester V.: Aman dissimulata ira reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam; exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Et post haec ait: Regina quoque Hester nullum alium vocavit ad convivium cum rege, praeter me, apud quam etiam cras cum rege prae-surus sum. Et cum haec omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochoacum Judaeum sedentem ante fores regias. Responderuntque ei Zares uxor ejus, et caeteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi, ut appendatur super eam Mardochoaeus, et sic ibis cum rege laetus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam praeparari crucem. Et capite VII.; Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod paraverat Mardochoaeo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochoaeo.

Daniel. VI.: Dixerunt ergo viri illi: Non invenimus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. Tunc principes et satrapae surripuerunt regi, et sic locuti sunt ei: Dari rex, in aeternum vive: consilium inierunt omnes principes regni, magistratus et satrapae, senatores et iudices, ut decretum imperatorium exeat et

edictum: ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocunque Deo et homine, usque ad triginta dies, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum. Nunc itaque rex confirma sententiam, et scribe decretum: ut non immutetur, quod statutum est a Media et Persis, nec praevaricari cuiquam liceat. Porro rex Darius proposuit edictum et statuit. Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, et fenestris apertis in coenaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat. Viri ergo illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, et obsecrantem Deum suum. Et accedentes, locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid constituisti etc. Tunc rex praecepit, et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum etc. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem praecepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, et nulla laesio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. Jubeute autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverunt Danielem, et in lacum leonum missi sunt ipsi et filii et uxores eorum, et non pervenerunt usque ad pavimentum lacu, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt.

I. Machab. I.: In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quae circa nos sunt, quia, ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem Antiochum, et dedit illis potestatem, ut facerent justitiam gentium. Et aedificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges nationum, et fecerunt sibi praepudia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus, et venundati sunt, ut facerent malum.

II. Machab. cap. I.: De magnis periculis a Deo libe-

rati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos et sanctam civitatem. Nam cum in Perside esset dux ipse, et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Nanaeae, consilio deceptus sacerdotum Nanaeae. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici ejus, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine. Cumque proposuissent eas sacerdotes Nanaeae, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum phani, clausurunt templum, cum intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt duces, et eos, qui cum eo erant, et dividerunt membra, et capitibus amputatis foras projecerunt. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.

Et capite IV.: Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quaedam vasa e templo furatus, donavit Andronico, et alia vendiderat Tyri, et per vicinas civitates. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiae secus Daphnen. Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat, ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, et datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. Ob quam causam non solum Judaei, sed etiam aliae quoque nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti viri injusta. Sed regressum regem de Ciliciae locis adieciunt Judaei apud Antiochiam, simul et Graeci, conquerentes de iniqua nece Oniae. Contristatus itaque est animo Antiochus propter Oniam, et flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam, accensisque animis, Andronicum purpura exutum per totam civitatem jubet circumduci, et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente poenam. Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho

commissis Menelai consilio, et divulgata fama, congregata est multitudo adversus Lysimachum multo jam auro exportato. Turbis autem insurgentibus, et animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus, iniquis manibus uti coepit, duce quodam tyranno, aetate pariter et dementia provecto. Sed ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere; quidam vero cinerem in Lysimachum jecere. Et multi quidem vulnerati, quidam autem et prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus aerarium interfecerunt. De his ergo coepit judicium adversus Menelaum agitari. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemaeo multas pecunias dare ad suadendum regi. Itaque Ptolemaeus in quodam atrio positum, quasi refrigerandi gratia, regem adiit, et deduxit a sententia, et Menelaum quidem universae malitiae reum criminibus absolvit; miseros autem, qui etiam, si apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit. Cito ergo injustam poenam dederunt, qui pro civitate et populo et sacris vasis causam prosecuti sunt. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi exstiterunt. Menelaus autem propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

Act. XIV.: Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judaei, et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes, eum mortuum esse.

Marc. VI.: Quidquid petieris, dabo tibi, (ait Herodes ad filiam Herodiadis) licet dimidium regni mei. Quae cum exisset, dixit matri suae: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistae. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit, dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistae. Et contristatus

est rex. Propter jusjurandum et propter simul discumbentes noluit eam contristare, sed misso spiculatore, praecipit afferri caput ejus in disco, et decollavit eum in carcere. Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellae, et puella dedit matri suae.

Matth. XIV.: At illa praemonita a matre sua: Da mihi, inquit, hîc in disco caput Joannis Baptistae etc.

IV.

Quando jussio est peccatum alienum?

1. Reg. 22, 16 — 19.
Jud. 2, 1 — 6. Hester.
3, 8 — 15. Daniel 3, 4
— 8. sq. 6, 11 — 16. 1.
Mach. 1, 43 — 67. 2.
Mach. 6, 1 — 9. Marc.
6, 17. Act. 23, 2. 3.
1) 2. Reg. 11, 14 — 17.

2) Joann. 10, 16. Lucae
23, 25.

3) Exod. 1, 15 — 22.
4) Matth. 2, 16.

5) Esa. 10, 1 — 4. Matth.
15, 3 — 6. Marc. 7, 9
— 13.

Cum ex decreto, mandato, imperio-
ve nostro redit ad proximum injuria, vel
malum quodcumque perpetratur. Sic Da-
vid rex innocentem occidit ¹Uriam, non
suis quidem aut servorum manibus, sed
per literas hoc agens atque demandans, ut
in praelio ille occideretur. Et praeses ²
Pilatus mortis Christi reus est, quod il-
lum in Judaeorum gratiam cruci affigen-
dum, etsi invitus quodammodo, auctori-
tate sua adjudicavit ac tradidit. Ita sum-
mo se crimine ³Pharao et ⁴Herodes ob-
ligarunt, cum legem tyrannicam de occi-
dendis Hebraeorum infantibus ferrent.
Vae ⁵autem illis, qui condunt leges iniquas.

S C R I P T U R A E.

I. Reg. XXII.: Dixitque rex (Saul): Morte morieris Achimelech, tu et omnis domus patris tui. Et ait rex

emissariis, qui circumstabant eum: Convertimini, et interficite sacerdotes Domini; nam manus eorum cum David est, scientes, quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, et irruere in sacerdotes Domini. Conversusque Doeg Idumaeus irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod' lineo. Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres et parvulos et lactentes, bovemque et asinum et ovem in ore gladii.

Judith II.: Anno tertio decimo Nabuchodonosor regis, vicesima et secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui. Dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiae suae, et dixit ei: Egredere adversum omne regnum Occidentis, et contra eos praecipue, qui contempserunt imperium meum. Non parcat oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi.

Hester III.: Dixit Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et caeremoniis, insuper et regis scita contemnens. Et optime nosti, quod non expediat regno tuo, ut insolescat per licentiam. Si tibi placet, decerne, ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazae tuae. Tulit ergo rex anulum, quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judaeorum, dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit; de populo age, quod tibi placet. Vocatique sunt scribae regis mense primo Nissan, tertia decima die ejusdem mensis, et scriptum est, ut jussu Aman, ad omnes Satrapas regis, et judices provin-

ciaram diversarumque gentium, ut quaeque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum ex nomine regis Assueri, et literae signatae ipsius annulo missae sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judaeos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent. Summa autem epistolarum haec fuit, ut omnes provinciae scirent et pararent se ad praedictum diem. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Judaeis, qui in urbe erant, flentibus.

Daniel. III.: Et praeco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus et linguis: In hora, qua audieritis sonitum tubae et fistulae et citharae, sambucae et psalterii et symphoniae, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Post haec igitur statim, ut audierunt omnes populi sonitum tubae, fistulae et citharae, sambucae et psalterii, symphoniae et omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus et linguae, adoraverunt statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldaei, accusaverunt Judaeos etc.

Et Daniel. VI.: Viri ergo illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem, orantem et obsecrantem Deum suum. Et accedentes, locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta, nisi te rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod praevaricari non licet. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Judae, non curavit de lege tua et de edicto, quod constituisti,

sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est, et pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum, et usque ad occasum solis laborabat, ut erueret illum. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. Tunc rex praecepit, et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in laeum leonum.

I. Mach'ab. cap. I.: Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus, et relinqueret unusquisque legem suam. Et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi, et multi ex Israel consenserunt servituti ejus, et sacrificaverunt idolis, et coinquinaverunt sabbatum. Et misit rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem et in omnes civitates Judae, ut sequerentur leges gentium terrae, et prohiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei, et prohiberent celebrari sabbatum, et dies solemnes, et jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel. Et jussit aedificari aras, et templa, et idola, et immolari carnes suillas, et pecora communia, et relinquere filios suos incircumcisos, et coinquinari animas eorum in omnibus immunditiis et abominationibus, ita, ut obliviscerentur legem, et immutarent omnes justificationes Dei. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. Secundum omnia verba haec, scripsit omni regno suo, et praeposuit principes populo, qui haec fieri cogerent. Et juserunt civitatibus Judae sacrificare. Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini, et fecerunt mala super terram, et effugaverunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis. Die quinta decima mensis Casleu, quinto et quadagesimo et centesimo anno aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, et per universas civitates Judae in circuitu aedificaverunt aras, et ante januas

domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant, et libros legis Dei combusserunt igne, scindentes eos, et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini, et quicumque observabat legem Domini, secundum edictum regis trucidabant eum. In virtute sua faciebant haec populo Israel, qui inveniebatur in omni mense et mense in civitatibus. Et quinta et vicesima die mensis sacrificabant super aram, quae erat contra altare. Et mulieres, quae circumcidebant filios suos, trucidabantur secundum jussum regis Antiochi, et suspendebant pueros a cervicibus per universas domos eorum, et eos, qui circumciderant illos, trucidabant. Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis, et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt, et facta est ira magna super populum valde.

II. Machab. VI.: Sed non post multum temporis misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judaeos, ut se transferrent a patriis et Dei legibus; contaminare etiam, quod in Hierosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii, et in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio; nam templum luxuria et commensationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus, sacratisque aedibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea, quae non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quae legibus prohibebantur. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Judaeum se esse quisquam confitebatur. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia; et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circumcui. Decretum autem exiit in proximas gentiliam civitates, suggerentibus Ptolemaeis, ut pari modo et ipsi adversus Judaeos agerent, ut sacrificarent; eos autem, qui nol-

lent transire ad instituta gentium, interficerent. Erat ergo videre miseriam.

Marc. VI.: Herodes misso spiculatore praecepit afferri caput Joannis in disco, et decollavit eum in carcere.

Act. XXIII.: Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit adstantibus sibi percutere os ejus. Tunc Paulus dixit ad eum etc.

II. Reg. XI.: Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriae, scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est proelium; et derelinquite eum, ut percussus intreat. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco, ubi sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderant de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethaeus.

Joann. XIX.: Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.

Luc. XXIII.: Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum vero tradidit voluntati eorum.

Exod. I.: Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebraeorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, praecipiens eis: Quando obstetricabitis Hebraeas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si foemina, reservate. Timuerunt autem obstetrices Deum, etc. Praecepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite; quidquid foeminini, reservate.

Matth. II. cap.: Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquiserat a Magis.

Esai X.: Vae, qui condunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio

pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? ad ejus confugietis auxilium? et ubi dereliquistis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

Matth. XV.: Jesus autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem. Et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum aut matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

Marc. VII.: Et dicebat illis: Bene irritum fecistis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum et matrem; et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit, et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis.

V.

Consensus quando alieni peccati nos reos facit?

Lev. 20, 4—6. Num. 16, 20—35. Jud. 8, 0—14. Hest. 14, 3. 15. 19. sq. Luc. 11, 47. 48.

1) Irenaeus lib. 4. cap. 40.

2) Act. 7. 59.

Cum, quod ab aliis fit nequiter, a nobis quasi suffragium accipit, et saltem tacite ¹ approbatur. Ita peccavit Saulus, in Stephani protomartyris necem ² con-

sentiens. Peccarunt et viri ex Judaeis plures quadraginta, ⁵ qui facta etiam voti nuncupatione in Pauli necem armarunt sese. Peccaverunt demum et cives ⁴ Hierosolymitani, suis magistratibus, quo Christus perderetur, suffragantes, ut idcirco Petrus illis exprobrans dixerit: ⁵ *Auctorem vitae interfecistis.* Notanda est igitur Pauli sententia: ⁶ *Non solùm qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Et huc referri potest, quod apud Cyprianum ⁷ legimus: Non est immunis a scelere, qui ut faceret, imperavit, nec alienus a crimine, cujus consensu licet non a se admissum crimen, tamen publicè legitur.

5) Act. 23, 12. 13.

4) Matth. 27, 20. Marc. 15, 14—15.

5) Act. 3, 15. et 2, 22. 25.

6) Rom. 1, 32.

7) Lib. 2. epi. 7., quae est Cleri Romani ad Cyprianum.

SCRIPTURAE.

Levit. XX.: Quod si negligens populus terrae, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem, qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam super hominem illum et cognationem ejus, succidamque et ipsum, et omnes, qui consenserunt ei, ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.

Num. XVI.: Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universae carnis, num, uno peccante, contra omnes ira tua desaeviet? Et ait Dominus ad Moysen: Praecepto universo populo, ut se-

paretur a tabernaculis Core et Dathan et Abiron. Surrexitque Moyses, et abiit ad Bathan et Abiron, et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quae cernitis, et non ex proprio corde ea protulerim: Si consueta hominum morte interierint, et visiterit eos plaga, qua et caeteri visitari solent, non misit me Dominus; sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia, quae ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum aperti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit a clamore pereuntium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

Judith. VIII: Haec itaque cum audisset Judith, quoniam Ozias promisisset, quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. Et venerunt ad illam, et dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei? Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus etc.

Hester XIV.: Et deprecabatur Hester Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus etc. Tu nosti, quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum et omnis alienigenae. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, et detester illud, quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei, et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum, et nunquam laetata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in praesentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham, Deus fortis super omnes etc.

Luc. XI.: Vae vobis, qui aedificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos: profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra.

Act. VII.: Saulus autem erat consentiens neci ejus.

Et XXIII.: Facta autem die, collegerunt se quidam ex Judaeis, et devoverunt se, dicentes, neque manducatorum, neque bibitorum, donec occiderent Paulum. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant.

Matth. XXVII.: Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populo, ut peterent Barrabam, Jesum vero perderent.

Marc. XV.: Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barnabam dimitteret eis etc. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, et tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.

Act. III.: Deus glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negastis,

et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.

Et Act. II.: Viri Israelitae, audite verba haec: Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.

Rom. I.: Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurriones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

P A T R E S.

IRENAEUS libro IV. contra haereses Valentini et similes, capite 46.: Et habemus praeceptum: Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Et iterum ait Apostolus: Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo fieri participes eorum. Et quemadmodum ibi peccantium damnatio participabat et reliquos, quoniam placebant eis, et una cum eis conversabantur: sic et hic modicum fermentum totam massam corrumpit.

Peccantium
damnatio
participat
reliquos.

CLERUS Romanus in epistola ad Cyprianum, quae apud eundem est septima libri secundi epistolarum: Sed etiam adversus illos, qui acta fecissent, licet praesentes, cum fierent, non affuissent, cum praesentiam suam utique, ut sic scriberentur, mandando fecissent. Non est enim immanis a scelere; qui, ut fieret, imperavit, nec est alienus

a crimine, cujus consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur.

VI.

Quando irritatione nobis peccatum alienum conflatur?

Cum scientes alium ad iram, vindictam, blasphemiam, crudelitatem, aut consimilia vitia sive dictis id fiat, sive factis, aut quacunque ratione alia, provocamus. Ut cum ¹ uxor Job patientissimo viro petulanter insultans, quantum in se quidem erat, suasit etiam Deum blasphemare. Et Tobiae ² uxor aequae morosa, maritum suis conviciis frequenter infestans et exasperans, hoc facit, ut vir anxius domesticam injuriam suspiriis, lacrymis et precibus ad Deum fuis prosequi cogatur. Contra vero monet ³ Ecclesiasticus: *Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam.* Sic et Salomon ⁴ dixit: *Semper jurgia quaerit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

1. Reg. 1, 6, 7. Psal. 105, 15. 16. 2. Mach. 14, 23 - 27. Galat. 5, 26. Ephes. 6, 4. Col. 3, 21.

1) Job 2, 9.

2) Tob 2, 14 - 23. et 3, 1 - 12.

3) Eccl. 28, 10, 11. Prov. 15, 18. 18, 6. 22, 10. 26, 17 - 22. 29, 22. 30, 33.

4) Prov. 17, 11. 3, 30 - 35. Esaias 53, 1.

SCRIPTURAE.

I. Reg. I.: Affligebat quoque Annam aemula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret, quod Do-

minus conclusisset vulvam ejus, sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini, et sic provocabat eam.

Psalm. CV.: Dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

II. Machab. XIV.: Morabatur autem Nicanor Hierosolymis, nihilque inique agebat, gregesque turbarum, quae congregatae fuerant, dimisit. Habebat autem Judam semper carum ex animo, et erat viro inclinatus. Rogavitque eum ducere uxorem filiosque procreare. Nuptias fecit, quiete egit, comiterque vivebant. Alcimus autem videns caritatem illorum ad invicem et conventiones, venit ad Demetrium, et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire. Iudamque regni insidiatorem, successorem sibi destinasse. Itaque rex exasperatus, et pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiae conventionem, jubere tamen Machabaeum citius vinctum mittere Antiochiam.

Gal. V.: Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

Ephes. VI.: Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.

Col. III.: Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

Job II.: Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.

Tob. II.: Sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus, irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Anna vero uxor ejus ibat ad opus

textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. Unde factum est, ut hoedum caprarum accipiens detulisset domi. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Ad haec uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt. Atque his et aliis hujusmodi verbis exprobrabat ei.

Et cap. III.: Tunc Tobias ingemuit, et coepit orare cum lacrymis, dicens: Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viae tuae, misericordia, et veritas, et judicium etc. Eadem die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui, quoniam tradita fuerat septem viris, et daemonium nomine Asmodaeus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Numquid et occidere me vis, sicut jam occidistis septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suae, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis, deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.

Eccl. XXVIII.: Abstine te a lite, et minues peccata etc., ut in textu. Secundum enim ligna silvae, sic ignis exardescit, et secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem et lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit, et si expueris super illam, exstinguetur: utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit

illos de gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit etc.

Prov. XV.: Vir iracundus provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas.

Et cap. XVIII.: Labia stulti miscent se rixis, et os ejus jurgia provocat.

Item cap.: XXII.: Ejice derisorem, et exibat cum eo jurgium, cessabuntque causae et contumeliae.

Et cap. XXVL: Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixae alterius. Sicut noxius est, qui mittit sagittas et lanceas in mortem, ita vir, qui fraudulentè nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis, et susurrone subtracto, jurgia conquiescunt. Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas. Verba susurrionis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris.

Item cap. XXIX.: Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivis.

Et cap. XXX.: Qui fortiter premit'ubera ad elicendum lac, exprimit butyrum, et qui vehementer emungit, elicit sanguinem, et qui provocat rixas, producit discordias.

Prov. XVII.: Semper jurgia quaerit malus etc.

Et cap. III.: Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. Ne aemuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus, quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Egestas a Domino in domo impii; habitacula autem justorum benedicentur. Ipse deludet illusores et mansuetis dabit gratiam. Gloriam sapientes possidebunt; stultorum exultatio, ignominia.

Esai. XXXIII.: Vae, qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris depraedationem, depraedaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

VII.

Quando per laudationem, vel adulationem nostram peccato alieno foedamur?

Cum aliquem in malefactis, vel de improbitate commendamus, vel tanquam re bene gesta, calcar addimus male currenti, ut ille in pravo instituto pergat.

*Vae*¹ autem, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas, ut est apud Prophetam. In hoc vitium incidunt nonnunquam Ecclesiastici² concionatores, et magistratus male vulgo blandientes, dum ejus licentiae palam favent et applaudunt. Recte autem Esaias: ³ *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipse te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Unde Paulus eos jubet vitari Doctores, ⁴ qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Quoniam enim laudatur peccator in desideris animae suae, et iniquus benedicitur, exacerbabit Dominum peccator, ut ⁵ regius Propheta testatur.

Prov. 24, 24—28. 27, 2. 28, 25. Psal. 140, 5. Esai. 5, 20. Chrys. hom. 2, de Davide et Saule. Cyp. de lapsis. Basil. homil. in Psalm. 61. Aug. in Psalm. 134.

1) Eszech. 13, 18.

2) Hiero. 14, 13—16. 23, 13—40. 27, 9—15. 28, 15—17. 29, 8—10. Thren. 2, 14. 15. Mich. 3, 5—7. 11. 12. 3. Reg. 22, 4—38.

3) Esai. 3, 12. 9, 15—17. 30, 9—14.

4) Rom. 16, 17. 18. 2. Petr. 2, 1—3. Hiero. lib. 1. adversus Pelag. et lib. 2. adversus Jovin.

5) Psal. 9, 24. 25. 54, 22. Prov. 1, 10—14. 16, 29. 30, 17. 15. 20, 5. 6. Eccl. 7, 6. Hierem. 9, 3—9.

Proverb. XXIV.: Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus; qui arguunt eum, laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet. Praepara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, et postea aedifices domum tuam. Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis.

Et cap. XXVII.: Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus, et non labia tua. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

Et XXVIII.: Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille, qui per linguae blandimenta decipit.

Psalm. CXL.: Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impugnet caput meum.

Es a. V.: Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.

Ez e ch. XIII.: Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant, et dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus: Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desertis, prophetae tui Israel erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in proelio in die Domini. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis, ait Dominus: cum ego non sim locutus. Propterea haec dicit Dominus Deus: Quia locuti

estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium; in concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, et scietis, quia ego Dominus Deus, eo, quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, et non est pax; et ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos, qui linunt absque temperatura, quod casurus sit; erit enim imber inundans, et dabo lapides praegrandes desuper irruentes, et ventum procellae dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries, numquid non dicetur vobis: Ubi est litura, quam linistis? Propterea haec dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes in ira in consumptionem. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento, et adaequabo eum terrae, et revelabitur fundamentum ejus, et cadet, et consumetur in medio ejus, et scietis, quia ego sum Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, et in his, qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: Non est paries, et non sunt, qui liniunt eum. Prophetae Israel, qui prophetant ad Hierusalem, et vident ei visionem pacis, et non est pax, ait Dominus Deus. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quae prophetant de corde suo, et vaticinare super eas, et dic: Haec dicit Dominus Deus: Vae, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas, et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credendi mendaciis. Propter hoc haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas

volantes, et dirumpam eos de brachiis vestris, et dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad praedandum, et scietis, quia ego Dominus. Pro eo, quod moerere fecistis cor justii mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret: propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius, et eruam populum meum de manu vestra, et scietis, quia ego Dominus.

Hierem. XIV.: Prophetae dicunt eis: Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me: Falso prophetae vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, et divinationem fraudulentam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. Idcirco haec dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: Gladius et fames non erit in terra haec. In gladio et fame consumentur prophetae illi. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Hierusalem praefame et gladio, et non erit, qui sepeliat eos; ipsi et uxores eorum, filii et filiae eorum, et effundam super eos malum suum.

Et cap. XXIII.: Et in prophetis Samariae vidi fatuitatem, et prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israel. Et in prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii, et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua; facti sunt mihi omnes, ut Sodoma, et habitatores ejus quasi Gomerrha. Propterea haec dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle; a prophetis enim Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Haec dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur non

de ore Domini. Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis; et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui; dixerunt: Non veniet super vos malum. Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit et audivit sermonem ejus? Quis consideravit verbum illius, et audivit? Ecce turbo dominicae indignationis egredietur, et tempestas erumpens, super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui. In novissimis diebus intelligetis consilium ejus. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? Numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus? Audivi, quae dixerunt prophetae, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? Qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quae narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres nominis mei propter Baal. Propheta, qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus: qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus: qui assumunt linguas suas, et ajunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus: qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. Si igitur interrogaverit

te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Ut quid vobis onus? Projiciam quippe vos, dicit Dominus. Et propheta et sacerdos, et populus, qui dicit: Onus Domini: visitabo super virum illum, et super domum ejus. Haec dicetis unusquisque ad proximum et ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? Et quid locutus est Dominus? Et onus Domini ultra non memorabitur; quia onus erit unicuique sermo suus, et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri. Haec dices ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus? et quid locutus est Dominus? Si autem onus Domini dixeritis: propter hoc haec dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini, et misi ad vos, dicens: Nolite dicere onus Domini; propterea ecce tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem, quam dedi vobis, et patribus vestris, a facie mea. Et dabo vos in opprobrium sempiternum; et in ignominiam aeternam, quae nunquam oblivione delebitur.

Et cap. XXVII.: Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis. Quia mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra, et ejiciant vos, et pereatis etc. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquantur vobis. Quia non misi eos, ait Dominus; et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, ut ejiciant vos, et pereatis tam vos quam prophetae, qui vaticinantur vobis.

Item cap. XXVIII.: Et dixit Hieremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi Hanania, non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terrae, hoc anno morieris; adversum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.

Et XXIX.: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non vos seducant prophetae vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri, et ne attendatis ad somnia vestra, quae vos somniatis. Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo, et non nisi eos, dicit Dominus. Quia haec dicit Dominus: Cum coeperint etc.

Thren. II.: Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Hierusalem.

Mic h. III.: Haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem; si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super illum praelium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebrae vobis pro divinatione, et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur, qui vident visiones. Et paulo post: Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetae ejus in pecunia divinabant, et super Dominum, requiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.

III. Reg. XXII.: Et ait rex Israel ad Josaphat: Veniesne mecum ad praeliandum in Ramoth Galaad? Dixitque Josaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita et tu; populus meus et populus tuus unum sunt; et equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Quaere, oro te, hodie sermonem Domini. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in

manu regis. Dixit autem Josaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? Et ait rex Israel ad Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michaeas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita rex. Vocavit ergo rex Israel Eunuchum quemdam, et dixit ei: Festina adducere Michaeam filium Jemla. Rex autem Israel, et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo vestiti cultu regio, in area juxta ostium portae Samariae, et universi prophetae prophetabant in conspectu eorum. Fecit quoque sibi Sedécias filius Chanaana cornua ferrea, et ait: Haec dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. Omnesque prophetae similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. Nuntius vero, qui ierat, ut vocaret Michaeam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones Prophetarum ore uno regi bona praedicant; sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona. Cui Michaeas ait: Vivit Dominus, quia, quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit itaque ad regem, et ait illi rex: Michaea, ire debemus in Ramoth Galaad ad praeliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus quasi oves non habentes pastorem, et ait Dominus: Non habent isti Dominum; revertatur unusquisque in domum suam in pace. (Dixit ergo rex Israel ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?) Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris: et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, et

cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, et alius aliter. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, et praevaleris; egredere, et fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michaeam in maxillam, et dixit: Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi? Et ait Michaeas: Visurus es in die illa, quando ingredieris in cubiculum, intra cubiculum, ut abscondaris. Et ait rex Israel: Tollite Michaeam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech, et dicite eis. Haec dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiae, donec revertar in pace. Dixitque Michaeas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes. Ascendit itaque rex Israel, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat: Sume arma etc. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurigae suo: Verte manum tuam, et ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. Commissum est ergo praelium in die illa, et rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere; fluebat autem sanguis plagae in sinum currus, et praeco insonuit in universo exercitu, antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem et in terram suam. Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam, sepelieruntque regem in Samaria, et laverunt currum ejus in piscina Samariae, et linerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat.

Esa. III.: Popule meus, qui te beatum dicunt etc., ut in textu.

Et cap. IX.: Longaevus et honorabilis, ipse est caput, et propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes; et qui beatificantur, praecipitati. Propter hoc etc.

Item cap. XXX.: Populus ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre, et adspicientibus: Nolite adspicere nobis ea, quae recta sunt. Loquimini nobis placentia: Videte nobis errores: Auferite a me viam: Declinate a me semitam: Cesset a facie nostra sanctus Israel. Propterea haec dicit sanctus Israel: Pro eo, quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia, et in tumultu, et innixi estis super eo; propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus. Et comminuetur, sicut conteritur lagenae figuli contritione pervalida, et non inveniatur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea.

Roman. XVI.: Rogo autem vos, fratres. ut observetis eos, qui dissensiones et offencicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.

I. epist. D. Petr. cap. II.: Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. Et paulo post: Hi vero,

ut irrationabilia pecora etc. pellicientes animas instabiles etc. Hi sunt fontes sine aqua et nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis, carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est.

Psalm. IX.: Quoniam laudatur peccator etc., ut in textu.

Et Psalm. LIV.: Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.

Prov. I.: Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum, sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus; implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsapium unum sit omnium nostrum.

Et cap. XVI.: Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

Et cap. XVII.: Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

Item cap. XXIX.: Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. Peccantem virum iniquum involvet laqueus, et justus laudabit atque gaudebit.

Ecccl.: VII.: Melius est a sapiente corripui, quam stultorum adulatione decipi.

Hierem. IX.: Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis; confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia

omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudalenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur; docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt. Habitatio tua in medio doli, in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Propterea haec dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos; quid enim aliud faciam a facie filiae populi mei? Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea?

P A T R E S.

1. CHRYSOSTOMUS homilia 2. de Davide et Saule, cujus titulus est: Magnum esse bonum non tantum exercere virtutem, verum etiam laudare etc. Non oportet expetere modo et aemulari virtutem, verum etiam eos, qui amplectuntur, laudibus vehere, et admirandos praedicare, nobis fructum aliquem, eumque haud vulgarem, adfert. Quemadmodum ex adverso pravitatem non aemulari tantum, verum etiam in ea viventes laudare supplicium haud mediocre nobis conciliat; et si fas est, quiddam novum et admirandum dicere, gravius supplicium, quam manet illos ipsos, qui male vivunt. Id declarans Paulus, posteaquam omnem malitiae speciem enumerarat, accusassetque omnes, qui leges Dei conculcant, de illis ipsis mox subjicit: Qui cum Dei justitiam nossent, quod, qui talia faciunt, digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed et comprobant illa facientes: demonstrans hoc esse gravius illo. Nam collaudare in super delinquentes, quod ad supplicii pertinet aestimationem, longe plus est, quam delinquere. Idque jure optimo, propterea, quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plane corrupto, et insanabili morbo laborante. Siquidem is, qui, dum peccat, condemnat interim peccatum suum, poterit aliquando temporis progressu ad se redire; caeterum qui laudat malitiam, is se ipsum privavit curatione, quam adfert poenitentia. Proinde merito Paulus pronuntiavit hoc illo esse gravius. Itaque sicuti qui prava non

Laudandi
mali non
sunt.

Rom. 1. 32.

Plus est pec-
cantes lau-
dare, quam
delinquere.

tantum faciunt, verum etiam tales collaudant ac praedicant, eandem aut etiam graviolem poenam sortiuntur: ita qui bonos laudibus vehunt ac suspiciunt, coronarum illis repositarum fiunt participes. Quod ipsum ita esse, e scriptura licet perspicere. Deus enim ita loquitur Abrahæ: Benedicentibus tibi benedicam, et maledicentibus tibi maledicam.

Probos laudare, fructuosum est.

Gen. 12. 8.

2. CYPRIANUS in sermone de lapsis: Cum scriptum sit: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum turbant. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccanti fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo et castigo. Sic oportet et Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnery sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est et secundum, et putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet, et conqueratur aeger impatiens per dolorem: gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.

Adulatione nutriuntur delicta.

Apo. 5, 19.

Simile de contrectatione vulnerum.

3. BASILIUS homilia in psalmum LXI.: Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. Multi namque sunt, qui pro bonis pravas comprobant actiones, et vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem, urbanum ac lepidum; turpiloquum vero, politicum; amarulentum et iracundum, neutiquam contemnendum praedicant; parcum vero ac minime liberalem, ut sobrium dispensatorem commendant; prodigum quoque, ut liberalem; libidinosum et lascivum, ut voluptuarium et animi solutio-ri virum. Utque semel omnia, vitium omne palliant adumbrata nomenclatura e vicino subjectae virtutis. Tales sane ore quidem benedicunt, corde autem maledicunt ac devotent. In verborum namque benedictione omnem execrationem vitae suae inducunt, ac reos aeternae damnationis ob ea, quae approbant, sese constituunt.

Psal. 61, 8.

Vitia nonnulla, quae virtutum nominibus commendantur.

Approbantes vitia sese damnationis obnoxios reddunt.

4. AUGUSTINUS in Psalmum CXXXIV.: Cogitate et videte, quoniam quidquid aliud laudatis, ideo laudatis, quia bonum est. Insanit, qui laudat, quod non est bonum. Si laudes iniquum eo ipso, quod iniquus est, nonne et tu iniquus es? Si laudes furem eo ipso, quod fur est, nonne tu particeps eris? Si laudes justum in eo ipso, quod justus est, nonne et tu habes inde partem laudan-

Insaniunt, qui laudant, quod malum est.

do? Non enim laudares justum, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes.

5. HIERONYMUS libro I. adversus Pelagianos: Si servus Dei nihil amarum de suo debet ore proferre, sed semper quod dulce et suave est; aut sacerdos et doctor servi Dei non erunt, qui fiducialiter debent corripere peccantes, et nulli adulari, sed audacter omnes increpare; aut, si sacerdos et doctor, non solum servi Dei, sed inter servos ejus principalem tenent locum, frustra servi Dei blanditias et dulcedines reservasti. Cum hoc proprie haereticorum sit, et eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo: Hujusmodi enim Christo Domino non ser-viunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Semper insidiosa, calidula, blanda est adulatio. Pulchreque adulator apud philosophos definitur blandus inimicus. Veritas amara est, rugosae frontis ac tristis, offenditque correctos. Unde et Apostolus loquitur: Inimicus vobis factus sum, veritatem dicens vobis? Et comicus: Obsequium amicos, veritas odium parit. Quapropter et pascha cum amaritudinibus comedimus, et vas electionis docet pascha celebrandum in veritate, et sinceritate. Veritas in nobis sit et sinceritas, et amaritudo illico consequetur.

6. ET libro II. adversus Jovinianum: Nunc restat, ut Epicurum nostrum, subantem in hortulis suis inter adolescentulos et mulierculas, alloquamur. Favent tibi crassi, nitidi, dealbati. Adde: si vis, juxta Socraticam irrisionem omnes sues et canes, et quia carnem amas, vultures quoque, aquilae, accipitres et bubones. Nunquam nos Aristippi multitudo terrebit. Quoscumque formosos, quoscumque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imo inter tuos sues gruniunt. De nostro grege tristes, pallidi, sordidati, et quasi peregrini hujus saeculi, licet sermone taceant, habitu loquuntur et gestu: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est; habitavi cum habitantibus Cedar, videlicet in tenebris hujus mundi, quia lux lucet in tenebris, et tenebrae eam non comprehenderunt. Ne glorieris, quod multos discipulos habeas. Filius Dei docuit in Judaea, et duodecim tantum illum Apostoli sequebantur. Torcular, inquit, calcavi solus, et de gentibus vir non est mecum. Ille in passione solus remansit, et Petri quoque erga eum trepidavit constantia; Pharisaorum autem doctrinae omnis populus applaudebat, dicens: Crucifige, crucifige talem.

Haereticorum proprium, per blanditias decipere.
Rom. 16, 18.

Adulator blandus inimicus.

Galat. 4, 16.
Terent. in And.
Exod. 12, 8.
1. Cor. 5, 8.

Jovinianus haereticus abstinentiae et castitatis hostis quales discipulos habeat.

Psalm. 119, 6.
Joan. 4, 5.

Ess. 65, 8.

Luc. 25, 21.
Joan. 19, 6.

Non habemus regem, nisi Caesarem, id est, vitia sequimur, non virtutes; Epicurum, non Christum; Jovinianum, non apostolum Paulum. Quod multi acquiescant sententiae tuae, indicium voluptatis est; non enim tam te loquentem probant, quam suis favent vitiiis. In circulis platearum quotidie fictus hariolus stultorum nares verberat, et oborto fuste dentes mordentium quatit; nec tamen deest, qui semper possit induci, et pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennae succidiae nutrias? Post praeconium tuum et balneas, quae viros pariter et foeminas lavant, omnis impatientia, quae ardentem prius libidinem quasi verecundiae vestibibus tegebat, nudata est et exposita, quae ante in occulto erant, nunc in propatulo sunt. Ostendisti tales discipulos, non fecisti. Hoc profecit doctrina tua, ut peccatum ne poenitentiam quidem habeat. Virgines tuae, quas prudentissimo consilio, quod nemo unquam legerat, nec audierat, de Apostolo docuisti: Melius est nubere; quam uri. Occultos adulteros in apertos verterunt maritos; non suavit hoc Apostolus, non electionis vas. Virgilianum consilium est: Conjugium vocat, hoc praetexit nomine culpam. Quadringenti ferme anni sunt, quod Christi praedicatio fulget in mundo, ex quo innumerabiles haereses tunicam illius consciderunt. Universus paene error de Chaldaeo et Syro, et graeco sermone processerat. Basilides, magister luxuriae, et turpissimorum complexuum, post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum, transformatus est, ut latina quoque lingua haberet haeresim suam. Nullane fuit alia in toto orbe provincia, quae reciperet praeconium voluptatis, in quam coluber tortuosus irreperet, nisi quam Petri doctrina super petram fundaverat Christum, vexillum crucis et praedicationis austeritas, idolorum templa destruxerat? E regione luxuria ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Unde per Esaiam loquitur Deus: Populus meus, qui vos beatificant, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum conturbant. Nec non per Hieremiam: Fugite de medio Babylonis, et servate unusquisque animam suam, et nolite credere pseudoprophetae, qui dicunt, pax, pax, et non est pax; qui semper ingeminant, templum Domini, templum Domini. Prophetae tui viderunt tibi falsa et insipientia; non aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent; qui devorant plebem Dei, ut cibum panis, Deum non invocaverunt. Hieremias, captivitatem nuntians, lapidatur a populo. Ananias, filius Azur, fran-

Car Jovinianus haereticus multos sectatores habeat.

Nota.
1. Cor. 7, 9.
4. Aeneid.

Praeco voluptatis Jovinianus.

Esa. 5, 18.

Hier. 51, 6.
48, 6.

Hier. 7, 4.
Thren. 2, 9.

Psal. 15, 4.
Hier. 29, 1. sq.

Pseudoprophetæ semper dulcia pollicentur.

Amara veritas.
1. Cor. 5, 8.
Exod. 12, 8-10
Joviniani doctrina
Caelibes quasi caelo digni.

Hier. 5, 8.

Grex Joviniastarum.

Urbs Romae commendatio.
Rom. 1, 8.

gebat ad praesens ligneas torques, et in futuram ferreas praeparabat. Semper pseudoprophetae dulcia pollicentur, et ad modicum placeant. Amara est veritas, et qui eam praedicant, replentur amaritudine; in azymis enim veritatis et sinceritatis, Domini pascha celebratur, et cum amaritudinibus comeditur. Egregia sane vox, et quam audiat sponsa Christi, inter virgines, et viduas, et caelibes, unde et ipsum nomen inditum est, quod caelo digni sint, quia coitu careant. Raro jejunate, crebrius nubite; non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulsum et carnes et nucleum sumpseritis. Viribus opus est ad libidinem. Cito caro consumpta marcescit. Nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest; habet enim ad despumandas libidines solatia nuptiarum. Quod et si cecideritis, redintegrabit vos poenitentia; et qui in baptismo fuistis hypocritae, eritis in poenitentia solidae fidei. Neque turbemini, putantes inter justum et poenitentem aliquid interesse, et humiliorem gradum dare quidem veniam, sed coronam tollere; una est enim retributio: qui ad dexteram steterit, introibit in regna caelorum. His consiliis subulci tui pastoribus nostris ditiores sunt, et hirci plurimas secum capras trahunt. Equi insanientes in foeminas facti sunt, statim ut mulieres viderint, adhiñunt, et impatientiam suam, pro nefas, scripturarum solantur exemplis. Sed et ipsae mulierculae miserae, et non miserabiles, praeceptorum sui verba cantantes: Quid enim nisi semen requirit Deus? non solum pudicitiam, sed etiam verecundiam perdidit, majorique procacitate defendunt libidinem, quam exercent. Habes praeterea in exercitu tuo plures succenturiatos; habes scurras et velites in praesidiis, crassos, comptos, nitidos, clamatores, qui te pugnis calcibusque defendant. Tibi cedunt de via nobiles; tibi osculantur divites caput. Nisi enim tu venisses, ebrii atque ructantes paradisi intrare non poterant. Macte virtute, immo vitis, habes in castris tuis, et Amazonas exserta mamma, et nudo brachio et genu, venientes contra se viros, ad pugnam libidinum provocantes. Et quia opulentus paterfamilias es, in aviariis tuis non turtures, sed upupae nutriuntur, quae tota foetidae voluptatis lustra circumvolent. Me carpe: me disjice; obijce crimina, quae volueris; argue luxuriae et deliciarum: magis me amabis, si talis fuero; ero enim de armento tuo. Sed et ad te loquar, quae scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delesti: Urbs potens, urbs orbis domina, urbs

Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma, aut fortitudinis nomen est apud Graecos, aut sublimitatis, juxta Hebraeos; serva quod diceris: virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per poenitentiam, habens exemplum Nivivitarum. Cave Jovini-
Apo. 17. 1. et 18. 8. sq. Joviniani nomen ab idolo derivatum.

ni nomen, quod de idolo derivatum est. Squallet Capitolium: templa Jovis et caeremoniae conciderint, cur vocabulum ejus et vitia apud te vigeant? adhuc sub regibus et sub Numa Pompilio facilius majores tui Pythagorae continentiam, quam sub consulibus Epicuri luxuriam susceperunt.

VIII.

Quando reticentiae nostrae culpa peccatum alienum in nos redundat?

Quum intempestivum nostrum silentium sive subdito, sive cuivis alteri adfert detrimentum. Exempli causa, si docendi, monendi, corripiendique fratris aut populi nobis munus incambit, et in eo interim, dum prodesse possumus, sine justa causa cessamus. Unde per Esaiam testatur Dominus omni evangelizanti: ¹ *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Audi porro periculum in his, qui non abs re canes ² muti, latrare non valentes, dicuntur: ³ Si dicente me ad impium, dicit Dominus: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et*

Bernard. de nativ. Joan. BAPT. Greg. 2. parte curae pastoralis cap. 4. August. epist. 109. et hom. 7. ex 50. Prosp. lib. 1. de vita contemp. cap. 20. Isidor. de summo bono lib. 3. cap. 44. 45 et 46.

1) Esa. 58. 1. Hier. 23. 21. 22. 26. 1 - 3. 50. 1. 2. Jonae 1. 1 - 4. 1. Corinth. 9. 16. 17.

2) Esa. 56. 10.

3) Ezech. 3. 18. et 33. 1 - 9. et ibidem Hieronymus. Item Greg. hom. 11. in Ezech. Act. 20. 17. Esa. 6. 5. Heet. 4. 13. 14.

ulvat: ipse implus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Adeo necessarium est observatu, quod Paulus non sine gravi obtestatione postulat: ⁴ Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Tum idem alibi: ⁵ Peccantes, inquit, coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.

4) 2. Tim. 4, 2. Tit. 1. 7—13. 2, 45. Chryst. hom. 6. in epi. ad Philip.

5) 1. Timoth. 5, 20. Levit. 19, 17. August. ser. 15. et 10. de verb. Domini.

SCRIPTURAE.

Esaiæ LVIII: Clama, ne cesses etc., ut in textu.

Hierem. XXIII: Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba populo meo; avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis.

Et cap. XXVI: In principio regni Joachim filii Josiae regis Juda, factum est verbum istud a Domino, dicens: Haec dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt, et adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi, ut loquaris ad eos; noli subtrahere verbum: si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala; et poeniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.

Item cap. L.: Verbum, quod locutus est Dominus de Babylone, et de terra Chaldaeorum in manu Hieremiae prophetae: Annuntiate in gentibus, et auditum facite, levate signum, praedicate, et nolite celare; dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel; victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum.

Jonae I.: Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge, et vade in Niniven civitatem grandem, et praedica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare etc.

I. Corinth. IX.: Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

Esaiæ LVI.: Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia.

Ezech. III.: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris; non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ipse morietur, quia non annuntiasti ei in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus, quas fecit; sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti.

Et cap. XXXIII.: Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terrae virum unum de novissimis suis, et

constituerit eum super se speculatorem, et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo: Audiens autem quisquis ille est, sonitum buccinae, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum; sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinae audivit, et non se observavit, sanguis ejus in ipso erit; si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis speculatorem dedisti domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur: Porro tu animam tuam liberasti.

Act. cap. XX.: A Mileto autem mittens Paulus Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiae. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate et lacrymis, et tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, testificans Iudaeis atque Gentilibus in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.

Esa. VI.: Vae mihi, quia tacui.

Hèsther IV.: Mardocheus rursum mandavit Hesther,

dicens: ne putes, quod animam tuam tantum liberēs, quia in domo regis es prae cunctis Judaeis; si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judaei, et tu et domus patris tui peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

I. Timoth. IV.: Praedica verbum etc., ut in textu.

Tit. I.: Oportet Episcopum etc. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere etc. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.

Et cap. II.: Haec loquere et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

I. Timoth. V.: Peccantes, coram omnibus argue etc., ut in textu.

Levit. XIX.: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.

P A T R E S.

1. BERNARDUS in sermone de nativitate sancti Joannis Baptistae: Nemo (fratres) vitia palpēt; peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, numquid custos fratris mei sum ego? Nemo, quod in se est, aequanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire silere, cum arguere possis, et scimus, quia similis poena facientes maneat et consentientes.

Gen. 4, 9.

Silere, cum possis arguere, consentire est. Rom. 1, 32.

2. GREGORIUS in secunda parte curae pastoralis, capite 4.: Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Saepe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, et juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiae pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente

Discretio in silentio.

Contra silentium pastorum Joan. 10, 12. 15.

lupo fugiant, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare. Hinc rursus queritur, dicens: Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in proelio in domo Domini. Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contra ire. Et in die Domini in proelio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est, quam tacendo terga praeuisse? qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur: Propheetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent. Propheetae quippe in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiva esse praesentia indicant, quae sunt ventura, manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia, dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis, sermo correptionis est, quia increpationis culpam detegit, quam saepe nescit ipse etiam, qui perpetravit. Hinc Paulus ait: Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, redarguere. Hinc per Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Hinc per Esaiam Dominus admonet, dicens: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Praeconi quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si praedicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est praeco mutus? Hinc est enim, quod super pastores primos in linguarum specie spiritus sanctus insedit, quia nimirum, quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi praecipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces praedicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendant. Scriptum quippe est: Audiat ronus, quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo ronus non audiat: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine ronu praedicationis incedit.*

Esa. 56, 10.
Ezech. 45, 6.

Thron. 2, 14.

Tit. 1, 9.

Malach. 2, 7.

Esa. 56, 1.

Sacerdotes
praeconis of-
ficium susci-
piunt.

Act. 2, 4.

Exod. 28, 35.

Ibidem.

3. AUGUSTINUS in epistola 109. ad Monachas: Si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliqua vestrum adverteritis, statim admonete, ne coepta progrediantur, sed ex proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterum, vel alio quocunque die id ipsum eam facere videritis, jam velut vulneratam sanandam prodat, quacunque invenire potuit hoc, prius tamen et alteri vel tertiæ demonstratam, ut duarum vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolas, quando hoc judicatis. Magis quippe innocentes non estis, si sorores vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eam debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde? Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in caeteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, vindicandisque peccatis diligenter observetur, cum dilectione hominum et odio vitiorum.

Matth. 49. 15.

Benevolentiae et caritatis officium est peccantes apud superiores deferre.

4. IDEM in libro 50. homiliarum, homilia 7.: Si diligenter attenditis, fratres carissimi, omnes sacerdotes Domini, non solum Episcopos, sed etiam presbyteros et ministros Ecclesiarum, in grandi periculo esse cognoscitis. Ipsi enim contestatur spiritus sanctus, dicens: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Et iterum: Si non annuntiaveris iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. De ipsis etiam Apostolus dicit: Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant tanquam rationem reddituri, de animabus vestris. Si pro se, fratres carissimi, unusquisque vix poterit in die iudicii rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animae requirendae? Et ideo considerantes periculum nostrum, orate pro nobis, ut commissis nobis gregibus, ita spiritalia pascua studeamus jugiter providere, ut pro eis rationem bonam reddere mereamur. Considerate ergo, fratres carissimi, quid sit, quod volo vestrae dilectioni suggerere, si tamen orantibus vobis merear, ut adjuvet me, qui terret me. Inter caetera praecepta sua beatus Apostolus hoc etiam ait, Episcopum potentem esse debere in doctrina sana, contradicentes redarguere. Magnum *) opus, sed gravius sarcina. Sperabo tamen in Deum, quoniam adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, liberabit nos de

Periculum pastorum et Ecclesiae ministrorum.

Isa. 58. 1.

Ezech. 3. 18. 20.

Hebr. 13. 17.

Tit. 1. 9.

*) alias, magnus honor Psal. 90. 5. Reluctantiae causa, timor

humana esse solet.

laqueo venantium et a verbo aspero. Nulla enim causa est, quae magis faciat dispensatorem Dei pigriorem ad arguendos contradicentes, quam timor verbi asperi. Dum enim timemus detractiones, irrisiones et opprobria hominum superbiorum, dumque ab eis in terrena substantia metuimus praegravari, timentes perdere temporalia, minus quam oportet praedicamus aeterna. Et ideo, dum per eorum nequitiam aliquid mundanum perdere formidamus, peccatorum eorum vulnera medicamentis spiritualibus curare negligimus. Unde timendum est, ne et pro nobis et pro illis, quibus pro amore terrenarum rerum non loquimur dura, rationem in die iudicii reddere compellamur.

1. Petr. 5, 5.

5. PROSPER libro I. de vita contemplativa, capite 20.: Quod vero dicit Apostolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, si cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum bonis exhibeat, et malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim, nisi me fallat opinio, sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet: si quod praedicat fieri debere, non faciat; aut si quod non facit, praedicare praesumpserit. Si autem aliter egerit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, proficit, quia ad hoc est Ecclesiae Dei praepositus, ut non solum bene vivendo, alios exemplo suae conversationis instituat, sed etiam fiducialiter praedicando, singulis autem oculos peccata sua constituat, quae poena maneant duros, quae gloria obedientes ostendat; nullius salutem desperando contemnat; animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: Ut lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam. Et iterum: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Quapropter sciens, quod si quibuslibet divitibus ac potentibus parcat, male viventibus autem faveat, eos perdat simul et pereat, et sancte vivere debet propter exemplum, et docere propter suae administrationis officium; certus, quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima perentis exigitur: quando quicumque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus poenas sceleris sui dabit. Ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, et tamen perditte viuentes arguere aut crubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, si non hoc Dominus per Ezechielem prophetam sub cu-

Cur Ecclesiae praepositi constituti sunt.

2. Cor. 12, 21.
2. Cor. 11, 29.

Non satis est recte vivere, sed male viuentes etiam arguendi.

Ezech. 5, 47.
et 35. 2. 7.

jusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Nec hoc transeunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat, ut sicut speculatoris est de loco editiori prospicere et plus omnibus contemplari: ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, et majoris scientiae habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. Videamus jam quid divinus sermo contineat. Audiens, inquit, ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me, ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit, quod illi Deus inspiraverit, non quod praesumptione humani sensus invenerit. Annuntiabis eis, inquit, ex me. Ex me, non ex te, mea verba loqueris. Non est, quo in eis tanquam de tuis inleris: Ex me, inquit, eis annuntia. Sed jam quid annuntiet, audiamus. Si me dicente ad impium: Impie morieris: si non fueris locutus, ut custodiat se impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Quid potuit expressius, quid apertius potest dici? Si impio, inquit, non locutus fueris, ut ab impietate sua se custodiat, et ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat, et te, qui non increpasti, et ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis, rogo, tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienus a fide, qui sententiae isti non credat?

Sacerdos est speculator.

ibidem.

Flammis traditur una cum peccante, qui peccantem non increpat.

6. ISIDORUS libro III. de summo bono, capite 44.: Non omnia tempora congruunt doctrinae, secundum Salomonis sententiam, dicentis: Tempus tacendi, et tempus loquendi. Non quidem per timorem, sed per discretionem propter malorum incorrigibilem iniquitatem, nonnunquam electos oportet a doctrina cessare. Interdum doctores Ecclesiae calore caritatis ardentes conticescunt a docendo, quia non est, qui audiat, testante Propheta, qui ait: Civitates Austri clausae sunt, et non est, qui aperiat. Qui docendi accepit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat, quae statim corrigere nequaquam existimat. Nam si corrigere potest, et dissimulat, verum est, quod consensum alieni erroris habeat.

Ecc. 5. Discretio in docendo adhibenda.

Hier. 18, 19.

Qui dissimulant, corrigere cum possunt, alieno peccato maculantur.

7. ET cap. 45.: Quibus docendi forma commissa est, multum subeunt periculi, si contradicentibus veritati resistere voluerint, dum Propheta doctorem Ecclesiae instruat, ad summum usque justitiae pervenire, cum dicit: Super

Metus impedire corripi.

entem non
debet.
Esa. 40, 9.
Ibidem.
Hier. 1, 17.

montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, scilicet ut ita praeemineat merito, sicut et gradu. Sequenter, ne forte debeat a docendo timore restringi, audiat: Exalta in fortitudine vocem tuam, et noli timere. Unde et Hieremiae ita Dominus ait: Accinge lumbos tuos, et surge; loquere ad eos, ne formides a facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum. Unde apparet, quia et non timere, donum Dei est. Qui personam potentis accipit, et veritatem loqui pertimescit, gravis culpae mulctatur sententia. Multi enim sacerdotes metu potestatis veritatem occultant. Et habentur rei, qui a bono opere vel a justitiae praedicatione rei alicujus formidine aut potestate terrente avertuntur. Sed heu proh dolor inde metuunt, quia vel amore rerum secularium implicantur, vel quia aliquo facinoris onere confunduntur. Multi praesules Ecclesiarum timentes ne amicitiam secularium perdant, et molestiam odiorum incurrant, peccantes non arguant, et corripere pauperum oppressores verentur, non pertimescentes, quod de veritate sint reddituri rationem, pro eo quod conticescunt de plebibus sibi commissis. Quando a potentibus pauperes opprimuntur, ad cripiendos eos boni sacerdotes protectionis auxilium ferunt, nec verentur cujusquam inimicitarum molestias, sed oppressores pauperum palam arguant, increpant, excommunicant, minusque metuunt eorum nocendi insidias, etiam si nocere valeant. Pastor enim bonus animam suam ponit pro ovibus. Sicut pervigil pastor contra bestias oves custodire solet, ita et Dei sacerdos super gregem Christi sollicitus esse debet, ne inimicus vastet, ne persecutor infestet, ne potentioris cujusquam cupiditas vitam pauperum inquietet. Pravi autem pastores non habent curam de ovibus, sed sicut legitur in Evangelio de mercenariis, vident lupum venientem, et fugiunt. Tunc enim fugiunt, quando potentibus tacent, et malis resistere metuunt.

Unde timor
ille proficiscatur.

Honorum
praesulum et
sacerdotum
libertas.

Joan. 10, 11.

Ibidem.

Damnantur
pro iniquitate
populi pastores muti.

Ezech. 3, 17.
55, 2. 6. 7.
4. Reg. 1, 4.

Heli, pro filiorum iniquitate damnatus.

Hier. 6, 27.

8. ET cap. 46.: Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantibus non erudiant, aut peccantes non arguant, testante Dominó ad Prophetam: Speculatorem dedi te domui Israel. Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ille in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Sic enim Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, et licet eos delinquentes admonuerit, sed tamen non ut oportebat, redarguit. Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, et sagaci sollicitudine unumquemque probare,

juxta testimonium Domini ad Hieremiam loquentis: **Pro-** Corrigendi ut emendentur.
 batorem, inquit, dedi te in populo meo robustum, et scies, Es. 9, 16.
 et probabis vias eorum. Sacerdotes studio corrigendi, Publice qui corrigendi sint.
 facta perscrutari debent subjectorum, ut emendatos lucrifacere possint. Sicut autem peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari. Sacerdotes curam debent habere de his, qui pereunt, ut eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles existunt, ab Ecclesia separantur. Atrociter arguuntur, qui decipiendo peccantes non solum, quia non arguunt pro peccato, sed etiam adulanter decipiunt, dicente Propheta: Et erunt, qui beatificant Publice qui corrigendi sint. populum istum, seducentes, et qui beatificantur, praecipitati. Qui admonitus secrete de peccato, corrigi negligit, publice arguendus est, ut vulnus, quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. Manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda. Palam enim sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Nota. Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Utilius est enim, ut pro multorum salvatione unus condemnatur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Ita contra delinquentes sermo est proferendus, sicut ejus, qui corripitur, expostulat Lenitas semper in corde retinenda. salus. Quod si opus est aliquam medicamenti asperitatem verborum praedicatione adspargere, lenitatem tamen corde opus est retinere. Doctores nonnunquam durius feriunt increpationibus subditos; qui tamen a caritate eorum, quos corripunt, non recedunt. Saepe Ecclesiae censura arrogantibus videtur esse superbia, et quod a bonis pie fit, crudeliter fieri putatur a pravis, quia non discernunt recto oculo, quod a bonis recto fit animo.

9. **HIERONYMUS** in Ezechielis caput 3. super ea verba: Si dicente me ad impium etc. Magnum discrimen est, Dei tacere sermones, ob triplicem causam: vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulatorem. Unde et Esaias: Vae, inquit, mihi misero, quia taciui. Quodque sequitur: Tu autem animam tuam liberasti; Tribus de causis Dei sermones reticentur, idque periculo admodum. Es. 6, 1. 1. Cor. 5, 15. illud apostolicum sonat: Si cujus opus arserit, damnatum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, ut probet utrum speculator externus a causa sit mortis ejus, qui perit, an reus. Opus enim magistri, salus discipuli est. Notandumque quod possit justus cadere, et si habuerit magistrum, ad meliora converti. Et bona igitur opera indigent assiduo praecipitore, ne lapsus ab optimo cursu retrahat pedem.

10. ET in caput 33. super ea verba: Terra cum induxero etc. Ex quibus verbis discimus, posse hominem quamvis iniquum et impium, si magistri verba audierit, et egerit poenitentiam, a sua impietate salvari, nec minus magistrum subire discrimen, si docere noluerit, vel timore discriminis, vel desperatione peccantis, dum reus est sanguinis ejus, qui liberari potuit, et de morte erui, nisi magistri silentio concidisset, et in utroque liberum servari arbitrium, dum et in magistri voluntate est vel tacere vel loqui, et in auditoris arbitrio vel audire, et facere atque salvari, vel contemnere, et proprio perire contemptu. Et paulo post: Speculator terrae Judaeae, vel rex potest intelligi, vel propheta. Speculator autem Ecclesiae, vel episcopus, vel presbyter, quia a populo electus est, et scripturarum lectione cognoscens, et praevidens, quae futura sint, annuntiet populo, et corrigat delinquentem. Unde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, et assumpti a populo, negligentiae nos demus atque desidia, et quod his pejus est, deliciis ventricum et otio servientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium. Siquidem filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et pedes discipulorum lavit, ut ostenderet omnes sordes et vitia a magistris in discipulis debere dilui atque purgari. Nec statim respondeamus, quid prodest docere, si nolit auditor facere, quod docueris? Unusquisque enim ex suo animo atque officio judicatur: tu, si locutus non fueris ille, si audire contempserit. De magistris negligentibus Salomon loquitur: Sapientia abscondita et thesaurus occultus, quae utilitas in utrisque? Tale quid significatur et in Evangelio, quod qui scandalizarit unum de minimis Ecclesiae, expediat ei, ut alligetur ad collum ejus mola asinaria, et abjiciatur in profundum: quam in specula constitutus, plurimis noceat.

Roi sanguinis sunt magistri, qui docere nolunt.

Matth. 20, 28.
Joan. 13, 5.
sq.

Dicendum: etiamsi auditor non obtemperat.

Ecl. 20, 52.

Marc. 9, 41.

Ezech. 5, 48,
29.

Cur impius verba Dei non audiens, moriatur.

11. GREGORIUS homilia undecima super Ezechielem: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntia-veris, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, et ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. In quibus verbis quid nobis notandum est, quid sollicite cogitandum, nisi quia nec subjectus ex culpa praepositi moritur, nec praepositus sine culpa est, quando verba vitae non audiens, ex sua culpa moritur subjectus. Impio etenim mors debetur. Sed et a speculatore via vitae nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator taceat, ipse impius in

iniquitate sua morietur, quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non esset, ad quem speculatoris sermo fieret. Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, quicum tacendo morti prodidit. In quibus, utrisque pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque praepositorum, quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui praecost, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo fratres carissimi, pensate, quia et quod nos digni pastores non sumus, et jam ex vestra culpa est, quibus tales praelati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem delistis, etiam ex nostro hoc reatu est, quod obsistentes atque reclamantes in pravis desiderijs non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc, quod displicet, non tacemus. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat praedicator egregius, qui dicebat: Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quae propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidemus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Cum vero dicitur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram: si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus: quia si in subjectis suis is, qui praelatus ad speculandum est, et de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo de reatu de morte animae subjecti constringitur, quae potuisset semper vivere, si verba correctionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam, cum peccata carnis defleret, dixit: Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpa esse praepositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo, quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est: Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Unde hic quoque additur: si autem ea annuntiaveris impio, tu et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in impie-

Pastor tacens reus mortis perentium efficitur.

Act. 20, 26.

Sacerdos tacens quot occidat homines Sanguis quid significet.

Psal. 59, 16.

Prov. 6, 5.

tate sua moritur, tu autem animam tuam liberasti. Tunc enim subjectus moritur sine te, quoniam in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adjungeris. Et notandum, quae sunt, quae debeant a speculatore praedicari. Nimirum fides et operatio. Nam ait: Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia. Impietas quippe ad infidelitatem pertinet, via vero impia ad pravam actionem. Et omnis speculator hoc habere debet studii, ut prius ad pietatem fidei, postmodum ad piam viam, id est, ad bonam actionem trahat. Sed quia de exhortatione sermo se intulit, innotescere breviter debemus, in ore pastoris, quantus esse debeat ordo atque consideratio locutionis. Pensare enim doctor debet, quid loquatur, cui loquatur, quoniam loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe est: Si recte offeras, recte autem non divides, peccasti. Recte autem offerimus, cum bono studio bonum opus agimus. Sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. Saepe verba, quae hunc ad salutem revocant, alium vulnerant. Unde Paulus quoque Apostolus, qui Titum admonet, dicens: Argue cum omni imperio. Timotheum exhortatur dicens: Argue, obsecra, increpa cum omni patientia et doctrina. Quid est, quod uni imperium, et alii patientiam praecepit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse conspexit? Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi: is autem, qui per spiritum fervebat, per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo infervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.

12. CHRYSOSTOMUS homil. 6. in epistol. ad Philipp.: Vellem vobis perpetuo de regno disserere, de refocillatione, de aqua refocillationis, de loco viridis pascuae. Nam super aquam, inquit, recreationis pavit me, et in loco pascuae commorari me fecit. Vellem de loco disserere, ubi nec dolor est, nec moestitia, nec angustia. Vellem disserere de jucunda Christi praesentia. Quamquam omnem superant sermonem et omnem intellectum: attamen, ut possem, vellem ista disserere. Sed quid faciam? Non potest ad fabricitantem et male dispositum de regno dici. Nam interea, donec talis est, de sanitate dicendum fuerit. Non licet ad eum, qui obnoxius est poenae, de honore disserere. Nam antea quaerendum est, quo modo a poena et supplicio li-

Duo sunt a speculatore praedicanda, fides et bona opera.

Discretio in docendo.

Lev. 2. 4. sq.

Tit. 2. 15.
 2. Tim. 4. 2.
 Cur Timotheo imperium, Tito patientiam praecipiat Paulus.

Psal. 92. 9.
 Non expedit semper ea, quae auditu jucunda sunt, docere.

beretur. Nisi istud fuerit, quo modo illud esse poterit? propterea ista continue dico, ut ad illa confestim perveniamus. Nam et Deus hoc nomine gehennam minatus est, ut nemo in gehennam incidat, ut omnes regnum consequamur. Et nos ideo continue gehennae mentionem facimus, ut ad regnum vos impellamus, ut per timorem emollita mente vestra, quae regno digna sunt, facere instruamus. Ne sitis igitur ad verborum istorum gravitatem difficiles. Nam ista verborum gravitas occasionem animabus vestris a peccatis fugiendi parit. Nam et ferrum grave est, et malleus gravis: verum parant vasa utilia et argentea, et distorta dirigunt, ita ut, nisi gravia et dura essent, distortam materiam utique dirigere non possent. Ad hunc modum potest et gravis noster sermo animum componere. Ne fugiamus itaque verborum gravitatem, neque illorum verbera. Non inferuntur verbera, ut animum frangant, aut conterant, sed, ut corrigant. Novimus enim, quo pacto per gratiam Dei percutiamus, quomodo verbera inferamus, ad hoc valentia, ut non conteramus vasculum, sed ut extenuemus; ut dirigamus, ut utile faciamus Domino, ut offeramus illud splendidum bene excultum in illam diem, in qua fluvius erit igneus, ne opus habeat ferre flammam illic futuram. Nisi enim igne vos hic examinaverimus, necesse erit omnino, ut illic igne examinemini, nec licet aliter fieri. Dies enim Domini in igne revelatur. Melius est, ut sermonibus nostris exuramini modico tempore, quam perpetua illa gehennae flamma: prorsus enim manifestum est ita futurum.

Cur gehennam Christus et concionatores minantur.

Verborum aeveritas et gravitas utilis est admodum.

Dan. 7, 10.

1. Cor. 5, 12.

13. AUGUSTINUS sermon. 15. de verb. Domini: Jam

ergo obsecrant pueri indisciplinati et nolunt vapulare, qui sic praescribunt nobis, quoniam volumus dare disciplinam: Peccavi, ignosce mihi. Ecce ignovi, et iterum peccat. Ignosce, ignovi. Peccat tertio: Ignosce, tertio ignovi. Jam quarto, vapulet. Et ille, numquid septuagies septies te fatigavi? Si hac praescriptione severitas disciplinae dormiat, repressa disciplina, saevit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus verbis, et si opus est et verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abjiciamus: ideo enim Dominus subdidit: De cordibus vestris, ut si per caritatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Plorat secandus et secatur, plorat urendus et uritur. Non est illa crudelitas, absit, ut saevitia medici dicatur. Saevit in vulnus, ut homo sanetur, quia si vulnus palpatur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim fra-

An pueria peccantibus sit septuagies septies ignoscendum.

Correptio verborum et verborum. Matth 18, 15. 21.

Disciplina et correctio sit

cum caritate
conjuncta.
1 Timoth. 5.
20

Peccata oc-
culte aliter
arguenda,
quam publi-
ca.

Non negli-
genda sunt
proximi vul-
nera.

Occulta pec-
cata occulte,
publica vero
publice re-
prehenden-
da.

tres mei, ut fratres nostros, qui peccaverint, omni modo diligamus de corde nostro. Caritatem in eos non dimittamus, et disciplinam, cum opus est, demus, ne per solutionem disciplinae crescat nequitia, et incipiamus propter Deum accusari, quia recitatum est nobis: Peccantes coram omnibus corripe, ut caeteri timorem habeant. Certe si quis, quod solum est verum, distinguit tempora, et solvit quaestionem, verum est. Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est et apertum, publica corripe, ut ille emendetur, et caeteri timeant.

14. ET sermone 16.: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si neglexeris, pejor es. Ille injuriam fecit, et injuriam faciendo, gravi se ipsum vulnere percussit, tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, et negligis? Pejor es tacendo, quam ille conviciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habemus magnam curam, non pro nobis. Nam gloriosum est injurias oblivisci, sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo corripe inter te et ipsum solum, intuens correctioni, parcens pudori. Forte enim prae verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis correctiorem, facis pejorem. Corripe ergo inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, quia perierat, nisi faceres. Intendite et videte: Si peccaverit, inquit, in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Quare? Quia peccavit in te. Quid est, in te peccavit? Tu scis, quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quaere, cum corrigis, quod in te peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. Distribuite tempora, et concordat scriptura. Sic agamus, et sic agendum est non solum, quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur, in secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publice arguere, prodamus hominem.

IX.

Quando nostra conniventia alienis criminibus
implicamur?

A. Quoties id, quod facultate vel auctoritate nostra emendari vindicarique potest, et debet, nos tamen impunitum et in pejus abire sinimus.

Ambr. serm. 8. in Psal. 118. Origenes hom. O. in Hierem. Hieron. ad Riparium epi. 53. Aug. in psal. 50. et serm. 15. de verbodm. Chrys. orat. 1. contra Judaeos.

B. Ita peccant magistratus, cum gladium ¹ frustra portant, neque, quod dicuntur, ministri Dei sunt et vindices in iram his, qui agunt scelerate vel seditiose. Hoc modo a rege Saul ² peccatum fuit, cum adversus Dei mandatum clementior esset, ac parceret hostibus Amalechitis. Peccatum idem ab Achab rege admissum est, quando Benadab regem Syriae in gratiam recepit: Unde nec severam ita comminantis Prophetiae sententiam effugit: ³ *Haec dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus.* Eodem referri potest, quod ⁴ Apostolus Corinthiis praecipit: *Auferte malum ex vobis ipsis. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum.*

1) Rom. 13, 3—5. Sap. O. 1—11. Psalm. 2, 10—15. Aug. 2. retract. cap. 5. epist. 48. et 50. et 204. Item. tract. 11. in Evangel. Joannis. Bernard. serm. 66. in Cant. 2) 1. Reg. 15. 9—11. 20—24. Judic. 20, 11—20. sq. Num. 25, 1—7.

3) Reg. 20, 42.

4) 1. Cor. 5, 6. 7. 13. Exod. 22, 18. Deut. 13, 1—18. 17, 12. 13. 18, 20—22. Hiero. in cap. 5. ad Galat. Gregor. lib. 12. epist. 31.

C. Secundo hic peccant ⁵ patres et matres familias, heri et praeceptores, dum

5) August. in Psalm 50. Greg. 4. dial. cap. 18. Chrysost. homil. O. in 1. ad Timoth. Ephes. 6, 4.

Hebr. 12, 7. 8. Prov. 13, 10. 10, 22, 6. 15, 23, 13, 20, 15. Eccl. 7, 25, 20, 22, 3 — 5, 30, 1 — 13.

6) 1. Reg. 3, 11—14, 4, 10 — 18, 3. Reg. 1, 4 — 6.

7) Prov. 9, 7 — 9, 15, 5, 10, 12, 24, 24, 25, 8 — 12, 27, 5, 6, 28, 23, 29, 1. Eccl. 7, 6. Eccl. 7, 25, 10, 28, 11, 7, 10, 13 — 17, 20, 1 — 4, Psal. 140, 5. Coloss. 1, 28, 1. Thess. 5, 12, 2, Thess. 5, 14, 1. Tim. 5, 20, 2. Tim. 2, 24, 4, 2, Tit. 1, 5 — 11, 2, 15.

8) Matth. 18, 15 — 17.

sibi concreditos, nimia dissimulatione et indulgentia quadam in educando perdunt, et negligentia socordiaque sua in discrimen permittunt adduci. Sic paternae prorsus indulgentiae culpa depravatos legimus filios ⁶Heli, qui idcirco immodicae lenitatis suae poenas graves dedit.

D. Hic etiam addi potest peccatum, quod vocari solet omissio fraternae ⁷correctionis, admonitionis, vel reprehensionis. Quandoquidem Christus quoque semel atque iterum et tertio corripiendum esse fratrem monuit, ut peccantem illum ⁸lucrifaciamus. Quamquam alii distinguat inter huiusmodi omissionem et priorem, de qua diximus, conniventiam, ut duos alieni peccati modos ex hisce constituent.

SCRIPTURAE.

Roman. cap. XIII.: Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Sapient. VI.: Melior est sapientia, quam vires, et vir prudens, quam fortis. Audite ergo reges, et intelligite, discite iudices finium terrae. Praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis natio-

num, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur, quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium in his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam quisquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter curat illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. Qui enim custodierint justitiam, juste judicabuntur, et qui didicerint justa, invenient, quid respondeant.

Psalm. II.: Et nunc reges intelligite, erudimini, cum iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa, cum exierit in brevi ira ejus.

I. Reg. cap. XV.: Et pepercit Saul et populus, Agag, optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibibus, et stribus, et universis, quae erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc dereliquit sunt. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: Poenitet me, quod constituerim Saul regem, quia reliquit me, et verba mea opere non implevit. Et paulo post: Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, et ambulavi in via, per quam misit me Dominus, et occisi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci. Tulit autem praeda populus oves et boves, primitias eorum, quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis. Respondit Samuel: Num quid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior enim obedientia quam victimae, et auscultare, magis

quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum arietandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere. Pro eo ergo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex. Dixitque Saul ad Samuellem : Peccavi, quia praevaricatus sum sermonem Domini, verba tua, timens populum, et obediens voci eorum.

Judic. XX.: Convenitque universus Israel ad civitatem (Gabaa Benjamin) quasi homo unus eadem mente unaque consilio, et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum Israel audire mandatum, sed cunctis urbibus, quae sortis suae erant, convenerunt Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, praeter habitatores Gabaa, qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra dextra praeliantes, et sic fundis lapides ad certum jactes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadraginta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo, consulueruntque Dominum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester. Stabant filii Israel surgentes, mane castra metati sunt juxta Gabaa, et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, ut oppugnare coeperunt etc. Ceciderunt atque prostrati ad Orientalem plagam urbis Gabaa. Fuerunt autem, in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum omnes robustissimi pugnatores. Quod cum vidissent remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: et ceciderunt ad Petram, cujus vocabulum est Remmon. I

quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia viros. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia. Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderunt de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere potuerunt et fugere in solitudinem, sexcenti viri, sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

Num. XXV.: Morabatur autem eo tempore Israel in Setim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor, et iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moyses ad iudices Israel: Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum etc. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione etc. Cessavitque plaga a filiis Israel.

III. Reg. XX.: Tunc vir quidam de filiis Prophetarum, dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me etc. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait: Servus tuus egressus est etc. Haec dicit Dominus, quia dimisisti etc., ut in textu.

I. Cor. cap. V.: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Et in fine: Auferte malum ex vobis ipsis.

Exod. XXII.: Maleficos non patieris vivere.

Deut. XIII.: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, et praedixerit signum

atque portentum, et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus; ipsi servietis, et ipsi adhaerebitis. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam tibi praecepit Dominus Deus tuus, et auferes malam de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuae, aut filius tuus vel filia, sive uxor, quae est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quae juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terrae: Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies; sit primum manus tua super eum, et post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti de domo servitutis, ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile. Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filii Belial de medio tui, et averterunt habitantes urbis suae, atque dixerunt: Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoratis, quaere sollicitè, et diligenter rei veritate perspecta, si inveneris, certum esse, quod dicitur et abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis eam, omniaque, quae in illa sunt usque ad pecora; quicquid etiam suppellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, et cum

ipsa civitate succendes, ita, ut universa consumas Domino Deo tuo, et sit tumultus sempiternus. Non aedificabitur amplius, et non adhaerebit de illo anathemate quidquam in manu tua, ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, et misereatur tui, multiplicetque te, sicut juravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia praecepta ejus, quae ego praecipio tibi hodie, ut facias, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

Et cap. XVII.: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

Item cap. XVIII.: Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.

III. Reg. XVIII.: Ait Elias ad Achab: Nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. Accedens autem Elias ad omnem populum ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus, prophetae autem Baal, quadringenti et quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta caedentes, ponant super ligna, ignem

autem non supponant, et ego faciam bovem alterum, et imponam super lingua, ignem autem non supponam. Invo-
cate nomina Deorum vestrorum, et invocabo nomen Domini
mei, et Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.
Respondens omnis populus ait: Optima propositio etc. Ce-
cidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna
et lapides, pulverem quoque et aquam, quae erat in aquæ
ductu, lambens. Quod cum vidisset omnis populus, ceci-
dit in faciem suam, et ait: Dominus ipse est Deus, Domi-
nus ipse est Deus. Dixitque Helias ad eos: Apprehendite
prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos
cum apprehendissent, duxit eos Helias ad torrentem Cison,
et interfecit eos ibi.

C. Ad Ephes. VI.: Et vos patres, nolite ad iracundiam
provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et
correctione Domini.

Hebr. cap. XII.: Quis enim filius, quem non corri-
pit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus parti-
cipes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.

Prov. XIII.: Egestas et ignominia ei, qui deserit
disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.
Qui parcat virgae, odit filium suum; qui autem diligit il-
lum, instanter erudit.

Et cap. XXII.: Stultitia colligata est in corde pueri,
et virga disciplinae fugabit eam. Et paulo ante: Prover-
bium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senue-
rit, non recedet ab ea.

Item XXIII.: Noli subtrahere a puero disciplinam;
si enim percusseris eum virga, non morietur; tu virga per-
cuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.

Et cap. XXIX.: Virga atque correctio tribuit sapien-
tiam; puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundit
matrem suam. Erudi filiam tuam, et refrigerabit te, et
dabit delicias animae tuae. Qui delicate a pueritia nutrit
servum suum, postea sentiet eum contumacem.

Eccles. VII.: Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. Filiae tibi sunt? conserva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

Et cap. XXII.: Confusio patris est de filio indisciplinato; filia autem in deminoratione fiet. Filia prudens haereditas viro suo; nam quae confundit, in contumeliam fit genitoris. Patrem et virum confundit audax, et ab impiis non minorabitur; ab utrisque autem inhonorabitur.

Item cap. XXX.: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut laetetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, et in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, et laetatus est in illo; in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis; reliquit enim defensorem domus contra inimicos, et amicis reddentem gratiam. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, et super omnem vocem turbabuntur viscera ejus. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet praeceps. Lacta filium, et paventem te faciet: Lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animae. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

I. Reg. cap. III.: Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures ejus. In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quae locutus sum super domum ejus; incipiam, et complebo. Praedixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in aeternum propter iniquitatem, eo quod no-

verat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in aeternum.

Et cap. IV.: Quid actum est, fili mi? Respondens autem ille, qui nuntiabat: Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et ruina magna facta est in populo; insuper et duo filii tui mortui sunt Ophni et Phinees, et arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandaevus, et ipse judicavit Israel quadraginta annis.

III. Reg. cap. I.: Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros, qui current ante eum. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti?

D. Proverb. IX.: Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, et qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere.

Et cap. XV.: Stultus irridet disciplinam patris sui; qui autem custodit increpationes, astutior fiet. Doctrina mala deserentium viam vitae; qui increpationes odit, morietur. Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur.

Et cap. XXIV.: Qui dicunt impio, justus es; maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. Qui arguant eum, laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio.

Item cap. XXV.: Quae viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonesteris amicum tuum. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem.

Et cap. XXVII.: Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligētis, quam fraudulenta oscula odientis.

Rursus cap. XXVIII.: Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud Deum magis, quam ille, qui per linguae blandimenta decipit.

Cap. XXIX.: Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur.

Eccles. VII.: Melius est a sapiente corripī, quam stultorum adulatione decipi.

Eccles. VII.: Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.

Et cap. X.: Servo sensato liberi servient, et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur.

Item cap. XI.: Priusquam interrogēs, ne vituperes quemquam; et cum interrogaveris, corripe juste.

Et cap. XIX.: Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: Non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit, et si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum; saepe enim fit commissio. Corripe proximum, antequam commineris.

Cap. item XX.: Quam bonum est arguere, quam irasci? et confitentem in oratione non prohibere. Quam bonum est, correptum manifestare poenitentiam? sic enim effugies voluntarium peccatum.

Psal. CXL.: Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Col. cap. I.: Quem (Christum) nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

I. *Thess. V.*: Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habetis illos abundantius in caritate propter opus illorum. Pacem habete cum eis. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

II. *Thess. III.*: Quod si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur, et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

I. *Timoth. V.*: Peccantes, coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.

II. *Timoth. II.*: Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

Et cap. IV.: Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obseca, increpa in omni patientia et doctrina.

Tit. cap. I.: Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Oportet episcopum etc. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia.

Et cap. II.: Haec loquere, et exhortare: et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Matth. cap. XVIII.: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit,

rit, adhibe tecum adhuc unum vel duos; ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

P A T R E S.

1. A. AMBROSIUS sermone 8. in psalmum 118., versu 2.: Est justa misericordia, est etiam injusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam: Non misereberis illius. Et in libris regnorum legis, quia Saul postea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat divina sententia servari. At si quis latronis filiis deprecantibus motus, et lacrymis conjugis ejus inflexus, absolvendum putet, cui adhuc latrocinandi adspiret affectus: nonne innocentes tradit exitio, qui multorum liberat exitia cogitantem? Certe si gladium reprimat, vincula dissolvit, cur laxat exilio? Cur latrocinandi, qua potest clementiore via, non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Denique inter duos, hoc est, accusatorem et reum, pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore convictus, non id, quod justitiae est, judex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem, aut dum accusatori favet, qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur haec dici justa misericordia. Facilitas enim veniae, incentivum tribuit delinquenti. Hoc ideo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interius inveniat vulneris cicatricem, cum debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat, tamen a secandi urendique proposito lacrymis inflexus aegroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit: nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitae usus intereat?

Misericordia
quaedam in-
justa est.

Deut. 19, 13.
21.
1. Reg. 15, 9.

Judicis ex-
emplo.

Facilitas ve-
niae incenti-
vum tribuit
delinquenti.

Exemplo
medici.

2. ORIGENES homilia 9. in Hieremiam: Verbi gratia dictum sit: Habeat judex propositum, quietem civitati, et pacem genti, cui praesidet, providere. Huic si offeratur latro honesta forma, aetate satis integer, ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur, ut senectutis suae miseretur, et ex alio uxor, ne virum suum interficiat, lacrimabili voce deploret: circumstent et parvuli liberi cito or-

Indulgentia
et misericor-
dia crudelis
in latronem.

bi futuri, quid faciet iudex? miserebitur latronis, an non? Quid in commune expedit civitati? Si misertus fuerit, revertetur homicida ad pristinum scelus; sin vero in iudicialia severitate permanserit, unus homo interibit, et universo populo providebitur. Sic Deus, si pepercerit peccatori, et miserans ejus, noluerit eum punire pro scelere, quis non accipiat licentiam? quis malorum, qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non invadet tempus, ut expleat, quaecunque voluerit, et praecepta feratur in vitia?

In peccantes. Haec autem in Ecclesia saepe accidentia possumus considerare. Peccavit quispiam, et post peccatum postulet communionem. Si ei conceditur, quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, et laxatis frenis sceleribus panditur via. Sin vero cum rationabili deliberatione, non ut misericors; nec rursus ut crudelis iudex, sed et quasi uni providens, et de omnium salute pertractans, consideraverit populi damnus in unius venia, haud dubium est, quia faciat ejici unum de Ecclesia, ut multos salvet incolumes.

In sanctorum. Age nunc, considera mihi et medicum; si cessaverit a sectione ejus vulneris, quod secandum est, si nonasserit id, quod indiget cauterio, videlicet propter dolores, qui ex talibus remediis consequuntur, quomodo crescat infirmitas, et in deterius vetus humor exuberet. Si vero (ut ita dicam) temerarius ad vulnus sector accesserit et inusserit plagam, curat eum, qui secatur et uritur, quia paululum severitatis assumpsit, licet visus fuerit aegrotanti ad horam non misereri. Et quomodo utile fuit peccatum Israel in salutem gentium, sic utilis est quorundam poena aliorum salutem.

Utilis quorundam poena salutem aliorum.

In Episcopum tolerantem Vigilantium haereticum.

1. Cor. 5, 5.
Psal. 49, 18.
Psal. 100, 2.

Psal. 138, 21.

Num. 25, 7.
11.

5. Reg. 18, 4.

Math. 10, 4.
Act. 1, 15, 5.
5. 10. 13, 11.

3. HIERONYMUS epistola 53. ad Riparium adversus Vigilantium; Miror sanctum Episcopum, in cujus parochia esse presbyter dicitur, acquiescere furori ejus, et non virga apostolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, et tradere in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, nec minerit illius dicti: Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, Et iterum: Nonne odientes te, Domine, odio habui, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. Fatebor tibi dolorem meum: sacrilegium tantum patienter audire non possum: Legi enim Syromasten Phinees, austeritatem Heliae, zelum Simonis Cananaei, Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elymam magum, viis Domini resistentem, aeter-

na caecitate damnavit. Non est crudelitas, pro Deo pietas. Unde et in lege dicitur: si frater tuus et amicus, et uxor, quae est in sinu tuo, depravare te voluerit a veritate, sit manus tua super eos, et effunde sanguinem eorum, et auferes malum de medio Israel.

Pro Deo pietas, non est crudelitas. Deut. 13. 21.

4. AUGUSTINUS in psalmum 50.: Verum tamen carissimi in tanta morum diversitate, et tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde perniciose sentiet filius patris lenitatem, ut juste postea Dei sentiat severitatem. Et hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim? Si ipse non peccat, et non facit, quod filius ejus, ideo non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An forte, ut videatur filio ejus, quia et pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum, quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te, sed aetas deseruit, non cupiditas. Maxime fratres mei filios vestros fideles attendite, quos fide genuistis, ut baptizarentur. Sed forte negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel severitatem; Tu imple personam tuam, Deus de illo exigit suam.

Contra indulgentiam parentum.

5. IDEM in sermone 15. de verbis Domini, ut supra, quaestione 8. auctorit. 13.

6. CHRYSOSTOMUS in oratione 1. contra Judaeos: Verum quemadmodum Judaeos culpamus, quod legem transgrediuntur, ita multo magis vos incusamus, quod ad transgressores legis concurritis, nec illos tantum, qui eo concurrunt, verum etiam eos, quibus, cum sit auctoritas prohibendi suos, nolint tamen id facere. Nec mihi dixeris: Quid mihi cum illo commercii est? Alienus est, ignotus est. Dum modo sit fidelis, dum eorundem particeps mysteriorum, dum eadem jungatur Ecclesia et fratribus, et cognatis, et necessariis, et caeteris omnibus est propinquior. Proinde quemadmodum non ipsi tantum fures dant poenas, verum etiam eadem poena plectuntur ii, quibus, cum esset potestas vetandi, non vetuerunt tamen; ita non solum, qui impie agunt, verum etiam illi, qui cum possint ab impietate revocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, simili cum illis poena plectuntur. Alioqui talentum illud, quod acceperat, ac defoderat servus

Habentes auctoritatem et potestatem prohibendi, culpantur, si non prohibeant mala.

Similis est poena manet cum peccantibus. Matth. 25. 25.

ille, reddidit integrum, attamen dat poenas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem, etiamsi ipse purus et innocens perseveres, caeterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem, quae ille patitur, patieris.

1. B. AUGUSTINUS libro II. retractationum cap. 5.: Sunt duo libri mei, quorum titulus est: Contra partem Donati. In quorum primo libro dixi, non mihi placere ullius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter vehementerque arctari. Quod vere mihi tunc non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinae.

Augustinus nondum expertus putaverat schismaticos non esse vicendos.

Cur in Ecclesiae principio non invocabatur contra haeticos brachiumulare.
Psal. 2, 4.

2. IDEM epistola 48. ad Vincentium: Non invenitur exemplum in evangelicis et apostolicis literis, aliquid peti- tum a regibus terrae pro Ecclesia et contra inimicos Ecclesiae; quis negat non inveniri? Sed nondum implebatur illa prophetia: Et nunc reges intelligite, et erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem psalmo paulo superius dicitur: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Verum tamen si facta praeterita in prophetis libris, figurae fuerunt futurorum, in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum est, et quod sub Apostolis habuit, et quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum et martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios et justos coegit adorare simulacra, et recusantes in flammis mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem rege figuratum est, cum conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in regno suo, ut, quicumque blasphemaret Deum Sidrac, Misac et Abdenago, poenis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius regis, significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis. Posterior vero tempus illius regis, significavit tempora posteriorum regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Et paulo post: Multas civitates videmus fuisse Donatistas, et nunc esse catholicas, detestari vehementer diabolicam separationem, diligere ardentem unitatem. Quae tamen timoris hujus, qui tibi displicet, occasione catholicae factae sunt per leges imperatorum, a Constantino, apud quem primum vestri ultro Caeciliauum accusa-

In rege Nabuchodonosor figura nascentis et jam corroboratae Ecclesiae cernitur.

Daniel. 3, 26.

Legibus contra haeticos latis factum est, ut multae civitates resipuerint.

verunt, usque ad praesentes imperatores, qui iudicium illius, quem vestri elegerunt, quem iudicibus Episcopis praetulerunt, iustissime contra vos custodiendum esse decernunt. His ergo exemplis a collegis meis mihi propositis cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis; nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae, cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestrae animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliae multae etc. Immo vero serviant reges terrae Christo, etiam leges ferendo pro Christo. Et in principio epistolae: Donatistae nimium inquieti sunt, quos per ordinatas a Deo potestates cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile. Nam de multorum jam correctione gaudemus etc. Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum, currere videret in praecipuum, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumque curaret, et tamen tunc ei molestissimus et adversissimus videretur, quando utilissimus et misericordissimus exstitisset? Sed plane salute reparata, tanto uberius ei gratias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensisset. Et post pauca: Cum terrori utili doctrina salutaris adjungitur, ut non solum tenebras erroris lux veritatis expellat, verum etiam malae consuetudinis vincula vis timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salute laetamur, benedicientium nobiscum, et gratias agentium Deo, quod sua pollicitatione completa, qua reges terrae Christo servituros esse promisit, sic curavit morbos, sic sanavit infirmos. Non omnis, qui parcit, amicus est; nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.

Prior Augustini sententia per usum rerum et experientiam commendata.

Inquietudo haereticorum per potestatem secularem coercenda. Non redditur malum pro malo, quando coercetur.

Non omnis, qui parcit, amicus est. Prov. 27, 6.

3. IDEM epistola 50. ad Bonifacium: Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinatus filio, ille ligando, ille caedendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, et perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelis est. Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene oredentes, et coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate

Mansuetudo falsa et crudelis.

contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur saevientes, et corriguntur intelligentes. Quicumque ergo legibus imperatorum, quae contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande praemium. Quicumque autem legibus imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam

3. Reg. 15.
3. sq.
4. Reg. cap.
10. 12. 14.
15. 18. 23.
Dan. 3, 5.

et temporibus prophetarum, omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quae contra Dei praecepta fuerant instituta, culpantur, et qui prohibuerunt et everterunt, super aliorum merita laudantur. Et rex Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulacrum adoraretur, sed ejus impie constitutioni, qui obedire noluerunt, pie fideliterque fecerunt. Idem tamen rex, divino correctus miraculo, piam et laudabilem legem pro veritate constituit, ut, quicumque diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, Misac, et Abdenago, cum domo sua penitus interiret. Et paulo post:

Non omnes
sunt beati,
qui persecu-
tionem pati-
untur.
Matth. 5, 10.

Gen. 16, 5.
sq.

Objectionis
dilutio de A-
postolorum
tempore.

Psal. 2, 1.

Reges quo-
modo servi-
ant Domino
in timore.

4. Reg. 18.
4.

Veri autem martyres illi sunt, de quibus Dominus ait: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, et propter christianae unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam et Agar passa est persecutionem a Sara, et illa erat sancta, quae faciebat, illa iniqua, quae patiebatur. Et nonnullis interjectis: Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petisse a regibus terrae Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, et omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania: Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus? Nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter, quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit, leges justa praecipientes et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo: Sicut servivit Ezechias, lucos et templa idolorum, et illa excelsa, quae

contra Dei praecepta fuerant constructa, destruendo. Sicut servivit Josias, talia et ipse faciendo. Sicut servivit rex Nivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, et inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere, nisi reges. Cum itaque nondum reges Domino servirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditentur inania adversus eum et adversus Christum ejus, ut prophetarum praedicta omnia complerentur, non utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporumolvebatur, ut et Judaei occiderent praedicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut praedixerat Christus, et gentes fremerent adversus Christianos, et omnis potentia martyrum vinceret. Postea vero, quam coepit impleri, quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient illi. Quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, a quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus sive sacrilegus, quibus dici non potest: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus. Cur enim, cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, et sacrilegia permittantur? an fidem non servare levius est, quam animam Deo, quam foeminam viro? aut si ea, quae non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius viudicanda, numquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitaverit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quam poenae timore vel dolore compelli? Sed non, quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit, quod experimentis probavimus, prius timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Et quibusdam interpositis: Ubi est, quod isti clamare consueverunt, liberum est credere vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum apostolum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, et postea docentem; prius ferientem, et postea consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui poena corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis

4, Reg. 23,
10.
Jon. 3, 6. sq.
Daniel. 14,
25.

Dan. 3, 90.

Joan. 10, 2.

Psalm. 71.

11.
Principium
est Ecclesiam
defende-
re.

Ad creden-
dum Paulus
quodam mo-
do compul-
sus.
Act. 9, 3. sq.

Recte cogit
Ecclesia perditos, ut redeant.

Patientia
quancumque
miserere laudanda.
Act. 21, 32.
sq.

Act. 22, 25.
Act. 25, 10.
Paulus poposcit auxilium Ethnici imperatoris.

A malo prohibendi et ad bonum cogendi sunt nonnunquam homines.

Psal. 71, 11.
Ecclesia ad bonum cogit.
Luc. 14, 21.
23.

omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit, et quem major timor compulit ad caritatem; ejus perfecta caritas foras misit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditii filii coegerunt alios, ut perirent? Et paulo post: Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petivit ab imperatore christiano, non tam sui ulciscendi causa, quam tuendae Ecclesiae sibi creditae. Quod si praetermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim et apostolus Paulus vitae suae transitoriae consulebat, sed Ecclesiae Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum tribuno, ut proderetur, effecit. Unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum patereret insidias. Romanas etiam leges implorare minime dubitavit, civem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Judaeis eum interimere cupientibus traderetur, Caesaris poposcit auxilium, Romani quidem principis, sed non Christiani. Ubi satis ostendit, quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent. Et rursum: Si aliter non meruit pacem habere domus David, nisi Absalon filius ejus in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quamvis magna cura mandaverat suis, ut eum, quantum possent, vivum salvumque servarent, ut esset, cui poenitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit, nisi perditum flere, et sui regni pace acquisita, suam moestitiam consolari? Sic ergo Catholica mater bellantibus adversus eam etc. Ibidem: Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

4. IDEM Augustinus epistola 204. ad Donatum presbyterum Donatistam: Displicet tibi, quia traheris ad salutem, cum tam multos nostros ad perniciem traxeris. Quis nesciat, nec damnari hominem, nisi merito malae voluntatis nec liberari, nisi bonam habuerit voluntatem? Non tamen ideo, qui diliguntur, malae suae voluntati impune et crudeliter permittendi sunt, sed ubi potestas datur, et a malo prohibendi, et ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suae permittenda est libertati, quare Israelitae recusantes et murmurantes, tam duris flagellis a malo prohibebantur, et ad terram promissionis compellebantur etc.? Nondum fuerat completa illa propheta: Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient illi. Quod utique quanto magis impletur, tanto majore utitur Ecclesia

potestate, ut non solum invitet, sed etiam cogat ad bonum. Vide quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum est: Introduc eos: non dictum est: Compelle. Ita significata sunt Ecclesiae primordia adhuc crescentis, ut essent vires etiam compellendi. Proinde quia oportebat ejus jam viribus et magnitudine roborata etiam compelli homines ad convivium salutis aeternae, posteaquam dictum est: Factum est, quod jussisti, et adhuc est locus: Exi, inquit, in vias et sepes, et compelle intrare. Quapropter, quia per multa mala et saeva, quae in nostros committitis, tanquam spinis et asperitate pleni estis, vos tanquam in sepiibus invenimus, et intrare compellimus.

Duo Ecclesiae tempora, per parabolam evangelicam designata.

Haeretici in viis et sepiibus inveniuntur.

5. ET tractatu 11. in Evangelium Joannis: Si quando vult Deus concitare potestates adversus haereticos, adversus Schismaticos, adversus dissipatores Ecclesiae, adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores baptismi, non mirentur: quia Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar: cognoscat se Agar, et ponat cervicem, quia cum humiliata discederet a domina sua, occurrit ei angelus et dixit: quid est Agar ancilla Sarae? Cum conquesta esset de domina, quid audivit ab Angelo? Revertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affigitur, ut revertatur, atque utinam revertatur, quia proles ejus sicut filii Jacob cum fratribus haereditatem tenebit. Mirantur autem, quia commoventur potestates Christianae adversus detestandos dissipatores Ecclesiae. Si non ergo moverentur, et quo modo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat caritas vestra, quid dicam, quia pertinet hoc ad reges saeculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt. Legimus Danielem visiones et gesta prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Dominum, miratus est Nabuchodonosor rex laudantes Deum pueros, et circa eos ignem non nocentem. Et cum admiratus esset, quid ait Nabuchodonosor rex, non vel Judacus, vel circumciscus ille, qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat, tamen laudibus trium puerorum commotus, ubi vidit majestatem Dei praesentis in igne, quid ait? Et ego proponam decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra. Quale decretum? Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misach et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem. Ecce quomodo saevit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare, et nolunt, ut saeviant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, a quo non tres pueri, sed

A Deo concitantur potestates saeculi adversus haereticos.

Gen. 16. 9.

Principes rationem redditori sunt, si non moventur adversus dissipatores Ecclesiae.

Daniel. 3. 24.
Exemplum Nabuchodonosor.

Nota.

2. Mach. 7.
20. sq.

orbis terrarum cum ipsis regibus a gehennarum igne liberatur. Nam tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali; numquid non ipse est Deus Macchabaeorum, qui et trium puerorum? Illos ab igne liberavit, illi in tormentis igneis corpore defecerunt; sed in legitimis mandatis animo permanserunt: Illi aperte liberati sunt, illi occulte coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehennarum, quam de fornace potestatis humanae. Si ergo Nabuchodonosor rex laudavit et praedicavit, et gloriam dedit Deo, quia liberavit de igne tres pueros, et tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum suum: Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, et Misach, et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem, quomodo isti reges non moveantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed se ipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, a quo liberati sunt, exsufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, et saltem talia pati nolunt. Nam videte, qualia faciunt, et qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur.

Sempiternas
mortes faciunt et de
temporali
conqueruntur.

6. BERNARDUS sermone 66. super cantica canticorum:

Gladio coerceri haereticos expedit.

Melius procul dubio (haeretici) gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trahere permittantur. Dei enim minister ille est, vindex in iram ei, qui male agit. Mirabantur aliqui, quod non modo patienter, sed et laeti, ut videbatur, ducerentur ad mortem; sed qui minus advertunt, quanta sit potestas diaboli, non modo in corpora hominum, sed etiam in corda, quae semel permissus possederit. Nonne plus est sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui se ipsos aut submerferunt, aut suspenderunt. Denique Judas suspendit se ipsum, diabolo sine dubio immitente. Ego tamen majus existimo, magisque admiror, quod potuit immississe in cor ejus, ut traderet Dominum, quam ut semet ipsum suspenderet. Nihil ergo simile habent constantia

Rom. 13. 4.

Diaboli potestas in corde haereticorum.

Matth. 27. 5.

Constantia martyrum dissimilis est haereticorum pertinacia.

Principiis haereson obsistentiam.

7. HIERONYMUS in caput 5. epistolae ad Galatas: Scintilla res parva est, et pene dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, et nutrimenta sui

quamvis parvus ignis invenerit, moenia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Fermentum quoque, Luc. 13. 21. ad aliam partem in Evangelio parabola temperata est, res modica videtur et nihili; sed cum farinae conspersum, totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne, quod mixtum est: ita et doctrina perversa ab uno 4. Cor. 5. 6. incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, sed paulatim cancer serpit in corpore, et juxta vulgare proverbium, unius pecudis scabies, totum commaculat gregem. Igitur et scintilla statim, ut apparuerit, 9. extinguenda est, et fermentum: a massae vicinia semovendum, Secundae putridae carnes. secundae putridae carnes, et scabiosum animal a caulibus ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. Arius haeresiarcha scintillae non oppressae comparatur.

8. GREGORIUS libro XII., epistola 51. ad Felicem Episcopum Siciliae: Melius est, ut pro multorum salute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum, si inter homines haec ratio custoditur, cum et inter jumenta hoc fieri persaepe cognovimus, ut ea, quae scabiem aut impetigenem habere videntur, separentur a sanis, ne illorum morbo sana damnentur et pereant. Unum pro multorum salute condemnari praestat.

1. C. AUGUSTINUS in Psalmum 50.: Verum tamen, carissimi, in tanta morum diversitate, et tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde perniciose sentiet filius patris lenitatem, ut juste postea Dei sentiat severitatem. Et hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim, si ipse non peccat, et non facit, quod filius ejus? ideo non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An forte, ut videatur filio ejus, quia et pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum, quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te, sed aetas deseruit, non cupiditas. Maxime, fratres mei, filios vestros fideles attendite, quos fide genuistis, ut baptizarentur. Sed forte negligit malus filius, vel monita patris, vel objurgationem, vel severitatem. Tu imple personam tuam, Deus de illo exigit suam. Paterfamilias regat familiam suam et filios. Innocentia falsa est, habenas laxare peccatis.

2. GREGORIUS libro IV. Dialogorum, cap. 12.:

Et si omnes baptizatos infantes, atque in eadem infantia morientes ingredi regnum caeleste credendum est, omnes tamen parvulos, qui scilicet jam loqui possunt, regna caelestia ingredi credendum non est, quia nonnullis parvulus ejusdem regni caelestis aditus a parentibus clauditur, si male nutriantur. Nam quidam vir cunctis in hac urbe notissimus ante triennium filium habuit annorum, sicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens remisit nutriebat, atque idem parvulus, quod dictu grave est, mox ut ejus animo aliquid obstitisset, majestatem Dei blasphemare consueverat, qui in hac ante triennium mortalitate percussus, venit ad mortem. Cumque eum suus pater in sinu teneret, sicut hi testati sunt, qui praesentes fuerunt, malignos ad se venisse spiritus trementibus oculis puer adspiciens, coepit clamare: *Obsta pater, obsta pater.* Qui clamans declinavit faciem, ut se ab eis in sinu patris absconderet. *Quem cum ille trementem requireret, quid videret, puer adjunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Qui cum hoc dixisset, majestatis nomen protinus blasphemavit, et animam reddidit.* Ut enim omnipotens Deus ostenderet, pro quo reatu talibus fuisset traditus executoribus, unde viventem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare, ut, qui diu per divinitatis patientiam blasphemus vixerat, quandoque per divinitatis judicium blasphemaret et moreretur, quatenus reatum suum pater ejus agnosceret, et qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem, gehennae ignibus nutrisset.

Quibusdam parvulis clauditur aditus regni caelestis a parentibus.

Terribile exemplum de puero blasphemico.

3. CHRYSOSTOMUS homilia 9. in priorem epistolam ad Timotheum: Neque enim parvi meriti est, indultos nobis a Deo liberos, ad ipsius exercere militiam, eique ab infantiae pannis dedicare. Nam si ejusce educationis fundamenta jecerint, maximis affiendi sunt praemiis, quemadmodum, si neglexerint, gravissimis cruciatibus. Nemp enim et Heli propter filios periit; illos quippe, cum acrius coercere debuisset, verbis tandem lenibus monuit. Quocirca, dum illis molestus esse severa increpatione recusat, et illos et se ipsum una perdidit. Audite haec patres, vestrosque filios in disciplina et correptione Domini erudite summa cum diligentia. Est enim juvenus fera, plurimisque indiget institutoribus, magistris, paedagogis, asseclis, atque nutritoribus. Votique res est, post adeo exactam diligentiam eam continere posse, non secus, quam equus quidam indomitus, veluti fera bellua. Hujusmodi quippe juvenus est. Si igitur illi ab ipsis statim initiis, atque a prima ac-

Magni meriti est, liberos educare Deo.

1. Reg. 2. 22. sq. et 4. 11. sq.

Exemplo Heli moventur parentes.

Quomodo indomitus inducendi 8. lili

tate leges optimas imponamus, minimum posthac laborabimus; verum consuetudo ipsa virtutis in legem transiet. Nihil eos agere permittamus, ex his, quae noxie jucunda sunt, neque illis ut pueris indulgeamus, atque ante omnia illos in pudore et sobrietate servemus, quippe huic inimica libido omnium maxime hujusmodi turbat aetatem. Et paulo post: Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minasque intentemus, et modo istud, modo illud faciamus. Magnum habemus preciosumque depositum filios; ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam ut undus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fidei viro magno cum studio tradimus, et agasonem atque nutionem, procuratoremque ac dispensatorem, qui nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus; caeterum, quod vobis carissimum omnium est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuiquam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam possit? Et certe nulla nobis possessio, nullus fundus aequè vobis gratus atque carus esse debet, quippe haec omnia filiis quaeruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam vobis, quorum illae gratia comparantur, quod profecto absurdissimum atque stolidissimum est. Exerceamus igitur in vobis virtutem atque pietatem molles filiorum animos, caetera omnia secundo loco quaeramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniae proderunt; sin autem probi, nihil ex paupertate laedentur. Vis filium relinquere divitem? Bonum illum ac benignum esse doce; ita enim etiam vobis familiarem auctiorem facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit, nihilo deteriori in loco erit, quam hi, qui plurima possident. Quod si malus ille fuerit, etiam si infinitam illi substantiam relinquant, non illi custodem reliquisti, sed longe deteriore conditione fecisti, quam si ad extremam devenisset inopiam. Quippe filius non rite institutus praestat pauperes esse, quam divites. Paupertas enim non invitos coarctet, atque intra virtutis limites continet; vobis vero ne volentes quidem pudice, temperanterque vivere sinunt: verum exorbitare faciunt, atque pervertunt, atque innumeris *) subjungunt. Matres item, filiarum vobis curam assumite: est ea cura vobis perfacilis. Curate sollicite, ut domi jugiter sint. Ante omnia pias esse, religioasque docete, aspernari pecunias, exteriorisque ornatus contemptrices esse, atque ita demum nuptiis tradite; eas si ita institueritis, non ipsas modo servabitis, verum et

Contra parentes, qui cum aliarum rerum diligentem curam, filiorum fere nullam habent.

Nota.

Filiarum cura matribus mandata.

viros, qui illas ducturi sunt, neque viros tantum, sed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda est. Non igitur tanquam unius animae commodis prospicientes, sed ut plurimum per unam consulentes, magno cum studio omnia facimus. Ita nempe paterna domo decet progredi virginem, ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palaestra luctatorem, ut omnem diligentissime rei familiaris peritiam habeat, sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suam transfert pulchritudinem. Filii quoque adeo verendi sint parentum honestate, et singulari pudicitiae laude, ut ab hominibus, et a Deo laudes mereantur. Discant continere ventrem, abstineant a superfluis sumptibus, et omni magnificentia apparatus: dispensare sua probe noverint, pii in parentes sint, subjici, et dicto obtemperantes esse discant; ita enim et parentibus ipsis ingentes praemiorum adjicient cumulos, atque ita omnia in Dei gloriam salutemque nostram fient.

Filii quales
esse debeant.

X.

Quid est participatione alienum peccatum contrahere?

Tob. 2, 10. Prov. 1, 10.
11. 13. 29, 24.

Num. 16, 25 - 30. Ecol. 5, 1. 2. 2. Paralip. 20, 35 - 37. Greg. Turon. in gloriam confessor. cap. 63. et 71. Item lib. 1. de gloria martyrum. cap. 37. 72. et 70. et lib. 2. caput 13. 14. 15. 16. 17. et 20. Theod. lib. 3. hist. cap. 11. et 12. Vict. lib. 1. persecuti. Vandal. Joa. 7, 20 - 27. Dan. 5, 1 - 31. 2. Mach. 3, 5 - 40. 5, 15 - 21. 9, 4 - 10. 1. Machabaeor. 6, 10 - 13.

1) Paal. 40, 18. Aug. in Paal. 120.
2) Eca. 1, 23.

Id maxime fit, quando in partem lacerari cum furibus, sive raptoribus venimus, cum itidem bona injuste partem vel quovis modo aliena nobis una cum aliis scienter vendicamus aut retinemus, cum insuper spoliis alienis ditescimus. Quo pertinere videtur, quod psalmographus dixit, ¹ cum furibus ipsis currere, et cum adulteris portionem habere. Sic et Esaias objicit populo judaico: ² *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*

Gravius adhuc delinqunt, qui lucrum sibi ex aliena^s turpitudine aperte parant, ^{3) Deut. 23, 18.} ut lenones, quive latronibus, et notae turpitudinis vel factionis hominibus praebere audent hospitium et locum, quo se illi, aut sua recipiant.

SCRIPTURAE.

Tob. cap. II.: Anna uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. Unde factum est, ut hoedum caprarum accipiens detulisset domi. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit; reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

Prov. cap. I.: Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini etc. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium sit unum omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.

Et cap. XXIX.: Qui cum fure participat, odit animam suam, adjurantem audit, et non indicat.

Num. cap. XVI.: Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan et Abiron, et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere, quae ad eos pertinent, ne involvami in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis, omnique frequentia. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta ho-

minum morte interierint, et visitaverit eos plaga, quae caeteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos etc.

EccI. V.: Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris, est mihi sufficiens vita; nihil enim proderit in tempore vindictae et obductionis.

II. Paralip. XX.: Post haec iniiit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima. Et particeps fuit, ut faceret naves, quae irent in Tharsis, feceruntque classem in Asion Gaber; prophetauit autem Eliezer filius Dodan de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaeque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

Josue VII.: Responditque Achan Josue, et dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. Misit ergo Josue ministros, qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco et argentum simul. Auferentesque de tentorio, tulerunt ad Josue, et ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Josue Achan filium Zarah, argentumque et pallium, et auream regulam, filios quoque et filias ejus, boves et asinos et oves, ipsumque tabernaculum, et cunctam suppellectilem, (et omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, ubi dixit Josue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel, et cuncta, quae illius erant, igne consumpta sunt. Congregaveruntque super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in praesentem diem

Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius: Vallis Achor usque hodie.

Dan. V.: Balsasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, et unusquisque secundum suam bibebat aetatem. Praecipit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea et argentea, quae absorptaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Hierusalem, ut biberent in eis rex et optimates ejus, uxores et concubinae. Tunc allata sunt vasa aurea, quae absorptaverat de templo, quod fuerat in Hierusalem, et biberunt in eis rex et optimates ejus, uxores et concubinae illius. Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos et argenteos, aereos, ferreos, ligneosque et lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulae regiae, et rex adspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eam, et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur. Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos etc. Et paulo post: Ad quae respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, et dona domus tuae alteri da; scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. Quando elevatum est cor Nabuchodonosor patris tui, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam; depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est, et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus, foenum quoque, ut bos comedebat, et rore caeli corpus ejus infectum est, donec cognosceret, quod potestatem haberet altissimus in regno hominum, et quemcumque voluerit, suscitabit super illud. Tu quoque filius ejus Balsasar, non humiliasti cor tuum, cum scires haec omnia, sed adversum dominatorem caeli elevatus es, et vasa domus ejus allata sunt coram te, et tu, et optimates tui, et uxores tuae et concubinae tuae vinum bibistis in eis, deos quoque argen-

teos, et aureos, et aereos, ferreos, ligneosque et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti; porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua et omnes vias tuas, non glorificasti. Idcirco ab eo missus est articulus manus, qui scripsit hoc, quod exaratum est. Haec est autem scriptura, quae digesta est: MANE THECEL PHARES. Et haec est interpretatio sermonis: MANE: numeravit Deus regnum tuum, et complevit istud: THECEL: appensus es in statera, et inventus es minus habens: PHARES: divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Eadem nocte interfectus est Balsasar rex Chaldaeus. Et Darius Medus successit in regno, annos natus sexaginta duos.

II. Machab. III.: Simon praepositus templi, cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsae *) Phoenices fillum, qui eo tempore erat dux Coelesyriae et **) Phoenicis, et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse aeariarum Hierosolymis, et communes copias immensas esse, quae non pertinent ad rationem sacrificiorum; esse autem possibile, sub potestate regis cadere universa. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis, quae delatae erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut praedictam pecuniam transportaret. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem, quasi per Coelesyriam et ***) Phoenicem civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus. Sed cum venisset Hierosolymam, et benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum, et cujus rei gratia adesset, aperuit; interrogabat autem, si vere haec ita essent. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse haec, et victualia viduarum et pupillarum, quaedam vero esse Hyrcani Tobiae viri valde eminentis, in his, quae detulerat impius Simon, universa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta, decipi vero eos, qui credidissent loco et templo, quod per

*) Phoenices

**) Phoeni-
ces

universum mundum honoratur pro sui veneratione et sanctitate, omnino impossibile esse. At ille pro his, quae habebat in mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam civitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et invocabant de caelo eum, qui etc. Et paulo post: Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa aerarium, praesens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suae ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus, isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes, virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. Et is, qui cum multis cursoribus et satellitibus praedictum ingressus est aerarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta cognita Dei virtute, et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe et salute privatus. Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum, et templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio et laetitia impletum est. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum etc. Heliodorus autem hostia Deo oblata, et votis magnis propissis ei, qui vivere illi concessit, et Oniae gratias agens, recepto exercitu repedabat ad regem. Testabatur autem omnibus ea, quae sub oculis suis viderat, opera magni Dei. Cum autem rex

interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Hierosolymam mitti, ait: Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit, eo quod in loco sit vere Dei quaedam virtus. Nam ipse, qui habet in caelis habitationem, visitator et adjutor est loci illius, et venientes ad malefaciendum, percutit ac perdit. Igitur de Heliodoro et aerarii custodia ita res se habet.

Et cap. V.: Ausus est etiam (Antiochus) intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum et patriae fuit proditor, et scelestis manibus sumens sancta vasa, quae ab aliis regibus et civitatibus erant posita ad ornatum loci et gloriam, contrectabat indigne et contaminabat. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus, propter quod et accedit circa locum despectio; alioquin, nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad exspoliandum aerarium, etiam hic statim adveniens flagellatus et repulsus utique fuisset ab audacia. Verum non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum, postea autem fiet socius bonorum; et qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est etc.

Item cap. IX.: Elatus autem ira (Antiochus) arbitratur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Iudaeos retorquere, ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, caelesti eum iudicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est, se venturum Hierosolymam, et congeriem sepulcri Iudaeorum eam facturum. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum

sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta, et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judaeos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. Isque, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semet ipso contestans, ita ut de corpore impii, vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et foetore exercitus gravaretur, et qui paulo ante sidera caeli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare. Hinc igitur coepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus; et cum nec ipse jam foetorem suum ferre posset, ita ait: justum est, subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. Et civitatem, ad quam festinans veniebat, ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere, et Judaeos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed a vibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicetur: templum etiam sanctum, quod prius exspoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum etc.

I. Machab. VI.: Et vocavit Antiochus omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi et corruui corde prae solitudine, et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus

tristitiae, in qua nunc sum, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea? Nunc vero reminiscor malorum, quae feci in Ierusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea, quae erant in ea, et misi auferre habitantes Judaeam sine causa. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista, et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

Psalm. cap. XLIX.: Peccatori autem dixit Deus etc. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Esa. I.: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, foris Israel: Heu consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. Et convertam manum meam ad te etc.

Deuter. cap. XXIII.: Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voverint, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.

P A T R E S.

1. GREGORIUS Turonensis in libro de gloria confessorum, cap. 63.: Leonis Romani imperatoris filia, cum ab spiritu vexaretur immundo, et per loca sancta duceretur, assidue clamabat nequam spiritus: Non hinc egredior, nisi archidiaconus Lugdunensis adveniat: ac nisi ipse me de hoc vasculo, quod acquisivi, ejiciat, nullatenus hinc sum egressurus. Audiens haec imperator, dirigit suos in Gallias. Quem illi repertum suppliciter exorant, ut cum eis ad visitandam puellam Romam dignaretur accedere. Ille vero contradicens, et se indignum, per quem Christus miracula ostenderet, esse vociferans: admonitus Episcopi sui consilio, cum eisdem missis iter dirigit. Et ad imperatorem veniens, cum honore suscipitur. Audiens autem de infirmitate puellae, se ad basilicam beati Petri Apostoli confert, ibique continuato cum vigiliis et orationibus tri-

duano jejunio, quarta die per invocationem Domini nostri Jesu Christi et crucis vexillum, immundum spiritum a corpore puellae depellit. Qua sanata, tria ei centenaria auri imperator offert: sed ille vir altioris spiritus, caducas divitias pro nihilo respuit, dicens: Si me tuis muneribus locupletare desideras, illud, quod cunctae proficiat civitati, largire: tributum, ait, in tertio circa muros milliario populis cede; hoc utrisque animabus salubre beneficium erit. Aurum vero tuum necessarium non habeo; pauperibus pro tua tuorumque felicitate dispensa. Quod ille non abnuens, aurum pauperibus erogat, et tributum petatum civitati concedit. Unde usque hodie circa muros urbis illius in tertio milliario tributa non redduntur in publico. Post discessum vero beati Archidiaconi, ait imperator suis: Si iste, inquit, Deum plus quam pecuniam diligit, digne Ecclesia illa, cujus nobis minister obsequitur, nostris muneribus illustratur. Tunc capsam ad sancta Evangelia recludenda, patenamque et calicem ex auro puro preciosisque lapidibus praecepit fabricari. Quod miro perfectum opere, per hominem eruditum dirigit Ecclesiae, sed nuntius ille inter alpes positus, qui haec exhibebat, ad aurificis cujusdam domum divertit. Cumque ab eo artifex sciscitaretur, quid negotii gereret. rem secretius ac simpliciter pandit, et ille: Si, inquit, meo consilio conniventiam praebueris, multa haec nobis ratio poterit lucra deferre. Ad haec ille diabolo instigante seductus, et (ut fertur inter rusticos sermo vulgatus, quod inhianti auro ac circumventionis fallacias inferentes saepius animi conjunguntur) statim hujus consilii effectus est sectator. Tunc ille deceptor fecit similes de argento species, ut nihil aliud, quam aurum purissimum putarentur, et sic opera, quae cum gemmis filisque aureis fuerant superposita, studiosissime cum clavis affixit. Verum tamen calicem non comminuit, quia cataclyza in ipso fuerant solidata. Denique portitor cum hac fraude Lugdunum advenit. Oblatisque muneribus, ab episcopo muneratur, regressusque ad socium, aurum de speciebus figuratum recipere flagitat: artifex vero adhuc non esse totum paratum pronuntiat, sed sub ipsa expliciturum se nocte pollicetur. Exacta igitur coena, cum in cellula, qua haec operabatur, pariter residerent, concussa subito a terrae motu super eos diruit. Disruptaque terra sub pedibus eorum, ipsos pariter cum pecunia deglutivit, descenderuntque viventes ac vociferantes in tartarum. Ulterius est Deus velociter de fraude Ecclesiae suae. Ego vero has species

Poena terribilis in sacrilegos.
Num. 16. 84.

in Ecclesia Lugdunensi saepissime vidi. Sit hoc populis documentum, ut nullus res Ecclesiae aut appetere, aut fraudare nitatur. Nam aliter videbit Dei iudicium super se velociter imminere.

De Metria
martyre.

1. ET cap. 71.: Aquensibus est concessus inclytus athleta Metrias, vir in corpore juxta historiam actionis magnificae sanctitatis, et licet ditione servus, liber tamen justitia, qui, ut ferunt legentes certaminis ejus textum, peracto cursu boni operis, a saeculo victor accessit, saepius se in caelis degere virtutibus manifestis ostendens. Tempore igitur quodam cum Franco Episcopus hujus municipii Ecclesiam gubernaret, Childericus, qui tunc primus apud Sigibertum regem habebatur, villam ejus competit, dicens: Quia injuste ab Aquensi Ecclesia retineretur, et dicto citius convenitur Episcopus. Datisque fide jussoribus, in praesentia regis adsistit, clamans et obsecrans, ut rex ad hujus causae audientiam praesentiam suam averteret, ne caelesti iudicio condemnetur, addens: Scio enim virtutem Metriae viri beati, quod velociter in pervasorem suum irrogat ultionem. Denique conjuncti adjutores causam discutunt. Insurgit Childericus atque impropere criminibus exacerbatum Episcopum, quod res fisci ditionibus debitas, iniquo ordine retineret, extrahi eum vi a iudicio jubet, et tantum ablata per iudicium praesentium villa, trecentis aureis condemnavit. Favebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem ejus audebat decernere, nisi quod eidem libuisset. Denique condemnatus spoliatusque sacerdos, ad urbem rediit, atque prostratus in orationem coram sepulcro sancti, dicto psalmi capitello, ait: Non hic accendetur lumen, neque psalmorum modulatio canetur gloriosissime sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis suis, resque tibi violenter ablatas, Ecclesiae sanctae restituas. Haec cum lacrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum projecit. Egressusque clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocavit. Nec mora, corripitur pervasor a febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, fastidit et potum, profert aestuans juge suspirium. Cui etiam si ab ardore febris interdum sitis accederet, aquam tantum, nihil aliud, hauriebat. Quid pluram? in hac aegrotatione integrum ducit annum, sed mens prava non flectitur. Interea labitur caesaries cuncta cum barba, et ita omne caput remansit nudum, ut putares eum olim sepultum, nuper ejectum fuisse post funera de sepulcro. His et talibus miser afflictus malis, sero recogitat, dicens: Peccavi, eo quod exspoliave-

Poenam ejus,
qui praedia
Ecclesiae ab-
stulit, et E-
piscopo vim
intulit.

rim Ecclesiam Dei, atque Episcopo sancto intulerim injuriam. Nunc autem ite quantocius, et reddita villa, sexcentos aureos super tumulum sancti deponite. Est enim mihi Restitutio. spes, quod res reddita tribuat aegrotanti medelam. Quod audientes homines ejus, accepta pecunia, fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulcrum servi Dei posuerunt, sed cum hoc fecissent, statim ille in loco, quo erat, spiritum exhalavit, lucratusque est detrimentum animae per adeptionem acquisitionis iniquae. Episcopus autem obtinuit ultionem de inimico Ecclesiae, quam promiserat futuram per athletae Dei virtutem.

5. ITEM libro I. de gloria martyrum, cap. 38.: Quia jugiter mens humana turpibus erubescendisque cupiditatibus inhiat, subdiaconus quidam viso per fenestram argento, cogitat intra se, quod postero die avaritia impellente complevit. Nocte enim consurgens, ingressus est basilicam sanctorum Chrysanthi et Dariae. Deinde per fenestram ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noctis palpans manibus, aliquos de arceis capit; deinde egredi cum praedacupiens, per totam noctem circumiens, nunquam potuit aditum, unde ingressus fuerat, reperire. Dato vero die, dum opera sua obtegi conscius sceleris voluit, juxta illud domini oraculi dictum, quod: Omnis, qui male agit, odit lucem, ut non manifestentur opera ejus, occultavit se in angulo cellulae tota die, ne videretur. Sequenti vero nocte quaesivit iterum aditum, sed reperire non potuit; sic per trium noctium curricula fecit. Tertia vero die, cum jam fame cruciaretur, accessit coram populo ad fenestram, et relicto argento confessus est opus suum, egressusque est foras cum magna verecundia, nec latuit scelus, quod gesserat, populis, qui aderant.

4. ET cap. 72.: Dionysius episcopus Parisiorum urbi datus est martyr; tempore vero, quo Sigibertus rex cum exercitu ad urbem illam venit, et maximam vicorum ejus partem incendio concremavit, quidam de primoribus ejus, ad basilicam antedicti martyris properat, non orationis devotione, sed tantum, ut aliquid fraudaret ab aede; illico ubi reserata ostia ac vacuum templum a custodibus reperisset, palam holosericam auroque exornatam ex gemmis, quae sanctum tegebat sepulcrum, temerario ausu diripuit, secumque sustulit. Veniens autem ad castra, fuit ei necessitas navigandi. Cumque puer ejus, quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis, navem cum

Sacra vasa furto subtrahere cupiens, punitur divinitus. Joan. 3, 20.

Poenam in spoliatorem Ecclesiae.

eodem ascendisset, subito a nullo tactus, de navi ruit, oppressusque aquis, nunquam potuit inveniri. Ille quoque iudicium Dei in se cernens, per pueri amissionem et auri, velociter ad litus, de quo digressus fuerat, remeavit, palamque sepulcri summa velocitate restituit. Et licet hoc fecerit, tamen diem, in quo haec admiserat, recurrente anni circulo, non attingit.

*) alii: Co-
matharius.

5. CAPITE 79.: Ecclesia Agathensis urbis, quae sancti Andreae Apostoli reliquiis plaudit, plerumque gloriosis illustratur miraculis, pervasores rerum suarum sapius arguit. Denique *) Gomacharius comes agrum Ecclesiae ipsius pervadit. Tunc Leo episcopus hujus Ecclesiae valde moestus, concurret ad eum, dicens: Relinque o fili, res pauperum, quas ordinationi nostrae Dominus commendavit, ne tibi sit noxium, et a lacrymis egentium, qui de fructibus ejus ali consueverant, eneceris. Ille vero, quia erat haereticus, parvipendens de his, quae ab Episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur a febre. Cumque non modo ardore corporeo, verum etiam animae vexaretur incommodo, misit ad Episcopum nuntios, dicens: Dignetur pro me sacerdos orationem ad Dominum fundere, et ego dimittam agrum ejus. Quo orante, hic a valetudine, quae gravabatur, convaleuit, factusque sanus, ait suis: Quid patatis, quid isti nunc Romani dicant? Ajunt enim me ob hoc fuisse febre gravatum, quia tulerim agrum eorum, quod mihi juxta consuetudinem humani corporis accidit, verum tamen non habebunt eum me vivente.

Catholici ab
haereticis
Romani ap-
pellantur.

ET dicto citius misit, qui eum iterum auferret. Quod cum Episcopus comperisset, venit ad eum, dicens: Num poenitet te prius fecisse bene, quod hoc iterum conaris evertere? ne facias, quaeso, ne ultioni divinae subiaceas. Qui ait ad Episcopum: Sile, sile decrepite; jam infractum te loris, circuire urbem super asinum faciam, ut sis ridiculo omnibus, qui te adspexerint. At ille silens ad nota recurrit praesidia: prosternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis et psallentio ducit. Mane autem facto, accedit ad lychnos, qui de camera Ecclesiae dependebant, extendensque virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens: Non hic accendetur lumen, donec ulciscatur Deus de inimicis, et restituat res domus suae. Haec eo dicente, protinus haereticus ille in redivivam febrem corrui. Cumque in extremis ageret, misit ad Episcopum, dicens: Oret pro me sacerdos ad Dominum,

Haereticus
Ecclesiae
spoliator a
Deo punitur.

ut vivam et restitnam agrum, ac similem ejus conferam dominationi. Quibus pontifex respondit: Jam oravi ad Dominum, et exaudivit me. Misit et alios ac tertios ad eum nuntios. Sed sacerdos in uno responso persistens, non movebatur ad haec, ut pro eo orationem daret ad Dominum. Haec ille haereticus cernens, jussit se in plastro componi, atque ad eundem vehi, ac per se deprecatur Episcopum, dicens: Quia dupla satisfactione restituto agrum, quem inique pervasi, tantum, ut oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi, ut abiret ad Ecclesiam; quo discedente, ut Ecclesiam est ingressus, et hic spiritum exhalavit, recepitque confestim Ecclesia rem suam.

6. IDEM Grégorius Turonensis libro II. de gloria martyrum, cap. 13.: Cum ob direptionem Arvernorum Theodericus rex festinaret, et ingrediens terminum vastatione cuncta subigeret, pars aliqua ab exercitu separata, ad Brivatensem vicum infesta prorupit, fama vulgante, quod in basilica essent incolae cum multis thesauris adunati. Cumque pervenissent ad locum, inveniunt multitudinem promiscui sexus, obseratis ostiis in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cumque intrare non possent, unus per effractam ceu fur in altari sancto fenestram vitream ingreditur, quia, qui non intrat per januam, hic latro est; dehinc reseratis aedis illius valvis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum suppellectilia cum ministris ipsius basilicae, reliquumque populum, qui infra erat, educatum, foris diviserunt haud procul a vico. Quae cum ad regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diversis motibus condemnavit. Fugiens vero ille, qui irrupta aede caput fuit hujus sceleris, igne de caelo dilapso consumptus interiit, super quem cum multi acervum lapidum congregassent, a tonitruis et coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui vero de consentaneis latentes regem, in patriam sunt regressi, correpti a daemone, diversis exitibus hanc vitam crudeliter finierunt. Haec audiens rex, omnia, quae exinde sunt ablata, reddidit. Praeceperat enim, ne in septimo a basilica milliario quis vim inferret.

Joan. 10, 1.

Sovera Dei ultio in Ecclesiae direptiones.

7. ET cap. 14.: Siginaldus cum rege praepotens, cum omni familia sua in Arvernam regionem ex regis jussu migravit, ubi dum multorum res injuste competeret, villam quandam, quam gloriosae memoriae Tetradius Episcopus Biturigensis, basilicae sancti Juliani reliquerat, sub specie obumbratae commutationis, avidus pervasit, sed mense

Praedil ecclesiastici invasor puniatur.

tertio, postquam aggressus est, correptus a febre et sine sensu effectus, declinavit caput ad lectulum. Cujus uxor, dum de hoc exitu moesta penderet, a quodam sacerdote commonita est, ut eum, si videre vellet incolumem, auferret a villa. At illa haec audiens, praeparatis carrucis, compositoque plaustro, quo eum eveheret, mox ut praedium sunt egressi, protinus divina sunt pariter gratia munerati; tam iste sospitatem, illa meruit ex hujus incolumitate laetitiam.

8. ITEM cap. 15.: Pastor quidam non strenuitas, sed nomine ingenuus, dum in multis rebus contra basilicam sancti martyris Juliani injuste ageret, ad hoc levitas ejus inimico ingrassante convaluit, ut colonias basilicae concupiscens, quae agro ejus erant proximae, pervadere non timeret. Ad quem sacerdos loci, cum aliquos de clericis quasi legatos mitteret, ut accepta ratione, quod male pervaserat, relaxaret, ille quasi contra iniquum hostem telis correptis prosiluit, fugatisque sagittis clericis, res sancti in dominatione retinuit. Factum est autem, ut in proximo adveniret dies passionis martyris gloriosi, ad quam ille immemor pervasionis suae atque injuriae, quam intulerat clericis, ante quinque dies solemnitatis ad vicum Brivateensem advenit, qui cum in domo hospitalitatis suae convivio cum laetitia et exultatione fungeretur, subito coruscatione facta tonitruum sonnit. Rursumque iterato, jaculo igneo de caelis elapso percussus est, nullo tamen de reliquis pereunte. Deinde ad exemplum omnium, tanquam rogos flammeus ardens, paulatim consumebatur. Ad quod miraculum populus, qui ad beati festa convenerat, haec cernens cum admiratione, metuebat, satisque illi fuit, ne de rebus sancti aliquid ultra contingeret. Quod ne fortuito actum quis putet, cernat inter multos innoxios unum interisse sacrilegum.

Ultio divina
in sacrile-
gum.

9. CAPITE 16.: Quid etiam ad Beconis comitis confutandam superbiam beatus martyr sit operatus, evolvas. Hic cum actiones ageret publicas, et elatus jactantia multos contra justitiam aggravaret, casu contigit, ut dimissum accipitrem diu per diversa vagantem perderet. Similiter ut unus de servientibus basilicae sancti Juliani, accipitrem alium, dum per viam ambularet, quasi vagum invenit. Erat enim puer ille pincerna in domo basilicae. Quod cum ad Beconem pervenisset, quod scilicet puer repertum teneret accipitrem, calumniari coepit ac dicere: Meus ille erat, inquit, et hic furto eum sustulit. Deinde succedente

avaritia, misit illum vinctum in carcerem, deliberans eum in sequenti, patibulo condemnare. Tunc sacerdos moestus valde ad sepulcrum sancti properat, reseratisque cum gemitu causis, apprehensis decem aureis per fideles amicos Beconi obtulit. Quod ille pro nihilo respuens, cum juramento adseruit, nunquam se puerum dimissurum, nisi exinde aureos triginta acciperet. Quod presbyter desuper sepulcro sancti accipiens, Beconi transmisit, quos acceptos satiata auri cupiditate, puerum restauravit incolumem; sed Deus omnipotens, qui permanet ante solem, secundum bonitatis suae divitias, humiliavit calumniatorem. Nam ipsius anni transacto curriculo veniens ad sancti festivitatem cum caterva satellitum, ingressus est limen sanctum. Procedente vero lectore, qui beatae passionis recenseret historiam, ut revolvit librum, et in principio lectionis, sancti Juliani protulit nomen, confestim Becco voce nescio qua teterrima, ad terram corruit, crüenteque spumans dare voces diversas coepit; inde inter suorum manus sublatus a basilica, domum reducitur. Nec fuit dubium pueris ejus, haec ob in-

Propter ministrum basilicae martyris injuria affectum punitus comes.

10. ET cap. 17.: Fuit etiam quidam Diaconus, qui relicta Ecclesia, fisco se publice junxit, acceptaque a patronis potestate, tanta perpetrabat scelera, ut vix posset a vicinis circumpositis sustineri. Accidit autem quadam vice, ut saltus montenses, ubi ad aestivandum oves abierant, circumiret, atque pascuaria, quae fisco debebantur, inquireret. Cumque diversos spoliaret injuste, conspicit eminus greges, qui tunc sub nomine martyris tuebantur, ad quos levi cursu evolans, tanquam lupo rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti pastores ovium, dicunt ei: Ne, quaesumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Juliani dominio subjugati sunt, quibus ille haec irridens respondisse fertur: Putasne, quia Julianus comedit arietes? Dehinc ipsis verberibus affectis, quae voluit, abstulit, ignorans miser, quod, qui de domibus Sanctorum aliquid aufert, ipsis sanctis injuriam facit, ipso sic Domino protestante: Qui vos spernit, me spernit: et qui recipit justum, mercedem justii accipiet. Contigit autem, ut post dies multos non religione, sed casu conferente, ad vicum Brivatensem properaret, projectusque humo ante sepulcrum, mox a febre corripitur, et tanta vi caloris opprimitur, ut

Qui de domibus Sanctorum aliquid aufert, ipsis Sanctis injuriam facit. Luc. 10, 15. Matth. 10, 40.

neque consurgere, neque puerum evocare posset: famuli vero, cum vidissent eum extra solitum plus occumbere, accedentes: Quid tu, inquit, in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi tam longus mos erat orandi, aut devotio. Ferebant autem de eo, quod, quando quidem in Ecclesia fuisset ingressus, parumper immurmurans, nec capite inclinato, regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris, cum responsum reddere non valeret, ablatu manibus e loco, in cellam, quae erat proxima, lectulo collocatur. Igitur invalescente febre proclamatur se miserum incedi per martyrem, et quod primo siluerat, admotis animae iudicii facibus, crimina confitetur, jactarique super se aquam voce, qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque cum vasculo lymphis, et in eum saepe dejectis, tanquam de fornace ita fumus egrediebatur e corpore. Interea miseri artus, ceu combusti in ingredinem convertuntur. Unde tantus procedebat foetor, ut vix de adstantibus possent aliquid tolerare. Innuens enim dehinc manu, indicat se esse leviolem; mox illis recedentibus, hic spiritum exhalavit, de quo haud dubium est, qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit iudicio.

Nota Dei vindictam in sacrilegum.

11. ET cap. 20.: Advenerat festivitas sancti Juliani, et ecce quidam e populo conspicatur ornamenti immensis beatam basilicam effulgere. Concupiscit iniqua mente, quod adipiscens non poterat occultare. Igitur discedente populo a basilica, post gratiam vespertinam, hic se in angulo basilicae reprimens, latitavit, ac dato cunctis nocturnae quietis silentio, operientique umbrosa caligine mundum, consurgit ab angulo, et nihil dubitans, utique qui a satel- lite Satana impellebatur, super cancellum beati sepulcri cursu prosiliit rapido, detractamque a summo unam gemmis coruscantibus crucem ad terram dejecit, collectisque vellulis ac palliolis de circuitu parietum pendentibus, unum voluculum facit, imposuitque humeris, ac elevata cruce manu, ad locum unde discesserat repetit, ac posita capiti sarcina, peccati sopore compressus, obdormivit. Media vero nocte circumeuntes custodes sanctam basilicam, adspiciunt in angulo unam gemmam crucis, tanquam jubar caeleste refulgere; obstupefacti, accedunt cominus cum timore, admotoque cereo inveniunt personam cum rebus furatis, quas auferre non potuerat, inibi decubare. Denique sub custodia eum illa nocte detentum, mane facto, cuncta, quae fecerat, patefecit, asserens se lassum obdormisse, eo quod diu-

Cruz coruscantibus gemmis.

Ornamenta Ecclesiae furatus deprehenditur.

tissime circumiens cum fasce basilicam, ostium, unde egrederetur, reperire non poterat.

12. THEODORETUS Ecclesiasticae historiae libro III., cap. 11.: Verum impii gentiles, quamquam haec ita accidisse pro certo cognoscebant, tamen contra Deum universarum rerum moderatorem, se armare coeperunt. Tyrannus item sacra vasa in aerarium regium inferri, et portas Ecclesiae, quam Constantinus aedificarat, obserari mandat, quo nullus aditus illis, qui in *) eo conventus agere solent, **) ea omnino pateret. Hanc Ecclesiam id temporis occupabant Arriani. In sacrosanctum autem templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur, Julianus praefectus Orientis, Felix regii thesauri quaestor, et Elpidius privatae pecuniae et facultatum imperatoris procurator, quem Romani comitem privatum appellare consueverunt. Felicem vero et Elpidium, cum essent Christiani, quo impio imperatori gratificarentur, a vera religione ad pietate descivisse ferunt. Julianus autem, cum esset in templo, adversus sacram mensam minxisse fertur, atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse, dixisseque res Christianorum divina cura ad providentia prorsus destitutas esse. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus, (Constantinus enim et Constantius splendide et ample ea conficienda curaverant): Ecce, inquit, quam sumptuosius vasis filio Mariae ministretur.

Sub imperio Juliani apostatae, quomodo sacrilegia commissa sunt.

Julianus avunculus imperatoris adversus sacram mensam minxit.

Sumptuosius vasa sacridentur a Felice.

13. ET cap. 12.: Sed isti Tyranni pro his impiis et insanis facinoribus non diu post poenas persolverunt. Nam Julianus confestim in gravem morbum delapsus, visceribus putredine exesis interiit, atque stercus non amplius per partes illas corporis, per quas naturaliter egeri solet, emisit, sed sceleratum ejus os, instrumentum blasphemiae, partis illius ad stercus ejiciendum natae, locum obtinuit. Ferunt ejus uxorem, mulierem ob fidei praestantiam egregie nobilitatam, haec ad maritum dixisse: Debes merito, mi vir, Christum servatorem laude praedicare, quod tibi haec castigatione suam potentiam ostenderit. Nam quem oppugnasses, plane te praeteriisset, nisi consueta sua lenitate usus, has plagas divinitus tibi inflixisset. Miser igitur partim conjugis oratione, partim cruciati sibi imposito morbi causam perspicens, orat imperatorem, ut Ecclesiam his, quibus erat ablata, redderet. Sed neque ei hoc persuasit, et ipse exemplo migravit e vita. Felix autem derepente flagello etiam caelitus impacto oppressus, sanguinem dies noctesque ex ore fudit, quippe sanguis ex omnibus undique

Sacrilegi Juliani poena divinitus inflicta.

Sacrilegi Feliciae poena.

corporis, ut ita dicam, vasis, quibus continebatur, ad eam partem confluit. Itaque universo ejus sanguine ad hunc modum exhausto, statim extinctus est, et aeternae morti traditus. Has quidem poenas isti pro sua impietate dederunt.

Ex ornamentis altaris camisias et femoralia faciens puni-
tur.

14. VICTOR Episcopus libro I. persecutionis Wandalicae: Accenditur propter haec adversus Dei Ecclesiam Geisericus. Mittit Proculum quemdam in provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos Domini sacerdotes, ut primo armis nudaret, et ita facilius inermes hostis callidus captivasset. Quibus non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis altaris (pro nefas) camisias sibi et femoralia faciebat. Qui tamen Proculus hujus rei exsecutor, frustatim sibi comedens linguam, in brevi turpissima consumptus est morte.

Psal. 49.
Furtum alienum, cui consentis, sit tuum.

15. AUGUSTINUS in psalmum CXXIX.: Quando portas infirmitatem fratris tui, non te onerent peccata ipsius. Plane si consentias, jam tua te premunt, non alterius. Quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed suis gravatur. Consensio enim ad peccatum alterius, tuum sit peccatum, et non est, quare queraris, quod peccata aliena te premant; dicitur enim tibi: Premunt te, sed tua. Vidisti furem, cucurristi cum eo. Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum, immo mente conjunxisti te furto. Quod ipsius solum erat, factum est tuum, quia placuit tibi.

XI.

Quomodo alienum peccatum nostra defensione committimus?

A. Cum aut malefactoribus patrocinauer, aut doctrinam alterius, quamvis perversam et impiam, tuemur vel spargimus, quum nostra itidem cura vel opera, quod contra fas et aequum instituitur, promovere atque propugnare contendimus.

1) Esa. 5,
20. et 10. 1.
2.

Adversus hos divinum intonat oraculum: ¹ *Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum po-*

nentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Ac rursus: ² Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies.

²⁾ Exod. 23.
^{2.}

B. Haec satis de peccatis, ut vocant, alienis, quae nunc profecto longe lateque patent, et summa quotidie licentia, a magnatibus praesertim, perpetrantur. Adeoque vulgo ea non caventur, ut plerique peccata non esse putent ac flocci pendant, etiamsi suas et aliorum saepe conscientias his criminum sordibus conspurcent, ac perpetuis poenis obligent. Possunt autem dictae species omnes in tria fere genera conjici, breviterque, ut magnus Basilius³ ostendit, comprehendi. Quod enim in alieni erroris vel peccati societatem incidimus, id fit aut re et opere, aut voluntate certove animi proposito tantum, aut supina negligentia, si quando admonendi et emendandi officio nostro alii defraudantur.

³⁾ Basil. lib.
^{2.} de baptie.
cap. 9.

C. Sed longe omnium deterrimum peccandi genus est, quo delinquitur in Spiritum sanctum.

SCRIPTURAE.

Esa. V.: Vae, qui dicitis etc., ut in textu.

Et cap. X.: Vae, qui condunt leges iniquas, et scribentes, iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent.

Exod. XXIII.: Non sequeris turbam etc., ut in textu.

B. BASILIUS libro II. de baptismo, quaestione 9,
ut supra, quaest. 1. de peccatis alienis, auctorit. 4.

DE PECCATIS
IN SPIRITUM SANCTUM

I.

Quid est peccatum in Spiritum sanctum?

Vide S. Thomam in 2. part. summ. Theolog. quaest. 14.

1) Matth. 12, 31. 32.
Marc. 3, 28-29.
Luc. 12, 10.

Est, oblatam Dei munificentiam et gratiam, quae Spiritui sancto, ceu fonti bonorum, tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abjicere. Atque hoc est peccare inexpiabiliter, ut juxta Christi verbum, ¹ nec in hoc ipso, neque in futuro saeculo talis tantique peccati remissio impetretur. Hac enim lege nobiscum agit Deus, ut nec gratiam in terris, neque gloriam in caelis tribuat aliis, quam qui peccatum detestantur agnitum, et praeter id bonum sibi proponunt, rectumque eligunt vitae institutum. Caeterum in hisce peccatis abest tum peccati detestatio, tum boni, quod sectandum erat, electio, et abjicitur praeterea id, quo Spiritus sanctus pro sua gratia hominem a peccando solet revocare. Hinc fit, ut ejusmodi peccatis implicati, Dei gratiam aut nun-

quam, aut raro et aegre admodum consequantur. Peccatur enim non ex humana imbecillitate vel fragilitate, quod vocant peccare in Patrem Patri-
 que potentiam, ut in Petro ² apostolo Christum ^{2) Matth. 26, 73. 74. vide Gregor. lib. 25. Moral. cap. 10.} ipsum negante cernimus, neque rursus ex igno-
 rantia, quod est peccare, ut appellant, in Fi-
 lium Filiique sapientiam, sicut ³ Saulo accidit ^{3) 1. Tim. 1, 13. Act. 9, 1-2.} Ecclesiam persequenti, sed quod longe gravius
 est, ex malignitate, et pervicacia mentis peccat-
 ur, ut exemplum praebent perversissimi et ob-
 stinatissimi illi Pharisei.

II.

Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?

Ejusmodi sex recensentur, ut vulgo quidem recepta sunt eorum haec nomina: Praesumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, desperatio, agnitae veritatis impugnatio, fraternae caritatis invidentia, obstinatio, et impenitentia. Significantius autem erit, si quis ita numeret:

- I. Divina misericordia confidenter abuti.
- II. De gratia Dei vel salute sua prorsus desperare.
- III. Veritatem religionis adversus suam ipsius conscientiam hostiliter oppugnare.
- IV. Pertinaci invidia concitari graviter ob alienae salutis et virtutum fraternarum successum.

V. **Obfirmato animo in crimine scienter persistere.**

VI. **Absque poenitentiae proposito perversae vitae finem nullum facere.**

SCRIPTURAE.

Matth. XII.: Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.

Marc. III.: Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti, quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.

Luc. XII.: Omnis, qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

Matth. XXVI.: Et post pusillum accesserunt, qui stabant, et dicebant Petro: Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua te manifestum facit. Tunc coepit detestari et jurare, quia non novisset hominem.

I. Timoth. I.: Qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

Act. IX.: Saulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut, si quos invenisset hujus viae viros ac mulieres, vincitos perduceret in Jerusalem.

P A T R E S.

1. SANCTUS THOMAS Aquinas in II. parte 2. partis summae theologiae, quaestione 14., articulo 1.: De peccato seu blasphemia in Spiritum sanctum tripliciter aliqui loquuntur. Antiqui enim Doctores, scilicet Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus et Chrysostomus, dicunt esse peccatum in Spiritum sanctum, quando ad literam aliquid blasphemum dicitur contra Spiritum sanctum, sive Spiritus sanctus accipiatur, secundum quod est nomen essenziale conveniens toti trinitati, cujus quaelibet persona et Spiritus, et sanctus est, sive prout est nomen personale unius in Trinitate personae. Et secundum hoc distinguitur Matthaei duodecimo, blasphemia in Spiritum sanctum, contra blasphemiam in filium hominis. Christus enim operabatur quaedam humanitas, comedendo, bibendo et alia hujusmodi faciendo, et quaedam divinitus, scilicet daemones ejiciendo, mortuos suscitando, et alia hujusmodi, quae quidem agebat et per virtutem propriae divinitatis, et per operationem Spiritus sancti, quo secundum humanitatem erat repletus. Judaei autem primo quidem dixerant blasphemiam in filium hominis, cum dicebant eum voracem, potatorem vini, et publicanorum amatorem, ut habetur Matthaei undecimo: Postmodum autem blasphemaverunt in Spiritum sanctum, dum opera, quae ipse operabatur virtute propriae divinitatis, et per operationem Spiritus sancti, attribuebant principi daemoniorum. Et propter hoc dicuntur in Spiritum sanctum blasphemasse. Augustinus autem in libro de verbis Domini, *) blasphemiam vel peccatum in Spiritum sanctum, dicit finalem esse impenitentiam, quando scilicet aliquis perseverat in peccato mortali usque ad mortem. Quod quidem non solum verbo oris fit, sed etiam verbo cordis et operis, non uno, sed multis. Hoc autem verbum sic acceptum, dicitur esse contra Spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum sanctum, qui est caritas et Patris et Filii. Nec hoc Dominus dicit Judaeis, quasi ipsi peccarent in Spiritum sanctum. Nondum enim erant finaliter impenitentes. Sed admonuit eos, ne taliter loquentes ad hoc pervenirent, quod in Spiritum sanctum peccarent. Et sic intelligendum est, quod dicitur Marci tertio, ubi postquam dixerat: Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, subjungit Evangelista: Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. Alii vero aliter accipiunt. dicentes peccatum vel blasphemiam in

Triplex S.
patrum sententia de peccato in Spiritum sanctum.
In cap. 12.
Matthaei.

Prima explicatio.

Secunda.

*) Sermo. 11.

Tertia interpretatio.

Spiritum sanctum esse, quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritus sancti. Sic enim Spiritui sancto appropriatur bonitas, sicut et Patri appropriatur potentia, et Filio sapientia. Unde peccatum in Patrem dicunt esse, quando peccatur ex infirmitate; peccatum in filium, quando peccatur ex ignorantia; peccatum in Spiritum sanctum, quando peccatur ex certa malitia, id est, ex ipsa electione mali. Quod quidem contingit dupliciter: Uno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur, et sic non est idem, peccare ex malitia, quod, peccare in Spiritum sanctum. Alio modo contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur et removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, et timor per praesumptionem, et quaedam alia hujusmodi, ut infra *) dicitur. Haec autem omnia, quae elationem impediunt, sunt effectus Spiritus sancti in nobis. Et ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum sanctum.

*) Art. sequent. et 20. et 21.

Quomodo distinguuntur species peccati in spiritum sanctum.

2. ET articulo 2.: Secundum quod peccatum in Spiritum sanctum, tertio modo accipitur, convenienter sex species ei assignantur, scilicet desperatio, praesumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitae, et invidentia fraternae gratiae, quae distinguuntur secundum remotionem vel contemptum eorum, per quae potest homo ab electione peccati impediri. Quae quidem sunt vel ex parte divini iudicii, vel ex parte donorum ipsius, vel ex parte ipsius peccati. Avertitur enim homo ab electione peccati ex consideratione divini iudicii, quod habet justitiam cum misericordia, et per spem, quae consurgit ex consideratione misericordiae remittentis peccata, et praemiantis bona. Et haec tollitur per desperationem. Et iterum per timorem, qui consurgit ex consideratione divinae justitiae punientis peccata. Et hic tollitur per praesumptionem, dum scilicet aliquis praesumit se gloriam posse adipisci sine meritis, vel veniam sine poenitentia. Dona autem Dei, quibus retrahimur a peccato, sunt duo, quorum unum est agnitio veritatis, contra quod ponitur impugnatio veritatis agnitae, dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, ut licentius peccet. Aliud est auxilium interioris gratiae, contra quod punitur invidentia fraternae gratiae, dum scilicet aliquis non solum invidet personae fratris, sed etiam invidet gratiae Dei crescenti in mundo. Ex parte vero peccati duo sunt, quae hominem a peccato retrahere possunt. Quorum unum est inordinatio et turpitudine actus, cujus consideratio inducere solet in homine poenitentiam de peccato commisso. Et

contra hoc ponitur impenitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, sicut supra impenitentia accipiebatur: (sic enim non esset speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia) sed accipitur hic impenitentia, secundum quod importat propositum non poenitendi. Aliud autem est parvitas et brevitatis boni, quod quis in peccato quaerit, secundum illud Romanorum sexto: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc, quod ejus voluntas in peccato non firmetur. Et hoc tollitur per obstinationem, quando scilicet homo firmat suum propositum in hoc, quod peccato inhaereat. Et de his duobus dicitur Hierem. 8.: Nullus est, qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? quantum ad primum. Omnes conversi sunt ad cursum, quasi equus impetu vadens ad praelium, quantum ad secundum.

3. ITEM articulo 3.: Secundum diversas acceptiones peccati, peccatum in Spiritum sanctum, diversimode irremissibile dicitur. Si enim dicatur peccatum in Spiritum sanctum, finalis impenitentia; sic dicitur irremissibile, quia nullo modo remittitur. Peccatum enim mortale, in quo homo perseverat usque ad mortem, quia in hac vita non remittitur per poenitentiam, nec etiam in futuro dimittetur. Secundum autem alias duas acceptiones dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur. Et hoc dupliciter: Uno modo, quantum ad poenam. Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur. Qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur. Similiter etiam, qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo adspiciebat: et sic minorem poenam merebatur. Sed qui ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritus sancti diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus poena diminueretur. Et ideo dicitur, secundum expositionem *) Chrysostomi: Hoc peccatum Judaeis non remitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro, quia pro eo passi sunt poenam et in praesenti vita per Romanos, et in futura vita in poena inferni. Sicut etiam Athanasius **) inducit exemplum de eorum parentibus, qui primo quidem contra Moysen contenderunt propter defectum aquae et panis, et hoc Dominus sustinuit

Quomodo
peccatum in
Spiritus
sanctum di-
catur irre-
missibile.

*) hom. 43.
in Matth.

**) in tract.
quem facit
de hoc dicto
Evang.

Exod. 46, 5. patienter. Habebant enim excusationem ex infirmitate carnis. Sed postmodum gravius peccaverunt, quasi blasphemantes in Spiritum sanctum, beneficia Dei, qui eos de Aegypto eduxerat, idolo attribuentes, cum dixerunt: Hi sunt dñi tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et ideo Dominus et temporaliter fecit eos puniri, quia ceciderunt in die illa quasi triginta tria millia hominum, et in futuro eis poenam comminatur, dicens: Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. Aliq̄ modo potest intelligi quo ad culpam: sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare, ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae sit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praeccluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.

4. GREGORIUS libro XXV. *Moralium*, cap. 16:

Tribus modis peccatur. Sciendum est, quod peccata tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetuatur. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat: Qui prius sui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus, quia ignorans feci incredulitate. Petrus vero infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellae concussit, et Deum, quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiae eo facilius tergitur, quod non studio perpetratur, Paulus, qui ignoravit, sciendo correxit, et Petrus motam et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria vero peccaverunt ii, de quibus ipse per se magister dicebat: Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et paulo post: Et viderunt et oderunt me et patrem meum. Aliud est enim, bona non facere; aliud, bonorum odisse doctorem, sicut aliud est praecipitatione, aliud deliberatione peccare. Saepe enim peccatum praecipitatione committitur, quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum, sed implere non posse. Ex studio vero peccare est, bonum nec

Tribus modis peccatur.

Ignorantia.
1. Tim. 1. 13.

Infirmitate.

Matth. 26. 69.
sq.

Ex industria.
Joan. 16, 22.

facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est, peccatum diligere, quam perpetrare: ita nequius est, odisse justitiam, quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quae ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet, si vellent implere bona, nec tamen possent, ea, quae in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent; sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, recte dicitur: qui ex industria recesserunt ab eo. Unde et apte subjungitur: Et omnes vias Job 33, 27. ejus intelligere noluerunt. Non enim ait: Infirmitate non intelligunt, sed: intelligere noluerunt, quia saepe, quae facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est: Servus nesciens voluntatem Domini sui, et faciens digna plagis vapulabit paucis, et servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis; impunitatem peccandi, existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiae caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud est, nescisse; aliud, scire noluisse. Nescire enim, ignorantia est; scire noluisse, superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere, quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur, quod cognoscant.

Luc. 12, 47.
48.

Aliud est,
nescire, aliud
scire noluisse.
**

III.

Quaenam praesumptio facit peccatum in Spiritum sanctum?

A. Ea, quae hominem sola Dei misericordia confidentem, et ad peccandum audacem facit, seposita videlicet ac abjecta omni justitiae timorisque divini ratione.

Gregor. in cap. 3. lib. 1. regum, et lib. 33. Moral. cap. 15. Item lib. 0. epistol. 22. Aug. vel Fulgent. de fide ad Petrum cap. 3. Bern. serm. 38. ex parvis sermonibus.

B. Et sic sane peccant hodie complures, qui ¹ sola fide in Christum sibi

1) Aug. de fide et operibus cap. 14. et 22. in

Fuchrid. cap. 67. et
haereti 54. Hieron. in
cap. 4. Osee.

2) Joel. 1, 17.

3) 2. Petr. 2, 18. 10.
Eccl. 8, 14. Concil. Tri-
dent. aec. 6 cap. 9. et
can. 12. 13. et 14. Hi-
ero. in cap. 4. Danielis.

4) Luc. 3, 8. 13, 3.
Matth. 3, 8 — 10. Act.
20, 20. Eccl. 2, 22.

5) Rom. 2, 4. Eccl. 8,
11 — 13. Eccl. 15, 21.
Aug. tract. 33. in Joan.
et hom. 50. ex 30. cap.
10. Isidor. de summo
bono libr. 2. cap. 13.

6) 1. Cor. 13, 1 — 3.

7) Philip. 2, 12. Psal.
2, 11. Prov. 28, 14. Rom.
11, 20. 1. Cor. 4, 4-10,
12.

8) Jacob. 2, 14 — 20.

9) Galat. 5, 6.

10) Eccl. 5, 5 — 7. Eccl.
9, 1 — 3. Vide Aug. de
perfectione iustitiae res-
ponsa. 19. Item de cor-
rep. et gratia cap. 13. et
hom. 41. ex 50. et ser.
3. de innocent. Gregor.
lib. 10. moral. cap. 31.

12) Psal. 100, 1. Ber-
nard. serm. 52. ex par-

blandientes, vel in mediis peccatorum
sordibus, ² ut jumenta, computrescunt,
nec sibi solum, sed aliis itidem polli-
ceri audent ³ securitatem, modo meritis
Christi et Dei gratiae per fidem appre-
hensae fidant, quantumvis interim poe-
nitentiae ⁴ fructus negligantur. Horum
vero singulis acclamat gentium Doctor
in fide et veritate Paulus. ⁵ *An divitias,
inquit, bonitatis Dei et patientiae, et
longanimitatis contempnis? Ignoras quo-
niam benignitas Dei ad poenitentiam te
adducit? Quam ob rem idem Paulus ali-
bi fidem solam ⁶ adeo jactari non vult,
ut etiam credentes omnes jubeat cum
metu ⁷ ac tremore salutem suam operari:
fidemque commendat, non mortuam et
otiosam, ut ⁸ Jacobus vocat, sed vivam
et efficacem, quae per ⁹ caritatem legitime
operatur.*

C. Contra hoc enorme peccatum sic
Ecclesiasticus clamat: ⁰ *De propitiato
peccato noli esse sine metu, neque adji-
cias peccatum super peccatum. Et ne
dicas: miseratio Domini magna est, mul-
titudinis peccatorum meorum miserebitur.
Misericordia enim et ira ab illo cito pro-
ximant, et in peccatores ira illius respi-
cit. Recte igitur Propheta: ¹¹ Misericor-*

diam et iudicium cantabo tibi Domine. vis et serm. 6. in cant. Aug. de util. poenit. cap. ult.
Tum alibi: ¹² *Honor regis iudicium diligit.* 12) Psalm. 98. 5.

S C R I P T U R A E.

Joelis cap. I.: Computruerunt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatae sunt apothecae, quoniam confusum est triticum.

II. Petri cap. II.: Superba enim vanitatis loquentes, pelliciant in desideriis carnis luxuriae, eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis.

Ecc l. cap. VIII.: Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.

Lu c. cap. III.: Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Et cap. XIII.: Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Matth. cap. III.: Facite ergo fructum dignum poenitentiae etc. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Act. cap. XXVI.: Sed his, qui sunt Damasci primum, et Hierosolymis, et in omnem regionem Judaeae, et Gentibus annuntiabam, ut poenitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna opera poenitentiae facientes.

Ecc les. cap. II.: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.

Rom. cap. II.: An divitias bonitatis ejus, et patientiae; et longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in

die irae, et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus etc.

Eccles. VIII.: Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpe-
trant mala. Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.

Eccles. XV.: Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

I. Cor. cap. XIII.: Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum; et si distribuero etc.

Philippens, cap. II.: Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini.

Psal. cap. II.: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.

Proverb. cap. XXVIII.: Beatus homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est durae, corruet in malum.

Rom. XI.: Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. Si enim etc.

I. Cor. IV.: Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.

Et cap. X.: Qui se existimat stare, videat, ne cadat.

Jacob. II.: Quid proderit, fratres mei, si fidem quae dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater aut soror noster

sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori: quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semet ipsa. Sed dicit quis: Tu fidem habes, et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis, quoniam unus est Deus? Bene facis; et daemones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? Similiter autem et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via eiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Galat. cap. V.: Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per caritatem operatur.

Eccles. V.: Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.

Eccles. IX.: Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incer-

ta, eo quod universa aequae eveniant justo et impio, bono et malo; mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnti; sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille, qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia, quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post haec ad inferos deducuntur.

Psalm. C.: Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine.

Et capite XCVIII.: Honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones, iudicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

P A T R E S.

1. A. GREGORIUS in caput III. libri primi regum, 1. Reg. 3. 18. super ea verba: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. Qui simplicius, quam debet, istam Heli responsionem considerat, tam recte hunc respondisse, quam humiliter, putat. Sed profecto ista responsionis humilitas, si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est. Vere esset humilis, si sese ad emendationem culpa, pro qua arguebatur, obtulisset. O quanti adhuc sunt imitatores Heli, qui cum minantem sibi omnipotentem Deum quotidie de sacro eloquio sentiant, et tamen hominibus displicere trepidant, et divinae indignationis minas incurrere non formidant, et dum inimicitias hominum velut implacabiles metuunt, de Dei misericordia etiam peccando confidunt. Sed inordinata fiducia apud omnipotentem Deum vindictae locum habere potest, indulgentiam vero obtinere non potest. Incorrepto enim peccatori, et in culpa suae proposito perduranti, quid est de minanti sibi Deo dicere: Dominus est, quod bonum in oculis suis, faciat, nisi de ordinatissima Dei misericordia inordinate confidere? De omnipotentis etenim Dei misericordia ordinate confidit, qui hoc, quod peccando delinquit, poenitendo corrigit, fiendo tergit. Peccare ergo, et de Dei creatoris clementia praesumere, pelago justitiae ejus expomi est. Sic nimirum peccata perpetrata non tergere poenitudo, et de Dei miseri-

Inordinata fiducia vindictae locum habet.

1. Reg. 3. 18.

Inordinate confidentes de Dei misericordia.

cordia praesumere, in iudicium districtio-
 nis eius offendere est. Dum ergo Heli vita in reproborum praedicatorum forma
 describitur, non solum culpae lapsus ostenditur, sed etiam
 culpae in praecipitatione securitas. Nam qui timore poe-
 nitentiae, divinae indignationis magnitudinem placare po-
 tuit, dum neglexit, quod audivit, incurrit, quod meruit.
 Omnipotens enim Deus etsi aequitate justus est, abundan-
 tiori tamen creditur miseratione pius. Unde et per Prophetam
 dicitur: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Hinc
 est, quod per Jonam Prophetam Ninivitis minas submersio-
 nis protulit, et tamen poenam evertendae civitatis poeni-
 tentibus indulxit. Hinc est etiam, quod Ezechiae regi per
 prophetae oraculum mortis poena promittitur, sed quia
 rex mori metuens, coram Domino se poenitentiae lacrymis
 afflixit, mortem, qua moreretur, apud eum, quem timuit,
 non invenit. Et supra quidem Dominum locutum fuisse
 asseruit, ut domus Heli et patris ejus in conspectu suo
 usque in sempiternum ministraret, sed qui de bona agente
 bona locutus fuerat, de domo reproba jam effecta senten-
 tiam permutavit, dicens: Nunc autem absit hoc a me. Si
 ergo bona promissa revocat omnipotens Deus, quia ii, qui-
 bus promiserat, male permutantur, quanto magis minarum
 effectus retrahit, cum bene conversos eos adspicit, quibus
 pro admissis iniquitatibus poenam animadversionis intimavit?
 Quid ergo ad haec dicimus, qui quotidie delinquimus,
 atque in reatus nostri obligatione securi sumus? Hoc igitur
 ipsum, quod districtio-
 nem divinae justitiae non timeamus,
 nobis valde timendum est, quia ecce, qui divina in-
 dignatione projicitur, pro culpa perpetratae negligentiae,
 nullo timore sollicitus fuisse perhibetur.

Deus miseri-
 cors.
 Psal. 144, 9.
 Jon. 3. 4. 29.

Esa. 55, 1. 29.

2. IDEM GREGORIUS libro XXXIII. *Moralium*, ca-
 pite 15.: Pius ac justus est conditor noster. Sed nemo
 dicat: quia pius est, venialiter pecco. Et nemo, qui pec-
 caverit, dicat: quia justus est, de peccati remissione des-
 pero. Relaxat enim Deus facinus, quod defletur, sed
 perpetrare quisque timeat, quod si digne deslere possit, ig-
 norat. Ante culpam ergo justitiam metuat, post culpam tamen
 de pietate praesumat, neque ita justitiam timeat, ut nulla
 spei consolatione convalescat, neque ita confidat de miseri-
 cordia, ut adhibere vulneribus suis dignae poenitentiae
 negligat medicinam, sed quem praesumit sibi pie parcere, semper
 etiam cogitet et districte judicare. Sub pietate itaque ejus
 spes peccatoris gaudeat, sed sub districtio-
 ne illius poeniten-
 tis correctio contremiscat. Spes igitur praesumptionis nos-

Nec praesu-
 mendum, nec
 desperan-
 dum.

trae habeat etiam morsum timoris, ut ad corrigenda peccata justitia judicantis terreat, quem ad fiduciam veniae gratia parentis invitat. Hinc enim per quemdam sapientem dicitur: Ne dixeris, miserationes Domini multae sunt, peccatorum meorum non memorabitur. Pietatem namque ejus protinus et justitiam subdit, dicens: misericordia enim et ira ab illo.

3. ITEM libro VI. epistolarum, epistola 22., ad Gregoriam cubiculariam Augustae: Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt: rem et difficilem etiam et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia securam de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus apostolus jam ad tertium caelum ascenderat: in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audiverat, quae homini loqui non liceret, et tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, et servituti subicio, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad caelum ducitur: et jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiae solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir, qui semper est pavidus. Et rursus scriptum est: Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitae tempore mentem vestram necesse est, ut tremor teneat: quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exsultet.

4. AUGUSTINUS, vel secundum alios Fulgentius Ruspensis Episcopus, de fide ad Petrum Diaconum, capite 3: In quacunq; homo aetate veram peccatorum suorum poenitentiam egerit, et vitam suam Deo illuminante correxit, non privabitur indulgentiae munere, quia Deus, sicut per Prophetam dicit, non vult mortem peccatoris sive morientis, sed magis, ut revertatur a via sua mala, et vivat anima ejus. Verum tamen nullus hominum debet sub spe misericordiae Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futurae salutis diutius aegrotare. Tales enim, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, non

Revelationem expectans de remissione peccatorum, reprehenditur.

Contra securitatem de remissione peccatorum.

2. Corint. 12. 2.

4. Cor. 9. 27.

Mater negligentiae, securitas. Prov. 29. 14. Psalm. 2. 11.

Ezech. 33. 11.

Sub spe misericordiae divinae non est in peccatis permanendum.

nunquam ita praeveniantur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque nostrum sacra scriptura benigne praemonet, dicens: Ne tardaveris converti ad Deum, et ne differas de die in diem; subito veniet ira ejus, et in tempore vindictae disperdet te. Dicit etiam beatus David: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Cui beatus quoque Paulus contordat his verbis: Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sed adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Obduratus igitur vivit, sive qui non convertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitae praesentis in suorum criminum perversitate permaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes, quia illa omnium hominum debita sit exactura aequitas justissimi judicis, quae non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellet punietque obduratos. Ii sunt, qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc saeculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum.

Ecc. 5. 9.

Psal. 94. 8.

Hebr. 5. 12.

Obduratus quis vivat.

Diligenda misericordia, et metuenda saevitia.

Matth. 12. 32.

5. BERNARDUS sermone 38. ex parvis sermonibus: Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt: Quid dissimulant homines in vita sua agere poenitentiam, et extrema de confessione praesumunt? Quomodo sub unius horae articulo revocari posse aestimant omnia animae membra, cujus concupiscentiae et desideria per totum mundum sparsa sunt, et ubique terrarum, velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin et talium salvem aliquos; potens sum enim in momento omnia revocare, sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur a peccatis, antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone scripturarum unum latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosae expectationi credere temet ipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii consequuntur; sed unde scis, quod

Psal. 46. 4. Quam periculosa dilatio conversionis.

Ibidem.

Nota.

Joann. 3. 8.

tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis?
 Sap. 4. 6. Benignus quidem est spiritus sapientiae, sed non liberabit
 maledictum a labiis suis. Audi, quis ille sit; Maledictus,
 qui peccat in spe.

1. B. AUGUSTINUS in libro de fide et operibus,
 capite 14.: Quare jam illud videamus, quod excutiendum
 est a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam
 perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem pa-
 taverint: bene autem vivere, et bonis operibus viam Dei
 tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non
 intellectis quibusdam subobscuris sententiis apostoli Pauli,
 hoc eum quidam arbitrati sunt dicere: Faciamus mala, ut
 veniant bona, quia dixerat: Lex subintravit, ut abundaret
 delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit
 gratia. Quod ideo verum est, quia legem accipientes ho-
 mines, qui de suis viribus superbissime praesumebant, nec
 divinum adjutorium vincendarum malarum concupiscentia-
 rum recta fide impetrantes, pluribus gravioribusque delictis
 etiam lege praevaricata onerati sunt. Ac sic magno
 reatu compellente confugerunt ad fidem, qua misericordiam
 indulgentiae mererentur, et auxilium a Domino, qui
 fecit caelum et terram, ut diffusa per Spiritum sanctum
 caritate in cordibus suis, cum dilectione agerent, quae contra
 saeculi hujus concupiscentias juberentur, secundum id,
 quod praedictum fuerat in Psalmo: Multiplicatae sunt infirmitates
 eorum, postea acceleraverunt. Cum ergo dicit Apostolus,
 arbitrari se, justificari hominem per fidem sine operibus
 legis, non hoc agit, ut praecepta ac professa fide opera
 justitiae contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem
 posse justificari, etiam si legis opera non praecesserint.
 Sequuntur enim justificatum, non praecedunt justificandum.
 Unde in praesenti opere non opus est latius disputare,
 praesertim quia modo de hac quaestione prolixum librum
 edidi, qui inscribitur; De litera et spiritu. Quoniam ergo
 haec opinio tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae,
 Petri, Joannis, Jacobi, Judae, contra eam maxime dirigunt
 intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus
 nihil prodesse, sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet
 fidem, quae in Deum creditur, sed eam salubrem planeque
 Evangelicam definiit, cujus opera ex dilectione procedunt:
 Et fides, inquit, quae per dilectionem operatur. Unde
 illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur,
 ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habeam omnem
 fidem, ita ut montes transferam,

Contra eos, qui ex sola fide salutem pollicentur.

Rom. 5, 20.

Psalm. 120, 2.
 Rom. 5, 5.

Psalm. 15, 4.
 Rom. 3, 28.
 Quomodo justificamur per fidem sine operibus legis.

Epistolae catholicae contra haeresim de sola fide, scriptae sunt.

De quali fide agat Paulus.
 Galat. 5, 6.

1. Cor. 13, 2.

caritatem autem non habeam, nihil sum. Ubi autem haec fidelis caritas operatur, sine dubio bene vivitur; plenitudo enim legis, caritas. Unde evidenter in secunda epistola Rom. 15, 10. Petrus, cum ad vitae et morum sanctitatem hortaretur, mundumque istum transiturum praenuntiaret, caelos vero novos et terram novam expectari, quae justis inhabitanda tradetur, ut ex hoc attenderent, qualiter eos oporteret vivere, ut habitatione illa digni fierent, sciens de Apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententiis nonnullos iniquos accepisse occasionem, ut tanquam securi de salute, quae in fide est, bene vivere non curarent, commemoravit quaedam ad intelligendum difficillima esse in epistola ejus, quae 2. Petr. 5, 16. homines perverterent, sicut et alias scripturas, ad proprium suum interitum, cum tamen et ille Apostolus de salute aeterna, quae nisi bene viventibus non daretur, eadem sentiret, quae caeteri Apostoli. Jacobus autem vehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam daemonibus comparet, dicens: Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis, et daemones Jacob. 2, 19. credunt, et contremiscunt. Quid verius, brevius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse daemonia, cum Christum filium Dei confiterentur, et ab illo corriperebantur, quod in Petri confessione laudatum est? Quid proderit, ait Jacobus, fratres mei, si fidem Matth. 16, 17 quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousque igitur falluntur, qui fide Jacob. 2, 14. mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

2. ET cap. 22.: Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut se existimet Deum cognovisse, si eum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur more daemonum, et ideo se jam non dubitet ad vitam aeternam esse venturam, quia Dominus dicit: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est: In hoc cognoscimus eum, si mandata ejus observaverimus. Qui dicit: quia cognovit eum, et mandata ejus non servat, mendax est, et in hoc veritas non est. Et ne quisquam existimet mandata ejus ad solam fidem pertinere, quamquam dicere hoc nullus est ausus, praesertim, quia mandata dixit, quae ne multitudinis cogitationes parerent, in illis duobus tota lex pendet et Prophetarum; licet recte dici posset ad solam fidem pertinere Matth. 23, 40. Dei mandata, si non mortua, sed viva illa intelligatur Gal. 5, 6. Fides viva salvat.

fides, quae per dilectionem operatur, tamen postea Joannes ipse aperuit, quid diceret, cum ait: Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi, et diligamus invicem. Hoc itaque prodest in Deum recta fide credere, Deum colere, Deum nosse, ut et bene vivendi ab illo nobis sit auxilium, et si peccaverimus, ab illo indulgentiam mereamur, non in factis, quae odit, securi perseverantes, sed ab eis recedentes, eique dicentes: Ego dixi,

Psalm. 40, 5.

Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi: quod non habent, cui dicant, qui non in eum credunt: et frustra dicunt, qui, cum tam longe ab illo sint, a gratia mediatoris alieni sunt. Hinc illa verba sunt in libro sapientiae, quae, nescio quomodo, intelligit perniciosam securitatem: Et si peccaverimus, tui sumus, quoniam scilicet bonum et magnum Deum habemus, qui velit atque possit poenitentium peccata sanare, non qui minime audeat permanentes in malignitate disperdere. Denique cum dixisset: Tui sumus, addidit: scientes potentiam tuam, utique potentiam, cui se subtrahere nequeat, aut occultare peccator. Ideoque secutus adjunxit: Non peccavimus autem, scientes, quoniam tui sumus deputati. Quis enim digne cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes praedestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non enitetur ita vivere, ut tali habitationi congruat? Quod

Contra perniciosam securitatem. Sap. 15, 2.

1. Joan. 2, 1.

ergo et Joannes dicit: Haec scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio pro peccatis nostris, non id ait, ut cum securitate peccemus, sed ut recedentes a peccato, si quod admissum est, propter illum advocatum, quem non habent infideles, minime de indulgentia desperemus.

Contra eos, qui per purgatorium ignem salvandos putant Christianos malos.

3. ITEM in Enchiridio ad Laurentium, capite 67.: Creduntur autem a quibusdam etiam ii, qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel haeresi praeciduntur, in quantilibet sceleribus vivant, quae nec diluant poenitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitae ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno, non tamen aeterno, igne puniri. Sed qui hoc credunt, et tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quaestione scripsi, cujus titulus est: De fide et operibus. Ubi secundum scrip-

turas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens: In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque praepotium, sed fides, quae bene per dilectionem operatur. Si autem male et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, mortua est in semet ipsa. Qui rursus ait: Si fidem dicat se quisquam habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum? Porro autem, si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum, quod ait beatus Paulus apostolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem; poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit, quod dixit ejus coapostolus Jacobus. Falsum erit et illud, quod idem ipse Paulus dixit: Nolite, inquit, errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

4. ET in libro de haeresibus ad Quodvultdeum, haeresi 54.: Aëtiani ab Aetio sunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aëtii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in dialectica praevalens, acutius et celebrius defendit hanc haeresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium, et Filio Spiritum sanctum. Fertur etiam usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obsesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset.

5. HIERONYMUS in cap. IV. Osee: De haereticis facilis intelligentia est, quod quanto plures fuerint, tanto magis delinquant Deo, et gloriantur in populis, et ideo decipiunt infelices, ut peccata populi comedant, et per dulces sermones devorent domus viduarum. Cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt: nihil aliud quaerit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat, quid agatis. Haec enim dicentes, in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant poenitentiam, nec humiliantur, sed gaudeant in sceleribus suis, et erecta cervice gradiantur. Unde et populus et sacerdos, et hi, qui docti sunt, et hi, qui docuerunt, pari iudicio constringentur.

Sola fides salvat, quae per caritatem operatur. Gal. 5, 6

Jacob. 2, 14.

1. Cor. 3, 15.

1. Cor. 6, 9.

Eunomiana haeresis de sola fide.

Haereticorum vox est, Deum nihil nisi haerem. requirere.

Contra certitudinem justificationis.

6. CONCILIUM Tridentinum sess. 6., cap. 9.: **Quamvis** autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa uquum fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semet ipsos statuere se esse justificados, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, quasi qui *hoc non credit*, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua grata formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De propria infirmitate et indispositione formidamus.

7. IN eadem sessione canone 12.: Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae; peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.

8. ET canone 13.: Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.

9. ITEM canone 14.: Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit.

Dan. 4, 24.

Temere quidam promittunt peccatoribus indulgentiam

10. HIERONYMUS in caput IV. Danielis super ea verba: Forsan ignoscet Deus delictis tuis etc. Cum beatus Daniel praescius futurorum de sententia Dei dubitet, res temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et tamen sciendum, quod si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur, multo magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiserunt.

11. AUGUSTINUS tractatu 33. in Joannem: Intendant, qui amant in Domino mansuetudinem, et timeant veritatem: etenim dulcis et rectus Dominus. Amas, quod dulcis est? time, quod rectus est. Tanquam mansuetus dixit: Tacui; sed tanquam justus: Numquid semper tacebo? Misericors et miserator Dominus. Ita plane. Adhuc adde: longanimis; adhuc adde: et misericors, sed time, quod est in novissimo, et verax; quos enim modo sustinet peccantes, judicaturus est contemnentis. An divitias longanimitatis et mansuetudinis ejus contemnis? Ignoras, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Mansuetus Dominus, longaminis Dominus, misericors Dominus, sed et justus Dominus, et verax Dominus, largitur tibi spatium correctionis, sed tu plus amas dilationem, quam emendationem. Malus fuisti heri, hodie bonus esto, et hodiernum diem in malitia peregisti, vel cras mutare; semper expectas, et de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille, qui tibi per patientiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam proximam vitam. Unde scis, quid pariat crastinus dies? Recte dices in corde tuo, quando me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non possumus, quod correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit; nam in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam. Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando; contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando, qui decipitur? Qui dicit: Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam, quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animae meae. Quare hoc? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus; spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui, cum inciderint in gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci poenitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud semet ipsos, jam damnandi sumus, quare non quod volumus, facimus, animo gladiatorum, ferro destinatorum? Ideo molesti sunt desperati. Jam enim quod timeant, non habent, et vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos. Inter spem et desperationem fluctuat animus. Metuendum est, ne te occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in iudicium. Metuen-

Deus mansuetus est, sed tamen etiam justus est.
Psalm. 26, 8.
Esa. 42, 14.
Psalm. 102, 8.

Rom. 2. 4-6.

Psalm. 102, 8.

Deus promittit poenitentibus indulgentiam, sed non proximam vitam.
Prov. 23.

Sperando qui decipiuntur.

Desperatio ne decipiuntur alii.

dum est rursus, ne te occidat desperatio, et cum putas jam tibi non ignosci, quae gravia commisisti, non agas poenitentiam, et incurras in iudicem sapientiam, quae dicit: Et ego vestrae perditioni superridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit: Ne tardes, converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacunque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiae portum: propter illos quae spe periclitantur, et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum, quando veniat ultimus dies, nescis.

12. IDEM Augustinus in libro 50. homiliarum, homilia 50., cap. 10.: Illud quale est, in quo sibi blandiuntur, qui sua se vanitate seducunt, perseverantes in malitia atque luxuriis suis, cum audiant Apostolum dicentem: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt? Audent sibi praeter regnum Dei salutem quam desiderant, polliceri, atque ita inter se loquuntur, dum recusant agere poenitentiam pro peccatis suis, et perditos mores aliquando in melius commutare. Regnare nolo, sufficit mihi salvum esse. In quo primum eos fallit, quia eorum nec salus ulla est, quorum iniquitas perseverat. Quod enim ait Dominus: Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, salutem utique promisit perseverantibus in caritate, non in iniquitate. Et nonnullis interiectis: Qua propter praesumere qui audeat de nomine Christiano, et non cum omni obedientia et timore audiat Apostolum dicentem: Hoc enim scitote, cognoscentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: Propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite itaque fieri participes eorum. Latius autem ad Corinthios haec dicit: Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes etc. regnum Dei possidebant. Sed videtis, quemadmodum timorem et desperationem salutis abstulerit eis, qui haec in vita veteri commiserunt. Et haec quidem, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et spiritu Dei nostri. Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeo sibi inimicus est, ut

Prov. 1, 26.

Ecc. 5, 8.

Ezech. 18, 21.

22.
Nota.

Galat. 5, 21.

Illorum salus nulla est, quorum iniquitas perseverat.

Matt. 24, 12.
Matth. 10, 22.
et 24, 13.

Non est satis esse Christianum.

Ephes. 5, 5.

1. Cor. 6, 9.

adhuc dubitet vitam mutare, dum tempus est, eum ita peccat et vivit. Nam utique quod ita perseverans peccat, thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei. Quod autem adhuc vivit, patientia Dei ad poenitentiam eum adducit. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in caelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominicae vocis tonitruum contremiscit: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum caelorum, etc. Quid ad Galatas idem Apostolus: Nonne talia enumerans, eodem fine concludit? Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, haeréses, invidiae, ebrietates, commessiones, et his similia, quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Confugiendum est Christiano peccatori ad claves Ecclesiae. Matth. 16. 19.

Matth. 7. 21.

Gal. 5. 19.

13. ISIDORUS de summo bono libro II., cap. 13.:

Quamvis quisque et sit peccator et impius, si ad poenitentiam convertatur, consequi posse veniam creditur. Nullus enim de bonitate Dei dubitat, sed sola accipientium pravitas conferri sibi indulgentiam abnegat. In hac vita tantum poenitentiae patet libertas, post mortem vero nullam correctionis esse licentiam. Unde Dominus dicit: Me oportet operari opera ejus, qui me misit, donec dies est. Veniet autem nox quando nemo potest operari. Hinc et Propheta: Date, inquit, Domino Deo nostro gloriam antequam contenebrescat, id est, antequam mors aeterna praeveniat. In hac vita dum estis, Deum per poenitentiam glorificate. Adhuc in hoc seculo poenitentiam operantibus Dei misericordia subvenit. In futuro autem jam non operamur, sed rationem postorum operum ponimus. Per id deteriorantur plerumque iniqui, quod per patientiam Dei spatium accipiunt emendandi, quia illi mora vivendi non utuntur ad poenitentiam, sed ad peccandi usurpant audaciam. A malo autem in deterius vadit, qui tempus sibi ad poenitendum indultum, ad libertatem pravi operis vertit. Festinare debet ad Deum poenitendo unusquisque dum potest, ne, si, dum potest, noluerit, cum tarde voluerit, omnino non possit. Proinde Propheta ait: Quaerite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Et ubi inveniri potest, nisi in hac vita, in qua etiam prope est omnibus invocantibus se? Nam tunc jam longe erit, quando dixerit: Ite in ignem aeternum. Modo

Peccator si ad poenitentiam convertatur, potest veniam consequi.

Joan. 9. 4.

Hier. 13. 16.

Contra procrastinantes conversionem suam.

Esa. 55. 6.

Psal. 144. 18.

Matth. 25. 41.

autem non videtur, et prope est, tunc videbitur, et prope non erit, quia et videri poterit, et non poterit inveniri. Si quando quisque peccare potest, poenitet, vitamque suam vivens ab omni crimine corrigit, non dubium, quod moriens ad aeternam transeat requiem. Qui autem prave vivendo poenitentiam in mortis agit periculo, sicut ejus damnatio incerta est, sic remissio dubia. Qui ergo cupit certas esse in morte de indulgentia, sanus poeniteat, sanus perpetrata facinora desleat. Sunt, qui poenitentibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur: *Cyrabant contritionem filiae populi mei cum ignominia, dicentes: pax, et non erat pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, et non legitime poenitenti promittit securitatem. Unde et sequitur: Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, id est, confusi sunt non poenitendo, sed poenas luendo. Aliter enim confunditur coram judice reus, dum plectitur, atque aliter qui de malo opere erubescens corrigitur. Ille enim, qui repraehensus est, confunditur; iste, quia se malum fecisse memoratur. Quamvis per poenitentiam propitiatio peccatorum fit, sine metu tamen homo esse non debet, quia poenitentis satisfactio divino tantum pensatur iudicio, non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim unquam oportet poenitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit, negligentia autem saepe incautum ad vitia transacta reducit. Dum per poenitentiam expulsa fuerint ab homine vitia, si forte post haec intercedente securitate quaelibet culpa subrepserit, confestim delectationes pristinae vitiorum mentem avidius irrepunt, pulsantesque hominem in consuetis operibus gravius pertrahunt, ita ut sint novissima hominis illius pejora prioribus.*

Poenitentia ad mortem usque dilata, quam periculosa sit.

Securitatem poenitentibus promittentes.
Hier. 6, 14.

Ecl. 5, 5.

Securitas de peccatis nunquam habenda.

Prov. 20, 14.

Homo quantumvis iustus timere debet.

Psal. 13, 15.

1. C. AUGUSTINUS de perfectione justitiae contra Caelestinum, responsione 19.: Nos autem huic respondentes dicimus ideo secutum esse: Quis gloriabitur, castum se habere cor, quoniam praecessit: Cum rex justus sederit in throno. Quantalibet enim justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus cogitationem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est: Delicta quis intelligit? Cum ergo rex justus sederit in throno, quis gloriabitur, castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccato? Nisi forte isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius judicis misericordia, gloriari.

2. Et libro de correptione et gratia, cap. 13.: Quis enim ex multitudine fidelium, quam diu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat, quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per santanae angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc Apostolis dicebatur: Si manseritis in me, dicente illo, qui illos utique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam: Si volueritis et audieritis me, cum sciret ipse, in quibus operaretur et velle. Et similia multa dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne forte quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est, quo perveniant.

Contra eos, qui praesumunt se esse praedestinos.

2. Cor. 12, 7.
Joan. 15, 7.

Esaiae 4, 19.
Praedestinatio quod sit incerta, uti lo est.

3. IDEM in libro quinquaginta homiliarum, hom. 41.: Qui egerit veraciter poenitentiam, et solutus fuerit a ligamento, quo erat obstrictus, et a Christi corpore separatus, et bene post poenitentiam vixerit, sicut ante poenitentiam vivere debuit, post reconciliationem quodcumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, a populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate aegritudinis suae, voluerit accipere poenitentiam et accipit, et mox reconciliabitur, et hinc vadit, fateor vobis non illi negamus, quod petit, sed non praesumimus, quia bene hinc exit. Non praesumo, non vos fallo, non praesumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens poenitentiam, et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens poenitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, dico, et do securitatem; unde non sum securus, poenitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Sed dicat aliquis: bone sacerdos, tu nescire *) et nullam securitatem nobis dare posse dicis, si ille salvatur et Christum adire meretur, cui morienti poenitentia datur, qui, dum vixit, dum sanus fuit, impenitens fuit. Instrue ergo nos, rogo, quomodo bene vivere post poenitentiam debeamus. Dico: abstinete vos ab ebrietate, a concupiscentia, a furto et multiloquio, ab immoderato risu, a verbo otioso, unde redditori sunt homines rationem in die iudicii. Ecce quam levia dixi. Omnia tamen gravia et pestifera. Et aliud dico: Non solum post poenitentiam ab istis vitiis se homo servare debet, sed et ante poenitentiam, dum sanus est, quia, si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsam poenitentiam accipere, ac Deo et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia et ante poeniten-

Periculosa poenitentia, quae ad mortem usque differtur.

*) te, et

Matt. 12, 56.

Deo et Sacerdoti peccata

cata conf
teri.

Curandum
ut reconcili-
emur.

tiam bene vivendum est, et post poenitentiam melius. Quod dico: attendite, debeo illud planius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat. Num quid dico, damnabitur? Non dico. Sed dico etiam, liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio: Non praesumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? vis quod incertum est evadere? Age poenitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram poenitentiam, dum sanus es, et invenerit te novissimus dies. Curre, ut reconcilieris; si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti poenitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si autem vis agere poenitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do poenitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio: ergo tene certum, dimitte incertum.

4. ITEM sermone III. de Innocentibus, qui est sermo 10. de Sanctis: Si diem mortis suae cogitare jugiter vellent, animum suum ab omni cupiditate vel malitia cohiberent. Sed quod modo nolunt salubriter cogitare, necesse habent postea sine ullo remedio sustinere. Veniet enim illis dies novissima, veniet dies iudicii, quando eis nec poenitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab aeterna morte poterunt redimere, quia percutitur etiam hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei.

Moriens ob-
liviscitur
sui, qui in
vita oblitus
est Dei.

5. GREGORIUS libro XVI. Moralium in Job, cap. 31. super ea verba capituli vicesimi quarti, et usque ad inferos peccatum illius. Peccatum usque ad inferos ducitur, quae ante finem vitae praesentis per correctionem ac poenitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Joannem dicitur: Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut quis. Peccatum namque ad mortem, est peccatum usque ad mortem: quia scilicet peccatum, quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur: Obliviscatur ejus misericordia. Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiae fuerit oblitus, quia, quisquis eum nunc justum non timet, postea invenire non valet misericordem. Quae nimirum sententia non solum ei intenditur, qui verae fidei praedicamenta deserit, sed etiam qui in fide recta positus, carna-

1. Joan. 5.
10.
Peccatum ad
mortem.

Job. 24. 20.

Dei miseri-
cordia obli-
viscitur ejus,
qui justitiam
Dei oblivis-
citur.

liter vivit, quia ultio aeternae animadversionis non evaditur, utrum in fide, an in opere peccetur. Nam etsi damnationis dispar est qualitas, culpa tamen, quae nequaquam per poenitentiam tergitur, nulla absolutionis suppetit facultas.

6. BERNARDUS in parvis sermonibus, sermone 52.: Tria sunt oscula: primum, pedum; secundum, manuum; tertium, oris. Cum primo convertimur, pedes Domini osculamur. Duo autem sunt pedes Domini: misericordia, et veritas. Hunc utrumque pedem Deus convertentium cordibus imprimit, et utrumque pedem peccator quisque, si vere convertitur, amplectitur. Si enim solam misericordiam sine veritate reciperet, per praesumptionem caderet. Rursus si veritatem sine misericordia reciperet, nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat salvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur, ut per veritatem peccata damnet, et per misericordiam veniam speret.

Utrumque pedem Domini, misericordiam et veritatem scilicet, osculari debemus.

7. ITEM sermone sexto in Cantica: Felix mens, cui semel Dominus Jesus utrumque infixit pedem. A duobus signis cognoscite eam, quae hujusmodi est, quae secum necesse est referat divinis impressa vestigiis. Ipsa sunt timor et spes; ille iudicii, ista misericordiae representans imaginem. Merito beneplacitum est Deo super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus, cum sapientiae timor initium sit, spes profectus. Nam consummationem sibi caritas vindicat. Quae cum ita sint, non parvus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur. Tantum curato, ut neutro frauderis illorum. Porro enim si jam dolore peccati et iudicii timore compungeris, veritatis iudiciiue vestigio labia impressisti. Quod si timorem doloremque divinae intuitu bonitatis et spe consequendae indulgentiae temperas, etiam misericordiae pedem amplecti te noveris. Alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia et recordatio solius iudicii in baratrum desperationis praecipitat, et misericordiae fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est et mihi misero nonnunquam sedere secus pedes Domini Jesu, et modo hunc, modo illum tota devotione amplecti, in quantum mea sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus stimulante conscientia, iudicio paulo diutius inhaererem, mox metu incredibili ac miserabili confusione dejectus, et tenebroso circumfusus horrore, hoc solum palpitans de profundis clamabam: Quis novit potestatem irae tuae, et prae timore tuo iram tuam dinumerare? Quod si eo relicto pedem misericordiae plus tenere contingeret,

Timor iudicii cum spe misericordiae iudicandus.

Psal. 146, 11.

Provo. 1. 7.

Psal. 89, 11.

tanta e contrario incuria et negligentia dissolvebar, ut confestim et oratio tepidior, et actio pigrior, et risus promptior, et sermo incautior, et omnis denique utriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistra instructus experientia, non iudicium jam solum aut solam misericordiam, sed misericordiam pariter et iudicium cantabo tibi Domine. In aeternum non obliviscar justificationes istas. Cantabiles mihi erunt ambae pariter in loco peregrinationis meae, quousque misericordia superexaltata iudicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de caetero gloria mea, et non compungar.

Psal. 100. 1.
et 118. 54.
Jacob. 2. 13.
Psal. 29. 13.

Contra desperationem institutus poenitentiae portus: contra praesumptionem, incerta mortis hora.

8. AUGUSTINUS in tractatu de utilitate poenitentiae, capite ultimo: Quomodo re vera auget peccata, qui desperaverit, sic potest augere peccata, et qui veniam speraverit, ut dicat sibi, faciam, quod volo: Deus bonus est; quando me convertero, ignoscet mihi. Ita plane dic tibi: quando me convertero, ignoscet mihi, si crastinus dies certus est tibi. Nonne ad hoc te admonet scriptura dicens: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictae disperdet te? Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei, ne desperando augeamus peccata, propositus est poenitentiae portus; rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.

IV.

Quomodo peccatur in Spiritum sanctum desperatione?

August. serm. 18. de tempore, et hom. 21. ex 50.
Gregor. lib. 8. moral. c. 14.
Isidor. lib. 2. de summo bono cap. 14.
Chrysost. hom. 2. in Psal. 50.
Bern. serm. 5. de natali Dom.

A. Cum praesumptioni, de qua dictum est, contrarium prorsus vitium accesserit, ut omnem spem abjiciat homo vel impetrandae apud Deum veniae, vel salutis aeternae consequendae.

B. Hoc modo peccavit desperando Cain, ut sua ipse voce testatur, cum inquit: ¹ Major est iniquitas mea, quam

1) Gen. 4, 10-14. Ber.

ut veniam merear. Peccavit et ²Judas Christi proditor, cum salutis desperatione commotus, vitam laqueo sibi infelix abruptit. Atqui ³nulla nimis est sera homini poenitentia, uti ⁴latronis exemplo demonstratur, qui in cruce extremisque vitae spatiis Christi ingentem gratiam et caelestem gloriam est consecutus.

nard. serm. 11. super Cantica.
 2) Matth. 27, 5-5. Act. 1, 10-18. Ephes. 4, 17. 18. 2. Reg. 2, 20.
 3) Ezech. 18, 21-32. 33, 12-10.
 4) 1. Joan. 1, 7. 9. 2. 1. Jerem. 3, 1. Jesa. 1, 10-18. Psalm. 144, 8-9. Eccl. 17, 20-28.
 5) Luc. 23. 30-43. Aug. lib. 1. retract. cap. 10. Item de corrept. et gra. cap. 15. et ser. 181 de temp. cap. 16. Leo epist. 91. ad Theod. Concil. Trid. sess. 14. c. 7.

S C R I P T U R A E.

Genes. IV.: Dixitque Dominus ad Cain: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat, ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus et profugus eris super terram. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.

Matth. XXVII.: Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens laqueo se suspendit.

Act. cap. I.: Oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera

ejus, et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldema, hoc est, ager sanguinis.

Ephes. IV.: Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semet ipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum.

II. Reg. II.: Et exclamavit Abner ad Joab, et ait: An ignoras, quod periculosa sit desperatio?

Ezech. XVIII.: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in iustitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non, ut convertatur a viis suis, et vivat? Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur. Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum; et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, et vivite.

Et cap. XXXIII.: Impietas impii non nocebit ei, in quacunquē die conversus fuerit ab impietate sua. Si dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam, et pignus restituerit

Ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitae ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei; iudicium et justitiam fecit, vita vivet.

I. Joan. cap. II.: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Et cap. I.: Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.

Hierem. III.: Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra; numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.

Esa. I.: Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationumstrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Psalm. CXLIV.: Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Eccl. XVII.: Poenitentibus dedit Deus viam justitiae etc. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, et minue offendicula. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odita execrationem etc. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationi-

bus illius. Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se?

L. u. c. cap. XXIII: Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac te ipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es, et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; Hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, quando veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

P A T R E S.

De indulgentia divina nemo diffidat. Ezech. 35, 11-12, et 18, 20, 32.

Periculum eorum, qui saepius relabuntur.

1. A. AUGUSTINUS sermone 58. de tempore: Non qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis et abominabilis Deo erit. Nam ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut pater piissimus consolatur, dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua. Sed ista tam magna misericordia tunc nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus. Denique etiam in ipsis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum. Si enim alicui pes frangatur aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari. Si vero secundo et tertio et adhuc frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere caritas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt, et tamen post longas et multas tribulationes, vix erit antequam ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis seu vulneribus esse credenda est. Si semel vel aliquis vel secundo peccaverit, et sine aliqua dissimulatione ad poenitentiae medicamenta confugerit, pristina incolumitatem sine aliqua mora, et forsitan sine aliqua fœditate recipiet. Si vero peccatis peccata coeperint addi, et animarum vulnera magis tegendo vel defendendo putrescere, quam confitendo et poenitendo curari, timendum est, ne in illo impleatur illud, quod Apostolus dixit: An ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem

Rom. 2, 4.

secundum duritiam cordis tui et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. Sed forte cogitat aliquis, tam gravia se admisisse peccata, ut jam Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc a sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur et omnipotentiam caelestis medici non attendis? Cum enim Deus velit misereri, quia bonus est, et possit, quia omnipotens est, ipse contra se divinae pietatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia divina desperet. Sic tamen non desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne forte, si consuetudinem peccandi fecerit, etiam si velit, de diaboli laqueis liberari non possit.

Desperandum non est de Dei misericordia cuiquam peccatori quamvis gravissimo.

2. ET homilia XXI. ex 50.: Si aliquis jam lapsus haec audit, et nimio sceleris pondere pressus desperare jam coepit, attendat quidem vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem. Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat: Ego si jam aliquid mali feci, jam damnandus sum. Deus malis talibus non ignoscit, cur non addo peccata peccatis? Fruar saeculo in voluptate lasciva, in cupiditate nefaria; jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video, si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sicut cautos fecit, qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.

Nec est desperandum.

3. GREGORIUS libro VIII. *Moralium* in Job, capite 14.: Potest etiam inferni nomine, peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur: In inferno autem quis confitebitur tibi? Unde rursus scriptum est: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Quisquis autem impietati succumbit, vitam profecto iustitiae moriendo derelinquit. Qui vero etiam post peccatum mole desperationis obruitur, quid aliud quam post mortem in inferni supplicio sepelitur? Bene ergo dicitur: Sicut consumitur nubes et pertransiit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet. Quia plerumque cum perpetratione nequitiae, etiam desperatio sociatur, et via jam reversionis abscinditur. Recte autem corda desperantium nubibus comparantur, quia et caligine erroris obscura sunt, et peccatorum multiplicitate condensa, sed consumpta pertranseunt, quia claritate extremi iudicii irradiata, dissipantur.

Desperatio: inferno comparatur. Psal. 6, 6. Prov. 16, 5.

Job 7, 9.

4. ISIDORUS libro II. de summo bono, capite 14.: Non per locorum spatia, sed per affectum bonum vel malum itur, recediturve a Deo. Neque enim gressu pedum, sed gressu operum vel morum elongamus vel propinquamus ad Deum. Perpetrare flagitium aliquod, mors animae est, contemnere poenitentiam et permanere in culpa, descendere in infernum post mortem est. Ergo peccare, ad mortem pertinet; desperare vero, in infernum descendere. Unde et scriptura ait: Impius, dum in profundum malorum venerit, contemnit. Saepe diabolus eos, quos converti ad poenitentiam adspicit, immunitate scelerum percussos ad desperationem deducit, ut subtracta spe veniae, trahat in diffidentiam, quos non potuit retinere perseverantes in culpa. Sed poenitens praevidere debet callidas contra se hostis insidias, sicque Dei justitiam metuat, ut tamen quamvis in magnis sceleribus de misericordia ejus confidat. Amplius laetatur Deus de anima desperata, et aliquando conversa, quam de ea, quae nunquam exstitit perdita, sicut de prodigo filio, qui mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est, de cujus regressu magnum fit gaudium patris. Non aliter coram Deo et angelis copiosius est gaudium de eo, qui a periculo liberatur, quam de eo, qui nunquam novit peccati periculum. Quanto enim contristat res perdita, tanto magis, si fuerit inventa, laetificat, sicut in Evangelio, pastor ille exultat, qui perditam ovem inventam humeris suis gaudens reportat. Nullus desperare debet veniam, etiam si circa finem vitae ad poenitentiam convertatur. Unumquemque enim Deus de suo fine, non de vita praeterita, judicat. Hoc quippe et legis testimonio edocetur, quod homo de suo extremo justificatur, quando Deus pro asini primogenito ovem jussit offerri, hoc est, immunditiam vitae prioris mutandam per innocentiam boni finis. Unde et cauda jubetur offerri in hostiam, id est, vita extrema in poenitentiam. Multi superna respersi gratis in extremis suis ad Deum revertuntur per poenitentiam, et quaecumque mala gesserunt, quotidianis fletibus purgant atque in bonis factis mala gesta commutant, quibus justitiam totum, quod deliquerant, ignoscitur, quia ipsi, quod male gesserunt, poenitendo cognoscunt. In vita hominis finis quaerendus est, quoniam Deus non respicit, quales antea viximus, sed quales circa finem vitae erimus.

5. CHRYSOSTOMUS homilia II. in Psalmum 50.: O grandis misericordia Domini. Cum omnis mundus conclusus in peccatis esset, venit creator universitatis, et

Desperare est ad infernum descendere. Prov. 18, 5.

Poenitens Dei justitiam metuere, et nihilominus de misericordia ejus confidere debet. Luc. 15, 24.

82.

In fine vitae conversus, desperare non debet.

Exod. 34, 20.

Levit. 7, 3.

principia peccantium evacuavit, ut nullus postmodum desperaret de sua salute. Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum. Considera Paulum apostolum prius persecutorem, postea annuntiatorem; prius pervasorem, postea dispensatorem; antezizania, post hoc frumentum; antea lupum, postea pastorem; antea plumbum, postmodum aurum; antea piratam, postea gubernatorem; antea dispersorem ovium, postea dispensatorem Ecclesiae; primo evellentem vineam, postea plantantem; prius dissipantem, et postea aedificantem. Vidisti multimodam malitiam, sed perspice ineffabilem misericordiam. Vidisti superbiam servuli; considera benevolentiam Domini. Nolo mihi dicas, blasphemus sum; nolo dicas, persecutor sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones, in quem volueris portum confugito. Vis in novo, vis in veteri? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas, nolo mihi ignaviam tuam praetendas. Peccasti, poenitere. Millies peccasti, millies poenitere. Haec assidue infundo medicamenta, et timorem intercipio. Novi enim multum conscientiae cruciatum, scio, quanta est desperatio. Stat diabolus gladium acuens, et dicens in haec verba: Omnem juventutem tuam confudisti, omnem vitam tuam perdidisti. Ante eras in theatro cum amicis, in circo cum sodalibus, in lupanari cum meretricibus. Deinde rapuisti, avaritiae studuisti, perjurasti, blasphemasti; quae jam tibi salutis spes est? Peristi, peristi: fruire ergo jam vel praesentis vitae voluptatibus, ducito in laetitia cor tuum. Haec diaboli verba sunt, isti inimici consilia, sed mea contraria sunt verba: Si lapsus es, poteris surgere; peristi, sed poteris salvari; fornicatus es, sed poteris continere; moechatus es, sed poteris liberari; ad spectacula proruebas, sed poteris revocare pedem; cum malis hominibus versabaris, poteris recedere, et cum bonis esse. In utramvis partem liberum habes arbitrium, tantum vel parva incipiat esse conversio, paululum poenitere. Fundant oculi lacrymam, redi ad conscientiam tuam, considera temet ipsum, propone ante oculos iudicii diem, et paradisi delicias, quae praeparantur sanctis. Occidisti, sed poenitere; moechatus es, sed confitere; cecidisti, sed resurge; vulneratus es, adhibe tibi curam, dum vivis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, animam eflans, ut jam de hoc mundo exeat, de hac compede libereris. Poenitere, non impeditur temporis angus-

Contra desperationem prodest meminisse exempli peccatorum, qui in gratiam recepti sunt. Luc. 7. 37. sq. 18, 19. 23, 39. sq. Luc. 25. 1. Timoth. 4. 15. Act. 9. 5. sq. 1. Cor. 4. 1.

2. Reg. 11. 4. sq. Act. 9. 5. sq.

Diabolus desperationis auctor.

Contra desperationem institutio.

Etiam animam eflans ne desperet.

Dei misericordia major est, quam peccatum.

tia misericordia Dei. Et paulo post: Quid enim est peccatum ad Domini misericordiam? Tela aranæ, quæ vento flante nusquam comparet. Si Deus voluerit, nullus impedit. Haec dico, non ut negligentiores vos faciam carissimi, sed ut ad fidem vos salutaris expectationis adducam. Nunquam desperetis de vobis, sed de Dei misericordia confidite. Desperate potius de illo, qui de se desperaverit, qui revocare pedem non vult, qui Dei praecepta contemnit et despicit, et non se cogitat esse moriturum.

2. Cor. 4, 3.

Psal. 55, 7.

Psal. 29, 10.

Psal. 100, 1.

Rom. 9, 18.

Deo cur magis proprium misereri, quam judicare et condemnare.

Ezech. 48, 17.

Non pater judiciorum, sed misericordiarum Deus.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

2. Cor. 4, 3.

6. BERNARDUS sermone 5. in natali Domini: Benedicitur Deus pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper et parcere. Sed forte quis dicat: Quomodo illi proprium est misereri, cujus judicia abyssus multa? Neque enim dicitur, omnes viae ejus sola misericordia, sed misericordia et veritas. Non minus justus, quam misericors est, cui misericordia et judicium decantatur. Verum id quidem, cui vult, miseretur, et quem vult, indurat, sed quod miseretur, proprium illi est; ex se enim sumit materiam, et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus, cui longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem: Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non magis, ut convertatur et vivat? Recte igitur non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum, non modo, quod pater videatur misereri potius quam indignari, et quemadmodum pater filiorum miseretur timentium se, sed eo magis, quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.

1. B. IDEM Bernardus sermone 11. super Cantica:

Gen. 4, 15.

Major est Dei pietas, quam quaevis iniquitas.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Prov. 13, 5.

Hoc freno si infrenatus fuisset Cain, nequaquam desperando dixisset: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Absit, absit. Major enim est ejus pietas, quam quaevis iniquitas.

2. AUGUSTINUS libro 4. retractationum capite 49:

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De nullo vitæ desperandum.

De quocunque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

3. ITEM in libro de correptione et gratia, cap. 45:

Corripiantur itaque a praepositis suis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus, quia et ipsa, quae damnatio nominatur, quam fecit episcopale judicium, quae

poena in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus, quid contingat sequenti die, an ante finem vitae hujus de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne recipiat et det poenitentiam, et accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, a reatu quamvis justae damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet?

Excommunicationis poena. Non desperandum ante finem vitae de quoquam.

4. ET in sermone CLXXXI. de tempore, capite 16. Nunquam Deus spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur; suscipit, libenter accipit, amplectitur, facit omnia, quatenus eum ad priorem statum revocet, quodque est adhuc praestantius et eminentius, etiam si quis non potuerit explere omnem satisfaciendi ordinem, quantumcumque tamen et quamlibet brevi gestam non respuit poenitentiam, suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguae conversionis perire mercedem. Hoc enim mihi videtur indicare Esaias, ubi de populo Judaeorum quaedam talia ait: Propter peccatum modice contristavi te, et percussi te, et averti faciem meam a te, et contristatus es, et ambulasti tristis, et consolatus sum te. Haec igitur habentes exempla poenitentiae, non perseveremus in malis, nec desperemus reconciliationem, sed dicamus: Etiam nos reddeamus ad patrem, et approximemus Deo. Nunquam, crede mihi, aversabitur ad se conversum. Ipse enim dicit: Deus appropians ego sum, et non Deus de longe. Et iterum per eundem Prophetam: Peccata, inquit, separant inter me et vos. Si ergo peccata sunt, quae nos separant a Deo, auferamus medium istud obstaculum, et nihil est, quod nos prohibeat conjungi Deo. Propterea enim creavit nos Deus, et esse nos fecit, qui non eramus, ut aeterna in nos conferat bona, et praestet regna caelorum. Non enim nos ad hoc fecit, ut gehennae nos tradat ignique perpetuo. Regnum caelorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est. Et haec ita esse ex Evangeliiis doceam. Ipse enim Dominus dicit his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Illis autem, qui a sinistris ejus erunt, dicit: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Si ergo gehenna ignis propter diabolum, propter hominem autem regnum caelorum a constitutione mundi praeparatum est, tantum est, ne nosmet ipsos ab ingressu bonorum, persistendo in malis pertinaciter, excludamus. Donec enim

Veram poenitentiam semper amplectitur Deus, quamvis brevem.

Esa. 54, 7.

Esa. 59, 2.

Creatus sum ad salutem, non ad poenam aeternam.

Matth. 25, 34.

Donec vivimus, ablu

peccata per
poenitentiam
possunt.

sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per poenitentiam. Cum autem abducti fuerimus ab hoc saeculo, ibi jam etiam si poenitebit nos; valde enim nos poenitebit, sed nulla erit utilitas poenitentiae, et licet sit stridor dentium, licet ululatus et fletus, licet fundamus preces et innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subveniet, nec extremo quidem digito aquam quis infundet linguae nostrae positae in flammis, sed audiemus illud, quod dives ille audivit ab Abraham, quia chaos magnum firmatum est inter nos et vos, et neque hinc illuc transire quis potest, neque inde huc.

Luc. 16. 24.

His, qui in
periculo
mortis con-
stituti respi-
ciant, non
est deneganda
reconcilia-
tio.

Vera conver-
sio, nullas
moras patit-
tur.

Ezech. 53. 12.
Esa. 43. 26.
Psalm. 129. 7.

2. Tim. 2. 25.

5. LEO Magnus epistola 91. ad Theodorum Foroju-liensem: Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem, qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Et alibi: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justifieris. Et iterum: Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam poenitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis Deus poenitentiam, ut respiciant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.

Quis sacer-
dos quemli-
bet poeniten-
tem potest
absolvere in
articulo mor-
tis, a quibus-
vis peccatis
et censuris.

6. CONCILIUM Tridentinum sessione XIV. cap. 7.: Hanc delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politione, sed etiam coram Deo vim habere; veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt, extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

V.

Quando veritatem impugnans, peccat in Spiritum sanctum?

A. Quum de fidei et religionis negotio veritas non ex ignorantia, sed malitia studiose oppugnatur, ut hinc veritatis catholicae laedatur sinceritas.

Leo epist. 10. ad Flavianum cap. 1 Aug. de Gen. ad Tit. lib. 7. cap. 9. Et tract. 18. in Evang. Joannis. Item de utilitate cred. cap. 1. Et lib. 10. de civit. Dei cap. 51. Et lib. 21. cap. 25.

B. Huic peccato Pharisei¹ obnoxii erant, quibus vel praecipue videmus curae fuisse, tam maligne, quam falso, blasphemare Christum, insectari doctrinam Evangelii, testimonium² Apostolorum suppressere, idque contra suam ipsorum conscientiam. His non sunt absimiles, qui a Propheta dicuntur sedentes³ in cathedra pestilentiae, a Petro⁴ autem magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, a Paulo⁵ demum vocantur haeretici, homines⁶ corrupti mente, reprobi circa fidem, ⁷attendentes spiritibus erroris, subversi, et suo ipsorum⁸ iudicio condemnati. Quibus annumerari potest seductor Elymas, quem Paulus palam objurgans, mira cum vehementia dixit: ⁹*O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas.*

1) Matth. 12, 24, 15, 1—3. sq. 21, 37—45. 22, 15—21. Joan. 7, 41—52, 12, 10—19.

2) Act. 4, 10, 5, 18.

3) Psalm. 1, 2.
4) 2 Petr. 2, 1—8.

5) Tit. 3, 11.

6) 2. Timoth. 3, 8.

7) 1. Timoth. 4, 1.

8) Tit. 3, 11.

9) Act. 15, 10.

10) Matth.
12, 31, 32.

11) Apud
Gratianum
25. q. i. vto-
latores.

C. Refertur ad hanc quoque classem¹⁰ blasphemia Spiritus, quod peccatum Christus in Iudaeis magnopere taxat, ac reliquis peccatis deterius facit. Atque utinam modo hic non peccaretur. Nam blasphemant Spiritum sanctum et illi, ut scribit¹¹ Damasus, qui contra sanctos Patrum canones Spiritus sancti instinctu dictatos, libenter aliquid aut proterve agunt, aut loqui praesumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste unum genus est blasphemiarum in Spiritum sanctum: Sic Damasus.

SCRIPTURAE.

Matth. XII.: Pharisei audientes dixerunt: Hic non ejicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemoniorum.

Et cap. XV.: Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribae et Pharisei, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei etc.

Et cap. XXI.: Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolae autem videntes filium, dixerunt intra se: His est haeres; venite, occidamus eum, et habebimus haereditatem ejus. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis etc. Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisei parabolas ejus, cognoverunt, quod de

ipsis diceret. Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

Item cap. XXII.: Tunc abeuntes Pharisei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo etc. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritae? Ostendite mihi numisma census etc.

Joan. cap. VII.: Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilaea venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum etc. Responderunt ergo ministris Pharisei: Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit, quid faciat? Responderunt et dixerunt ei: Numquid et tu Galilaeus es? Scrutare, et vide, quia a Galilaea Propheta non surgit.

Et cap. XII.: Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judaeis, et credebant in Jesum etc. Pharisei ergo dixerunt ad semet ipsos: Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

Act. IV.: Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem, manifestum est, et non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

Et cap. V.: Injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica.

Psalm. I.: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.

II. Petr. II.: Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et enim, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur. Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat.

Tit. cap. III.: Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.

II. Timoth. III.: Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit etc. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.

I. Timoth. cap. IV.: Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam etc.

Act. XIII.: O plene omni dolo, ut in textu.

Matth. XII.: Dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur.

P A T R E S.

1. A. LEO Magnus epistola X. ad Flavianum, cap. 1.
Contra per. de Eutyche te loquens: Quid iniquius, quam impia sapere,

et sapientioribus doctoribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, quum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semet ipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

2. AUGUSTINUS de Genesi ad literam, libro VII, capite 9.: Neque enim non omnes haeretici scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt haeretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.

3. ET tractatu 18. in Evangelium Joannis: Neque enim natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae, intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Itaque, carissimi, valde caute haec audire debemus, ad quae capienda parvuli sumus, et corde pio et cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut, quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, ut, etiamsi quid nescimus, bonum tamen et verum esse minime dubitemus.

4. ITEM de utilitate credendi cap. 1.: Si mihi, Honorate, unum atque idem videretur esse, haeticus, et credens haeticis homo, tam lingua quam stylo in hac causa conquiescendum mihi esse arbitrarer. Nunc vero cum inter duo plurimum intersit, quandoquidem haeticus est, ut mea fert opinio, quis alicujus temporalis commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur; ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est, imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus.

5. IDEM Augustinus libro XVIII. de civitate Dei, cap. 51.: Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeticis

fiunt, et foras exeuntes, habentur in exercentibus, inimicis etiam; sic quippe veris illis catholicis membris Christi malo suo prosunt, dum Deus utitur et malis bene, et diligentibus eum omnia cooperantur in bonum.

6. ET libro XXI. de civitate Dei, cap. 25.: Debent attendere, quam sit intolerabile atque a sana doctrina nimis devium, ut multi ac pene omnes, qui haereses impias condiderunt, exeuntes de Catholica Ecclesia, et facti sunt haeresiarchae, meliores habent causas, quam hi, qui nunquam fuerunt catholici, cum in eorum laqueos incidissent, si illos haeresiarchas hoc facit liberari a supplicio sempiterno, quod in Catholica Ecclesia baptizati sunt, et sacramentum corporis Christi in vero Christi corpore primitus acceperunt. Cum pejor utique sit desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deseruit, quam nunquam tenuit.

C. DAMASUS apud Gratianum causa XXV., quaestione 1., capite Violatores: Violatores, canonum voluntarie, graviter a sanctis Patribus judicantur, et a sancto Spiritu; Contemnentur canonos. cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare in Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros canones, non necessitate compulsi, sed libenter aliquid etc. ut in textu.

VI.

Quomodo invidentia fraternae gratiae, peccatum est in Spiritum sanctum?

A. Quando dolemus ac tristamur graviter de splendore augmentove virtutum donorumque Dei, quibus frater est conspicuus.

B. Quod crimen non tam hominis videtur esse proprium, quam Satanae, ¹ qui Dei gratiam in homine tum augeri, tum conservari fert impatientissime, et idcirco non modo fratrum ² accusator, verumetiam Dei et honorum omnium ³ implacabilis est ³ adversarius, qui tanquam leo

Aug. lib. 1.
de serm. Do-
mini in mon-
te, cap. 43.
et 44., et i.
retract. c. 19.

1) Sap. 2, 24.
25.

2) Apoc. 12,
10.

3) 1 Pet. 5, 8.

rugiens circuit, quaerens, quem devoret. Satanae filii ex Judaeis fuere, qui nascentem Evangelii gratiam omnino gentibus invidebant, ut in actis ⁴ Act. 11, 2. 3. 13 g, 13, 44. 48. Gen. 4, 4. 5. Apostolicis legimus.

S C R I P T U R A E.

Sapient. II.: Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Apocalyps. XII.: Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

I. Petr. V.: Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret.

Act. XI.: Cum autem ascendisset Petrus Hierosolyman, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcissione, dicentes: Quare introisti ad viros praeputium habentes, manducasti cum illis?

Et cap. XIII.: Sequenti vero Sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Judaei, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quae a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter etc.

Genes. V.: Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain autem et munera illius non respexit, iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus.

P A T R E S.

1. AUGUSTINUS libro I. de sermone Domini in monte, cap. 43.: Peccatum ergo, fratres, ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem a fratre alienaverit, sed officia fra-

Peccatum ad mortem.

Invidentia fraternae gratiae.

ternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibue-
 rit. Quapropter et Dominus in cruce ait: Pater, ignosce
 illis, quia nesciunt, quid faciunt; nondum enim gratiae Spi-
 ritus sancti participes facti, societatem sanctae fraternitatis
 inierant: et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat
 pro eis, a quibus lapidatur, quia nondum Christo credide-
 rant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant.
 Et Apostolus Paulus propterea, credo, non orat pro
 Alexandro, quia jam frater erat, et ad mortem, id est,
 invidentiae facibus fraternitatem oppugnando peccaverat.
 Pro his autem, qui non abruperant amorem ad mortem,
 sed timori succubuerant, orat, ut eis ignoscatur. Sic enim
 dicit: Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, reddet
 illi Dominus secundum opera ejus, quem et tu devita; val-
 de enim restitit nostris sermonibus. Deinde subjungit, pro
 quibus orat, ita dicens: In prima defensione nemo mihi
 affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur.

1. Tim. 4,
14. sq.

Invidentia
fraternae
caritatis.

Matth. 12,
32, et Marc.
3, 22.

Matth. 10,
25.

Matth. 12,
32.

2. ET cap. 44.: Hoc fortasse peccare in Spiritum
 sanctum, id est, per malitiam et invidiam, fraternam op-
 pugnam caritatem post acceptam gratiam Spiritus sancti,
 quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro seculo
 dimitti dicit. Unde quaeri potest, utrum in Spiritum
 sanctum Judaei peccaverint, quando dixerunt, quod in Beel-
 zebub principe daemoniorum daemonia Dominus expelleret,
 utrum hoc in ipsum Dominum dictum accipiamus, quia de
 se dicit alio loco: Si enim patremfamilias Beelzebub voca-
 verunt, quanto magis domesticos ejus? An quoniam de
 magna invidentia dixerunt, ingrati tam praesentibus ben-
 eficiis, quamvis nondum Christiani fuerint, tamen propter
 ipsam invidentiae magnitudinem in Spiritum sanctum pec-
 casse credendi sunt? Non enim hoc colligitur de verbis
 Domini. Quamvis enim in eodem loco dixerit: Quicumque
 enim dixerit verbum nequam in Filium hominis, remittetur
 ei, qui autem dixerit verbum adversus Spiritum sanctum,
 non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro,
 tamen videri potest ad hoc eos monuisse, ut accedant ad
 gratiam, et post acceptam gratiam non ita peccent, ut tunc
 peccaverunt. Nunc enim in filium hominis dixerunt ver-
 bum nequam, et potest, eis dimitti, si conversi fuerint et
 ei crediderint, et Spiritum sanctum acceperint; quo accep-
 to, si fraternitati invidere, et gratiam, quam acceperant,
 oppugnare voluerint, non eis dimitti neque in hoc saeculo,
 neque in futuro. Nam si eos sic haberet condemnatos, ut
 nullam spem eis reliquisset, non adhuc monendos judicaret,

cum addidit, dicens: Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Sic itaque accipiatur, diligendos inimicos esse, et benefaciendum his, qui nos oderunt, et orandum pro his, qui nos persequuntur, ut pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur non praeceptum esse, ut oremus, ne per imperitiam nostram divina scriptura, quod fieri non potest, a se dissentire videatur.

3. IDEM libro I. retractationum cap. 19.: Loco alio (nimirum libro 1. de sermone Domini in monte, cap. 43.) Peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Joannes apostolus: Non pro illo dico, ut roget quis, ita definivi, ut dicerem: Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitur. Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi, sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam, quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

Matth. 22, 25.

Matth. 5, 44.

1. Joan. 5, 17.

Peccatum ad mortem, invidentia fraternae caritatis.

De nullo desperandum in hac vita.

VII.

Quae obstinatio facit peccatum in Spiritum sanctum?

A. Ea nimirum, quae obfirmatum plane animum adfert adversus bene mentem, ut nullis quidem rationibus ab instituto damnabili se deflecti quis patiatur.

Aug. in Enchir. cap. 85. et in Psalm. 58. concione 1. Greg. hom. 11. super Ezech. Bernard. lib. 1. de considerat. et in serm. de conversatione ad Clericos, cap. 4.

B. Fuit hoc peccato insigniter obstrictus rex ¹Pharao, qui etsi toties moneretur a Moyse, et subinde flagellis Dei gravissimis affligeretur, tamen in propo-

2) Exod. 7, 8, 9, 10, 12, 14. cap. et deinceps Aug. quaest. 18. et 24. super Exodum, et serm. 38. de tempore Greg. 31. moral. cap. 11. et lib. 11. cap. 5.

2) Exod. 14. cap.

3) Hier. 5, 2 — 5-8,
4—6. Jesa. 48, 4. Zach.
7, 9 — 12. Gen. 49, 5
— 7.
4) Act. 7, 51.

5) Psal. 57. 5.

6) Job 21. 14.

7) Rom. 2, 5.

8) Prov. 20, 1. Bern.
serm. 42. in Cantica.

sito tyrannico perstitit, et ²periit obstinatus. Nota est et Judaeorum invicta ⁵pertinacia, quos suis veluti coloribus depingens Stephanus: ⁴*Dura cervice, inquit, et in circumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Nec sunt dissimiles hodie, qui novis addicti Sectis, ne audire quidem aut legere sustinent catholice docentem, quasi ⁵aspidum instar oclusis illi contra dulcem melodiam, id est, sanam Ecclesiae doctrinam auribus, dicere videantur: ⁶*Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Quod nihil aliud est, quam ut Paulus ⁷loquitur, secundum duritiam et impenitens cor thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei. Nam ut Salomon ⁸ quoque docet: *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur.**

S C R I P T U R A E.

Exod. VII. haec summatim continentur: Moyses et Aaron ad Pharaonem loquuntur, virgam vertunt in serpentem, et aquam virga percussam in sanguinem, quae etiam faciunt Magi Pharaonis suis incantationibus, quam ob causam Pharaeo magis induratur.

VIII. capitis summa haec est: Secunda Aegypti plaga est ranarum, pro quarum ablatione promittit Pharaeo populum dimittere, nec facit, quare additur tertia ciniphum,

et quarta muscarum, propter quas rursus promittit Pharaos se filios Israel dimissurum, quod non facit.

IX. vero capitis haec est: Quinta plaga est pestis in jumentis, sexta ulcerum, septima grandinis, ad quam promittit Pharaos se dimissurum populum, si cesset: verum nec id complet; nullus autem filiorum Israel in his malis ullum patitur damnum.

Et X. capitis: Octavum signum est locustarum, quibus ablatis, obduratus Pharaos, ne sic quidem juxta condictum dimittit populum; quapropter nonum additur, nempe tenebrarum densissimarum, propter quas dimittit Pharaos, ut exeant, sed protinus idem denegat, Moysique minatur.

XII. cap. summa est: Paschalis agni ritu declarato ac celebrato, ejusque sanguine domorum superliminaribus il-lito, caesis omnibus Aegypti primogenitis, Israelitae cum divitiis Aegypti egrediuntur: de ritu Phase ac esu azymorum, et tempore habitationis Israel in Aegypto.

XIV. cap. vero: Pharaos Israelem persequens, et mare per siccum post illum ingrediens, cum universo equitatu ac curribus submergitur.

Jerem. V.: Quod si etiam, vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt: Domine, oculi tui respiciunt fidem; percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renue-runt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis; ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui. Et ecce, magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.

Et cap. VIII.: Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jeru-salem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi et auscultavi: nemo, quod bonum est, loquitur, nullus est, qui agat poenitentiam

super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad praelium.

Esa. capite XLVIII.: Scivi enim, quia durus es, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aerea.

Zachar. VII.: Haec ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. Et viduam et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes, et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt, ut adamantem, ne audirent legem, et verba, quae misit Deus exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum, et facta est indignatio magna a Domino exercituum.

Genes. XLIX.: Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura; dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.

Act. VII.: Dura cervice, ut in textu.

Psalm. LVII.: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas. Quae non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus.

Job XXI.: Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo, recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.

Quis est omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest, si oraverimus illum?

Roman. II.: An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.

Proverb. XXIX.: Viro, qui corripientem etc., ut in textu.

P A T R E S.

1. A. AUGUSTINUS in Enchiridio ad Laurentium, capite 83.: Qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

Contemnus remissionem peccatorum.

2. ET in psalmum LVIII.: Ergo non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Hoc duobus modis intelligi potest, sive quia omnino nulla peccata impunita relinquit Deus, sive quod est quaedam iniquitas, quam qui operantur, omnino eorum Deus non miseretur. Secundum istos duos modos breviter, quantum temporis sufficit, aliquid loquamur caritati vestrae. Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine poenitente, aut a Deo judicante. Nam et quem poenitet, punit se ipsum. Ergo fratres puniamus nostra peccata, si quaerimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu. Nam et illud fecisti, quod impunitum esse non possit, sed a te puniatur potius, ut facias, quod in illo psalmo scriptum est: Praeveniamus faciem ejus in confessione. Quid est: Praeveniamus faciem ejus in confessione? Antequam ipse attendat, ut puniat, tu praeveni confitendo, et puni. Non ille inveniat, quod puniat, quia, cum tu punis iniquitatem, facis aequitatem. Et ideo tui miserebitur Deus, quia jam te operantem aequitatem invenit Deus. Quid est, operantem aequitatem?

Nulla iniquitas impunita manet.

Psal. 94, 2.

Quia hoc in te odisti, quod et odit ille, ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis, quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est: Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Sed videamus jam alium modum, quo haec sententia possit intelligi. Est quaedam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri, ut misereatur ei Deus. Quaeritis forte, quaenam illa sit? Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit, quod Deus odit. Et videte, quam perverse, quam inique: Si quid boni fecerit, sibi vult imputari; si quid mali, Deo. Nam hoc modo defendunt homines peccata sua ex Dei persona, quod pejus est. Quid est hoc? Nemo est, qui audeat dicere, bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, bonum perjurium, nullus prorsus hominum. Nam qui illa etiam faciunt, clamant, mala haec esse, quando patiuntur. Omnino ergo non inuenies animam tam perversam, tam extorrem a societate generis humani, et participatione communis sanguinis ex Adam, cui videatur bonum esse adulterium, sicut dixi, fraus, rapina, perjurium. Sed quomodo ea defendunt? Si Deus nolisset, non id fecissem. Quid vis faciam fato meo?

Defendere
peccata,
quanta sit
iniquitas.

Quam perniciosum sit,
in peccatis
perseverare.

5. GREGORIUS homilia 11. super Ezechielem: Districta sunt omnipotentis Dei judicia. Et qui peccatorem diu expectat, ut redeat, non redeunt atque contemnti ponit adhuc, ubi gravius impingat. Peccatum quippe, quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et poena peccati. Omne enim, quod prius committitur, peccatum est. Sed si citius poenitendo non tergitur, justo iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut, qui flendo et corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod poenitentiae lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati; quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero, quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et poena peccati, quia ex crescente caecitate, ex retributione prioris culpae generatur, ut quasi jam quaedam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam, ut unum idemque peccatum et peccatum sit, et poena peccati, simul et causa peccati. Et paulo post: Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo justus et omnipotens

Deus cum praecedentibus peccatis irascitur, permittit, ut caecata mens etiam in aliis labatur. Unde Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrhaeorum. David Gen. 15, 16-17; Psal. 68, 28. quoque ait: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, ut non intrent in justitia tua. Propheta etiam alius dicit: Oseea 4, 2. Maledictum et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus apostolus ait: ut impleant peccata sua semper. Joanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, 1. Thess. 2, 16. noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22, 11. Unde nunc etiam Dominus dicit: Si conversus justus a Ezech. 3, 20. justitia sua, fecerit iniquitatem, ponam offensivum coram eo. Ac si aperte dicat: Quia videre poenitendo noluit, Quomodo Deus dicitur offensivum ponere. ubi jam impingit, justo eum judicio deserens, ponam ei, ut et alibi impingat. Quod tamen Domini ponere, est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare, sicut de Pharaone dicitur: Ego indurabo cor ejus. Non enim cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Exod. 4, 21. et 7, 3. Deus tempus nobis ad poenitentiam relaxat, sed cum ejus Quomodo Deus obdurare corda dicitur. gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad ferendum vertit, ut quia reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est: Ignoras, quoniam benignitas Dei ad Rom. 2, 4. poenitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei. De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die irae reprobis thesaurizat, quia dum ad poenitentiam tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiae vertit in augmentum culpae. Unde et omnipotens Deus, qui collata remedia conspicit ad culpae augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum non vult, ut vivat, auget unde moriatur.

4. BERNARDUS libro I. de consideratione ad Eugenium Pontificem maximum: Solum est cor durum, quod semet ipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem

Ezech. 56, 26.
Cordis duri
egregia des-
criptio.

unquam adeptus] est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo, juxta Prophetam, cor lapideum, et dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui praeteritorum, praeter solas injurias, nihil omnino non praeterit, praesentium nihil non perit, futurorum, nulla, nisi forte ad ulciscendum prospectio seu praeparatio est. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Psal. 10, 6.

5. IDEM in sermone de conversione ad clericos, capite 4.: At forte aliquem moveat illud de psalmo: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ego autem dico: odit et carnem. An non odit, cui gehennae cumulos mercatur in dies, et cui secundum duritiam suam et cor impenitens thesaurizat iram in die irae? Caeterum hoc odium tam carnis, quam animae, non in affectu, sed in effectu potius invenitur. Sic nimirum odit et phreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopita. An vero gravior ulla phrenesis judicatur, quam impenitentia cordis, et peccandi obstinata voluntas? Siquidem manus nefarias injicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat et corrodit.

Rom. 2, 5.

Obstinata
peccandi vo-
luntas, gra-
vissima phre-
nesis.

Quomodo
cor Pharaonis
induratum
dicitur.

1. B. AUGUSTINUS quaestione 18. super Exodum: Ut ergo tale cor haberet Pharaeo, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit. Quod vero facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei; hoc est enim, quod dicitur: Induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat; dispensationis fuit divinae, qua tali cordi non solum justa, sed eviderent justa poena parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniae contemptor moratur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causae veniunt hominibus malis, quae non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex praeterita

voluntate. Videndum sane est, utrum etiam sic accipi Altera expo-
silio. possit: Ego indurabo: tanquam diceret, quam durum sit demonstrabo.

2. ET quaestione 24.: Et vidit Pharaon, quoniam Exod. 9, 7. facta est refrigeratio, et ingravatam est cor ejus, et non exaudivit eos, sicut dixerat Dominus. Hic apparet, non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, Causae ob-
durationis
Pharaonicae. quod incantatores ejus similia faciebant, verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundum corda Dei poeni-
tentia abu-
tentae. hominum, quibusdam utilis ad poenitentium, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, et in malo perseverandum: non tamen per se ipsam inutilis est, sed secundum cor malum, sicut jam diximus. Hoc et Apostolus dicit: Ignoras, quia Rom. 2. 4. patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam cordis tui et impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Nam et alibi cum diceret: 2. Cor. 2. 15. Christi bonus odor sumus in omni loco, etiam illud ad-junxit. et in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt. Non dixit, Christi bonum se odorem esse iis, qui salvi fiunt, malum autem iis, qui pereunt, sed tantum bonum odorem se dixit. Illi vero tales sunt, ut et bono odore pereant se-cundum sui cordis, ut saepe dictum est, qualitatem, quae mundanda est bona voluntate in Dei gratia, ut incipiant ei prodesse iudicia Dei, quae malis cordibus nocent.

3. ITEM sermone 88. de tempore: Primo hoc fide-liter et firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Deus nun-
quam dese-
rit hominem
prior. Cum enim et scilicet et secundo et tertio unusquisque gravia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, sicut per prior. Prophetam dicit: Ut convertatur et vivat. Cum vero in Ezech. 36, 24. peccatis suis coeperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, et cumulum faciunt et demergunt. Quod Prov. 28, 3. cum factum fuerit, impletur hoc, quod scriptum est. Pec-cator cum venerit in profundum malorum, contemnit. De talibus et Apostolus dicit: Ignoras, quod patientia Dei ad Rom. 2. 4. poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cor-dis tui et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae. Et de tali obduratione etiam alibi legimus: Equus indomi- Ecccl. 50, 2. tus evadit durus, et filius remissus evadit praeceps. Et iterum de corrigendo filio scriptura loquitur. Unde ait: Ibidem.

Tunde latera filii tui, dum infans est, ne induret et non consentiat tibi. Ista enim testimonia scripturarum ideo caritati vestrae insinuare volui, ut intelligatis, quia et obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione vel indulgentia generatur, ac sic Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse. Denique quoties eum Dei plaga percussit, afflicto poenituit. At ubi ei remissio divina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo definitissime credite fratres, et hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit: Ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi ego, inquit, suspendo plagas meas et flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed forte aliquis dicat: Quare illum Deus parcendo indurari fecerit, et quare flagella removerit? Hoc loco securus ego respondeo: Ideo Deus toties flagella removit, quia Pharaon pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. Tanta enim illius iniquitates praecesserunt, et Deum toties sacrilegio ausu contempserunt, ut in illo impleretur, quod de talibus Spiritus sanctus dixit: In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur: Ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate et impietate sua: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem castigari a Domino non meretur. De illis autem, quos indurari Dei misericordia non permittit, scriptum est: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Et iterum: Ego quos amo, arguo et castigo. Et iterum: Quem enim diligit Dominus, corripit. De hac obduratione etiam Propheta ex persona populi ad Dominum clamat, dicens: Indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Quod utique non est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne converteremur ad te. Quam rem multis praecedentibus sacrilegiis in populo Judaeorum impletam esse cognovimus. Nemo ergo cum paganis aut Manichaeis Dei justitiam repraesentare aut culpae praesumat, sed certissime credat, quod Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas et indomabilis superbia contra Dei praecepta toties fecerit obdurari. Quid est autem, quod dixit: Ego indurabo cor ejus, nisi cum abfuerit gratia mea, obduret illum nequitia sua? Et ut hoc evidentius possit agnosci, aliquam similitudinem de rebus visibilibus caritati vestrae proponimus. Sicut enim quoties nimio frigore aqua constringitur, solis calore

Pharaonis
obduratio
unde.

Exod. 4, 21.
et 7, 5.

Iuste per-
missus est
obdurari.

Psal. 72, 5.

Heb. 12, 6.

Apoc. 3, 19.

Provs. 3, 12.

Esaias 66, 17.

Exod. 4, 21.
et 7, 5.

Similitudo
qua Pharaon
obduratio
explicatur.

superveniente resolvitur, et discedente eodem sole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigescit caritas multorum, et veluti glacies obdurantur, et cum eis iterum calor divinae misericordiae supervenerit, resolvuntur. Ille utique calor, de quo scriptum est: Non est, qui se abscondat a calore ejus. Quod etiam erga Pharaonem impletum esse cognoscimus, a quo quoties flagella remota sunt, contra Deum se obduratus erexit; quoties vero afflictus est, humiliter supplicavit.

4. GREGORIUS libro XXXI. *Moralium*, cap. 11.: Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus ejus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.

ET libro XI. cap. 5.: Ad Moysen dicitur de Pharaone: Ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit.

5. BERNARDUS sermone 42. super Cantica: Quod si arguero et fecero, quod meum est, illa autem increpatio procedens minime, quod suum est, faciat, neque id ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua tanquam jaculum feriens et resiliens, quid me animi tunc habere putatis fratres? Nonne angor? nonne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis magistri, (quia de sapientia non possum) prorsus coarctor e duobus, et quid eligam nescio, placere ne mihi in eo, quod locutus sum, quoniam quod debui, feci, an poenitentiam agere super verbo meo, quia, quod volui, non recepi? Volui nimirum perimere hostem, et eripere fratrem, et non feci sic, magis autem contrarium accidit. Nam laesi animam, et culpam auxi. Siquidem accessit et contemptus. Nolunt audire te, inquit, quia nolunt audire me. Vides, quae majestas contemnitur? Non te putes me solum sprevisse, Dominus locutus est. Et quod dixit Prophetarum, dixit et Apostolis: Qui vos spernit, ait, me spernit. Non sum Propheta, non sum Apostolus, et Prophetarum tamen et Apostolorum (audeo dicere) vice fungor, et quibus non aequor meritis, eorum implicor curis. Etsi ad meam multam confusionem, et si ad grande periculum mihi, super Cathedram Moysi sedeo, cujus tamen non vendico mihi vitam, nec experior gratiam. Quid tamen? Num ideo cathedrae non deferretur, quoniam occupata est ab indigno? Etiam si Scribae et Pharisei in ea sedeant, inquit, quae dicunt, facite. Plerumque etiam impatientia contemptui jungitur, ita ut aliquis non solum non

Correptionis contemptor quibus gradibus in malitia promovetur.

Philip. 4. 28.

Ezech. 5. 7.

Luc. 10. 16.

Matth. 23. 5.

Contemptui impatientia jungitur quandoque.

- curet corrigi objurgatus, sed insuper objurganti indignetur more phrenetici, manum medici repellentis. Mira perversitas: Medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti. Est enim qui sagittat in obscuro rectos corde, qui et te ipsum nunc sagittavit ad mortem, et in illum non commoveris? Mihi indignaris, qui sanum te fieri cupio? Irascimini, inquit, et nolite peccare. Si peccato irasceris, non solum minime peccas, sed et quod peccaras, exterminas. Nunc vero et peccatum retines medicamentum respuendo, et peccare apponis irrationabiliter irascendo, et est supra modum peccans peccatum. Aliquoties additur et impudentia, ut non modo impatienter ferat, quod corripitur, sed etiam id, unde reprobatur, impudenter defendat. Hoc plane desperatio. Frons, inquit, mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et ait: Recessit zelus meus a te, ultra non irascor tibi. Solo auditu contremisco. Sentisne, quantipericuli quantique horroris et tremoris res sit peccati defensio? Dicit iterum: Ego quos amo, arguo et castigo. Si ergo te zelus deseruit, et amor. Nec eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur? Misereamur impio, inquit, et non discet facere justitiam. Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista, sapiens mihi vias justitiae. Satius profecto mihi, juxta Prophetarum consilium, appropinquare disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereant de via justa. Volo irasceris mihi pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis devia. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maxime confido propitium: Et enim cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Deus, inquit, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum. Moyses loquitur et Aaron atque Samuelem, quos modo praemisera, et hoc vocat propitiationem, quod eorum Deus non pepercit excessibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in aeternum, defendendo errorem et accusando correptionem. An non istud est malum dicere bonum, et bonum malum? An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impenitentia, mater desperationis? Quem enim poeniteat super bono quod putat? Vae illis, inquit. Vae illud aeternum est. Aliud est, quemque tentari a propria concupiscentia abstractum et illectum, et aliud, sponte appetere malum tanquam bonum; ad mortem quasi ad vitam, male securum properare.
- Psalm. 10. 3.**
- Psalm. 4. 5**
- Impudentia impatientiae quandoque jungitur.**
- Jerem. 3. 5**
- Ezech. 16. 4.**
defensio peccati quam exsecrabilis.
- Apoc. 5. 19.**
- Tunc Deus magis irascitur, cum non irascitur.**
- Esa. 26. 10.**
- Psalm. 2. 12.**
- Psalm. 98. 8.**
- Esaias 5. 20.**
Ex impudentia oritur impenitentia mater desperationis.
- Ecl. 31. 7.**
- Jacob 4. 14.**

VIII.

Quando peccatum impenitentiae committitur?

A. Cum homo peccatorum suorum, quae salutari poenitentia expianda forent, finem modumque nullum facit, ac proponit insuper se nolle unquam poenitentiam agere.

Aug. de verbis Domini serm. 11. c. 12. et 13. et epi. 50. ad Bonifac. Gas. in tomo de anathematibus vinculo.

B. Talium certe qui deplorate peccatores sunt, ac manere volunt, vita juxta et mors ¹ pessima est, quum illi, si non verbis, at re ipsa dicere videantur: ² *Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Ac de his etiam dictum accipi potest, quod Joannes testatur: ³ *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.*

1) Psal. 33. 22.

2) Esa. 28. 15. 3. 8. 9. Psalm. 51. 3. 7. Prov. 2. 11-15.

3) 1. Joan. 5. 10. Aug. de correptione et gratia c. 12. et 1. retract. c. 19.

C. Haec dicta sint hactenus de peccatis in Spiritum sanctum, gravissimis illis quidem, et quae aut nunquam, aut aegre admodum a Deo homini remittuntur. Quapropter adversus ea saepe nos ipsos munire, et alios confirmare debemus, ut observetur illud: ⁴ *Nolite contristare, nolite extinguere Spiritum Dei:* ⁵ *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Non* ⁶ *obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Cor ⁷ *enim durum habebit male in novissimo.* Nunc porro ad peccata, quae et ipsa non parum enormia sunt, et in caelum clamantia dici, solent, accedamus.

4) Ephes. 4. 30. 1. Thess.

5) 19. 5) Psal. 94. 8.

6) Hebr. 3. 13.

7) Eccl. 3. 27.

Psalm. XXXIII.: Mors peccatorum pessima.

Esa. XXVIII.: Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. Dixistis enim: Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.

Et cap. III.: Ruit Jerusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent ocnlos majestatis ejus. Agnitio vultus eorum respondit eis, et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Vae animae eorum, quoniam red-dita sunt ei mala.

Psalm. LI.: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

Proverb. II.: Consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur; qui relinquunt iter rectum, et ambulat per vias tenebrosas, qui laetantur, cum mala fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum viae perversae sunt, et infames gressus eorum.

I. Joann. V.: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.

Ephes. IV.: Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.

I. Thessal. V.: Spiritum nolite extinguere.

Psalm. XCIV.: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto.

Hebr. III.: Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, incredulitatis, discedendi a Deo vivo, sed adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.

Ecccl. III.: Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.

P A T R E S.

1. A. AUGUSTINUS sermone 11. de verbis Domini: Contra hoc donum gratuitum (remissionem scilicet peccatorum) contra istam Dei gratiam loquitur cor impenitens. Ipsa ergo impenitentia est spiritus blasphemia, quae non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim sanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, et quem accepit Ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittantur ei: verbum valde malum et nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei, cum ad poenitentiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui et cor impenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera ejus. Haec ergo impenitentia; sic enim uno aliquo nomine possumus, utcumque appellare et blasphemiam et verbum contra Spiritum sanctum, quod remissionem non habet in aeternum, haec,

Impoenitentia est peccatum in Spiritum sanctum

Joan. 20. 23.

Rom. 2. 4. 5.

Inquam, impenitentia, contra quam clamabat et praeco, et iudex, dicentes: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum, contra quam Dominus os evangelicae praedicationis aperuit, et contra quam ipsum Evangelium in toto orbe praedicandum esse praedixit, ubi posteaquam resurrexit a mortuis, ait discipulis: Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis tertio die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Haec omnino impenitentia non habet remissionem, neque in hoc saeculo, neque in futuro, quia poenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo, quae valeat in futuro. Sed ista impenitentia vel cor impenitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit, neo de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur et vivat. Paganus est hodie; unde scis, utrum sit futurus crastino Christianus? Judaeus infidelis est hodie, quid si cras credit in Christo? Haereticus est hodie, quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocunque genere erroris notas, et tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant poenitentiam, et inveniant veram vitam in futuro? Proinde fratres etiam ad hoc vos admoneat, quod ait Apostolus: Nolite ante tempus quidquam judicare. Haec enim blasphemia spiritus, cui nunquam est ulla remissio, (quoniam non omnem, sed quandam intellexerimus, eamque perseverantem duritiam cordis impenitentis vel diximus vel invenimus, vel etiam quantum existimavimus, ostendimus) non potest in quoquam, ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi. Et paulo post: Non ergo propterea quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, quia in trinitate major est Filio Spiritus sanctus, quod nullus unquam vel haereticus dixit, sed quoniam quisque restiterit veritati, et blasphemaverit veritatem, quod est Christus, etiam post tantam sui praedicationem apud homines, ut verbum caro fieret, et habitaret in nobis, quod est filius hominis, id est, ipse Christus, si non dixerit verbum illud cordis impenitentis contra Spiritum sanctum, de quo dictum est: Qui non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, et de quo item dictum est: Accipite Spiritum sanctum: si cui dimiseritis peccata, dimit-

Matth. 2, 2. et
4. 17.

Luc. 24, 26.
46.

Impoententiae peccatum non remittitur.

De nullo, quamdiu vivit, desperandum.
Ezech. 18, 23.

1. Cor. 4, 5.

Occurrit dubitationi.

Cur blasphemia in Spiritum sanctum gravior iudicatur, quam in Patrem aut Filium.

Joan. 1, 14.
Joan. 3, 3.
Joan. 20, 23.

tantur ei, id est, si poenituerit eum, accipiet per hoc donum remissionem omnium peccatorum, simul et hujus, quod verbum dixit contra Filium hominis, quia peccato ignorantiae sive contumaciae vel cujuscunque blasphemiae, non addidit peccatum impenitentiae contra donum Dei et gratiam regenerationis vel reconciliationis, quae fit in Ecclesia Spiritu sancto.

Impenitentia repugnat gratiae baptismi et sacramenti poenitentiae.

2. IDEM in epistola 50. ad Bonifacium comitem: Intelligent ergo non omne, sed aliquod significatum esse peccatum in Spiritum sanctum, quod omnino non remittitur. Sicut enim cum dixisset: si non venissem, peccatum non haberent, utique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisque peccatis, sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent, possint illis omnia dimitti, quae habebant, id est, quod in eum venientem non crediderunt. Hoc enim non haberent peccatum, si non venisset. Sic etiam cum dixit: Qui peccaverit in Spiritum sanctum, vel qui verbum dixerit adversus Spiritum sanctum, non utique omne, quod in Spiritum sanctum peccatur facto sive dicto, sed aliquod certum et proprium intelligi voluit. Hoc est autem duritia cordis usque ad finem hujus vitae, qua homo recusat in unitate corporis Christi, quod vivificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum. Cum enim dixisset discipulis: Accipite Spiritum sanctum, continuo subjecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cui tenueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiae Dei quicumque restiterit et repugnaverit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus usque in finem hujus temporalis vitae, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro. Hoc scilicet tam grande peccatum, ut eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cum de corpore exierit. Quamdiu vero hic vivit, eum sicut dicit Apostolus: patientia Dei ad poenitentiam adducit. Sed si ipse perseverantissima iniquitate, sicut consequenter adjungit Apostolus, secundum duritiam cordis sui, et cor impenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro. Isti autem, cum quibus agimus, vel de quibus agimus, non sunt desperandi. Adhuc enim sunt in corpore, sed non quaerant Spiritum sanctum, nisi in Christi corpore.

Joan. 15, 22

Matth. 12, 32.

Marc. 3, 29.

Luc. 12, 10.

Certa quaedam blasphemiam in spiritum sanctum, non remittitur unquam.

Joan. 20, 25.

Rom. 2, 4.

Matth. 12, 32.

Marc. 3, 29.

3. GELASIUS primus in tomo de Anathematis vinculo: Dixit Dominus, quod in Spiritum sanctum peccantibus nec hic esset, nec in futuro saeculo remittendum. Quantos

Quibus remitti possit spiritus blasphemia, quibus non possit.
1. Joan. 5, 16.

Ecclesia quaevis peccata remittere potest poenitentibus.
Matth. 16, 19
et 18, 18
Joan. 20, 23.

Blasphemantibus in Spiritum sanctum quando peccatum remittatur.

autem cognoscimus in Spiritum sanctum delinquentes sicut haereticos diversos, Arrianos, Eunomianos, Macedonianos, ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suae percepisse blasphemiae, et in futurum spem sumpsisse indulgentiae consequendae? Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse ullatenus resoluta, cum circa tales, si hoc esse permaneant, nunquam omnino solvenda persistat, effectis autem non talibus, non irrogata. Sicut etiam est consequenter et illud B. Joannis apostoli: Est peccatum ad mortem, non dico, ut oretur pro eo. Et est peccatum non ad mortem, dico, ut oretur pro eo. Est peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus: Est peccatum ad non mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem, non possit absolvere, vel poenitentibus relaxare, cui dicitur: Quaecumque dimiseritis super terram, dimissa erunt et in caelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis. In quibuscunque omnia sunt, quantacunque sint, et qualiacunque sint; veraci nihilominus eorum manente sententia, quae nunquam solvenda esse denuntiatur, in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens. Et paulo post: Notandum, quod quolibet genere blasphemantibus in Spiritum sanctum, si resipiscant et corrigant, et hic eis et in futuro saeculo remittatur, nec inde possit Domini nutare sententia, quae circa tales, utique permanentes, permanere dicta est, non circa non tales effectos. Quamdiu autem in hoc manent, tales sunt, qualibus non remittendum esse praefixum est. Cum autem ab hoc recesserint, non tales efficiuntur, qualibus non remittendum esse praedictum est. Et ideo non talibus effectis potest et hic et in futuro saeculo jam remitti. Alioquin (quod absit) frustra videretur Ecclesia huiusmodi sua reconciliatione suscipere. Quia autem frustrari non potest, hoc intellectu modis omnibus, salva Domini sententia, praedicandum est, quantum ad nos pertinent, omnino posse.

4. B. AUGUSTINUS in libro de correptione et gratia capite 12.: Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis. De quo peccato, quoniam non expressum est, possunt multa et diversa sentiri; ego autem dico, id esse peccatum, fidem, quae per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.

1. Joan. 5, 16.
Peccatum ad mortem est fidem vivam usque ad mortem deserere.

2. IDEM libro 1. retractationum, capite 19., ut supra quaestione 6., auctoritate 3.

DE PECCATIS IN CAELUM CLAMANTIBUS.

I.

Quae dicuntur peccata in caelum clamantia?

A. Ea, quae prae caeteris insignem et manifestam improbitatem habere noscuntur, divinamque iram et ultionem insigniter accersunt iis, a quibus committuntur.

Aug. in Enchirid. cap. 80. et lib. annot. in Job cap. 30. et lib. 1. locutionis de genes. cap. 60. et quaest. 5. super Exod. Greg. 3. pro curas past. admon. 32. et in 2. psal. poenitentialem.

B. Ejusmodi quatuor e scriptura numerantur: ¹ Homicidium voluntarium, ² peccatum sodomiticum, ³ oppressio pauperum, et ⁴ merces operariorum defraudata.

1) Genes. 4, 9 — 11.

2) Genes. 18, 20. 21.

3) Exod. 22, 21 — 27.

4) Deut. 24, 10 — 15. Jacob. 5, 1 — 4.

S C R I P T U R A E.

Gen. IV.: Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio; numquid custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

Genes. XVIII.: Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorraeorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.

Exod. XXII.: Advenam non contristabis, neque affliges eum; advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti. Viduae et pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutuum dederitis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat; si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

Deuter. XXIV.: Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet, quod habuerit; sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, ne clame: contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.

Jacob. V.: Agite nunc divites etc. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

P A T R E S.

1. A. AUGUSTINUS in Enchiridio ad Laurentium, cap. 80. Peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo ut non solum non occultanda, verum etiam jam praedicanda ac diffamanda videantur, quando sicut scriptum est: Laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua gerit, benedicitur. Talis in divinis libris iniquitas et clamor vocatur. Sicut habes apud Esaiam Prophetam de vinea mala: Expectavi, inquit, ut faceret iudicium, fecit autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem. Unde est illud in Genesi: Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est. Quia non solum jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verum etiam publice velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, et si non talia in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solum excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus: Timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis; exclamare compulsus sum: Vae peccatis hominum quae sola inusitata exhorrescimus, usitata vero pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, saepe videndo omnia tolerare, saepe tolerando, nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia, quae non poterimus prohibere, faciamus. Sed videro, utrum me immoderatus dolor incaute aliquid compulerit dicere.

Clamor in Scripturis quid dicatur.

Psalm 9, 24.

Esaias 5, 7.

Genes. 18, 20.

Galat 4, 14.

Nota.

Genes. 18, 20, 21.

Genes. 18, 20, 24.

2. IDEM in libro Annotationum in Job, super cap. 30: Qui insurrexerunt super me fures. Qui ad honores indebitos, qui justorum sunt proprii, per tenebrosas fallacias pervenerunt. Quorum domus erant cavernae petrarum, qui concupiscentias suas defendebant, et tegebant quibusdam obscuritatibus divinorum librorum, et inter arbores clamabant. Manifesta erant peccata eorum, quamvis ea scripturarum obscuritate quasi umbris arborum tegere conarentur. Hinc est: Clamor Sodomorum ascendit ad me: Et plerisque locis, pro manifestis peccatis clamorem ponit scriptura, ut verbum sit, quidquid corde concipitur: clamor, cum procedit in factum.

3. ET libro I. locutionis de Genesi, cap. 60.: Dixit autem Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorrhae imple-

Clamor in Scripturis. tus est; et delicta eorum magna valde. Clamorem scriptura solet ponere pro tanta impudentia et libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur.

Exod. 5, 9. 4. ITEM quaestione 5. super Exodum: Et nunc ecce
Genes. 18, 20. clamor filiorum Israel venit ad me, non sicut clamor Sodomorum, quo iniquitas sine timore et sine verecundia significatur.

Esaiæ 5. 5. GREGORIUS in tertia parte curae pastoralis, admonitione 32.: Cum pravus quisque impudenter innotescit, quo liberius omne facinus perpetrat, eo etiam licitum putat, et quod licitum suspicatur, in hoc procul dubio multiplicius mergitur. Unde scriptum est: Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Peccatum enim suum absconderet Sodoma, si adhuc sub timore peccaret. Sed funditus frena timoris amiserat, quae ad culpam nec tenebras requirebat. Unde et rursus scriptum est: Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est. Peccatum quippe cum voce, est culpa cum actione; peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate.

Genes. 18, 20. 6. IDEM in psalmum secundum poenitentialem: Quod peccatum clamor sit, testatur scriptura, quae dicit: Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum ascendit ad me. Et iterum: Descendam videre, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverunt. Peccatum quippe cum voce culpa est in actione; peccatum cum clamore est culpa cum libertate.

II.

Quomodo scriptura vindicari docet Homicidium voluntarium?

Vide Concil.

Ancyr. can.

22.

Epauneuse

can. 51.

Triburiense

can. 54 et seq.

1) Genes. 4,

10, 14-

Amb. lib. 2.

de Cain et

Abel cap. 9.

2) Gene. 9, 6.

Exod. 21, 12

—15-

Levit. 24, 17.

Num. 35, 16

—37-

Deut. 19, 4,

13.

1. Joan. 3, 15.

3) Psal. 54, 24.

Graviter sane, quemadmodum hisce verbis Deus ostendit, quibus Cain primum increpat homicidam: ¹ *Quid fecisti? inquit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram. Et alibi vox Divina testatur: ² Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Concinit ³ Psaltes*

Regius: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos. Summum enim hoc scelus est, et atrocissimam proximo injuriam adfert, qui vitam ei adimit absque legitima ⁴ auctoritate. Unde a Christo etiam dictum est: ⁵ Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

4) Aug. lib.
22. contra
Faustum
cap. 70.
5) Matt. 23,
52 et Apoc.
13, 10.

S C R I P T U R A E.

Genes. IV.: Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio; numquid custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus et profugus eris super terram. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequâquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

Et cap. IX.: Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, de manu viri, et de manu fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Exodi XXI.: Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed

Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem fugere debeat. Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

Levítico XXIV.: Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur.

Numerorum XXXV.: Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit, qui percussus est, reus erit homicidii, et ipse morietur. Si lapidem jecerit, et ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficietur. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit; percussor homicidii reus erit. Cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit. Quod si fortuito, et absque odio et inimicitia quidquam horum fecerit, et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quaestio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. Si interfecto extra fines urbium, quae exulibus deputatae sunt, fuerit inventus, et percussus ab eo, qui ultor est sanguinis, absque noxa erit, qui eum occiderit. Debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere. Postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam. Haec sempiterna erunt, et legitima in cunctis habitationibus vestris. Homicida sub testibus punietur; ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur. Exules et profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt, ne polluantur terram habitationis vestrae, quae insontium cruore macu-

latur, nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. Atque ita emundabitur vestra possessio me commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israel.

Deuteronomii XIX.: Haec erit lex homicidae fugientis, cujus vita servanda est: Qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet, ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, et apprehendat eum, si longior via fuerit, et percutiet animam ejus, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur. Idecirco praecipio tibi, ut tres civitates aequalis inter se spatii divides. Cum autem dilata verit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est, (si tamen custodieris mandata ejus, et feceris, quae hodie praecipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, et supradictarum trium urbium numerum duplicabis, ut non effundatur sanguis innoxius in medio terrae, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitae ejus, surgensque percusserit eum, et mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, mittent seniores civitatis illius, et arripiant eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, et morietur. Non misereberis ejus, et auferes noxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.

I. Joannis III.: Omnis qui odit fratrem suum, ho-

micida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem.

Psalm. LIV.: Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.

Matth. XXVI: Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Apocal. XIII.: Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

P A T R E S.

Poenae veteris Ecclesiae in homicidas constituta.

1. CONCILIUM Ancyranum capite 22.: Qui voluntarie homicidium fecerint, ad poenitentiam quidem jugiter se submittant. Circa exitum autem vitae communionem digni habeantur. Eos vero, qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum poenitentiam, communioni sociavit secundum gradus constitutos. Haec vero humanior definitio, quinquenni tempus tribuit.

2. CONCILIUM Epaunense tempore Gelasii primi celebratum, canone 31.: De poenitentia homicidarum, qui saeculi leges evaserunt, hoc summa reverentia de iis inter eos placuit observari, quod Ancyritani Canones decreverunt.

*) secundum edit. veterum.

3. CONCILIUM Triburiense canone 54.: De his, qui voluntarie homicidium fecerint, Ancyrano sancto concilio capite *) 21. legitur: Ut poenitentiae quidem jugiter se submittant; perfectionem vero, id est, communionis Christi gratiam circa exitum consequantur. Instituta canonica et sanctorum Patrum decreta, nostro et omnium orthodoxorum iudicio, inviolabilem habeant firmitatem. Nobis autem, qui pastores Christi ovium sumus, pro moderni temporis qualitate et hominum fragilitate, bonum et utile videtur, ut his, qui voluntarie homicidium fecerint, auctoritate synodali et iudicio generali et modum castigationis imponamus, et certum ac definitum poenitentiae tempus praemonstremus, ne prolixum tempus poenitentiae generet fastidium negligentibus, sed cursim exercitatis accrescat opas salutis.

Relaxatio poenae homicidarum.

4. ET canone 55.: Si quis sponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu Ecclesiae arceatur. ^{Poenitentia eorum, qui voluntarie perpetraverunt homicidium.} Nihil manducet illis quadraginta diebus, praeter solum panem et salem, neque bibat nisi puram aquam. Nudis pedibus incedat. Lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus. Saecularia arma non portet. Nullo vehiculo utatur. Ad nullam foeminam, neo ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem illis quadraginta diebus cum alijs Christianis, nec cum alio habeat poenitente, in cibo vel potu aut ullis rebus. Si vero sint aliqui vitae suae insidiatores, ut prae illis non possit digne poenitere, interim differatur ei eadem poenitentia, donec ab Episcopo proprio pax ei, ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit rite jejunare, adhibeatur ei misericordia, quousque convalescat, et tunc demum poeniteat. Si vero longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad Episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat, quia, ut Gregorius pastoralis commemorat libro, occultiora sunt vulnera mentium, quam corporum, et *) ars est artium, regimen animarum.

5. ET canone 56.: Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu Ecclesiae suspendatur. ^{Abstinencia homicidae aanna qualis.} Et abstineat se a carne et caseo, a vino et medone ac mellita cervisia, nisi Dominicis diebus et festis, qui per illum Episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum, et nisi vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe aut diu ad Dominicam curtem, vel si infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei, tertiam feriam et quintam atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo, ita duntaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, praedictas ferias non redimat, sed statuto modo poeniteat. Completo vero unius ejusdemque anni curriculo, ita castigatus rite et ordinabiliter more poenitentium, introducatur in Ecclesiam.

6. ITEM canone 57.: Secundum vero et tertium annum simili modo poeniteat, excepto, quod praedictas tres ferias redimere jus habeat, ubicunque est, sive in domo, sive in itinere. Caetera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

7. ET canone 58.: Quartum enim annum et quintum, sextum et septimum isto modo observet: Jejunet autem his singulis tres quadragesimas: Unam ante Pascha Domini, a caseo et pinguis piscibus, a vino et medone et mellita cerisia. Alteram ante nativitatem S. Joannis Baptistae. Si vero desunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur post nativitatem. Tertiam quadragesimam ante nativitatem Domini salvatoris jejunet, et abstineat se a carne et caeteris rebus praedictis; et in his quatuor annis, tertia feria et quinta ac Sabbato, manducet et bibat, quodcumque libeat. Et secundam atque quartam feriam denario, aut praedicto denarii pretio redimere jus habeat. Sextam vero feriam caute observet. His septem annis rite expletis, reconciliatur, et more poenitentium sacris altaribus et sanctae communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

Post septen-
nem poeni-
tentiam ho-
micida ad
communio-
nem admitti-
tur.

Gen. 4, 10.
Quomodo
vox sangui-
nis clamare
dicitur.

8. AMBROSIUS libro 2. de Cain et Abel, capite 9.: Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat: non, frater clamat. Hoc innocentia et gratia germanitatis, etiam in ipsa morte servat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima ejus, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater, accusat. Simul querela criminosa adimitur. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Minor est sermo, quam factum, est tamen etiam terra testis, quae cepit sanguinem. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra; non dixit, de fratris clamat corpore, sed de terra clamat. Etsi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te et testis, et judex. Testis acrior, quae adhuc parricidii tui sanguine madet. Judex asperior, quae tanto scelere coinquinata est, ut aperiret os suum, et reciperet sanguinem fratris tui de manu tua.

De terra cla-
mare.

9. AUGUSTINUS libro XXII. contra Faustum Manichaeum capite 70.: Hinc erat etiam illud Petri, cum evaginato gladio volens defendere Dominum, aurem persecutoris absceidit, quod factum Dominus satis minaciter cohibuit, dicens; Reconde gladium; qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille autem utitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate vel jubente vel concedente, in sanguinem alicujus armatur. Nam utique Dominus jussit, ut ferrum discipuli ejus ferrent, sed non jussit, ut ferrent.

Matth. 26.52.
Quid sit ac-
cipere gla-
dium.

III.

Quid vero de sodomitico peccato, ejusque
punitio scriptum exstat?

A. *Homines sodomitae, inquit*¹⁾
Scriptura, pessimi erant, et peccatores
coram Domino nimis. Nefandum hoc et
flagitiosum peccatum²⁾ Petrus et³⁾ Paulus
coarguunt; tum natura ipsa execratur.
Scriptura vero tanti flagitii magnitudinem
his etiam verbis declarat: ⁴⁾*Clamor So-*
domorum et Gomorrhaeorum multiplica-
tus est, et peccatum eorum aggravatum
est nimis. Unde ad Loth justum, et ab
*infandis*⁵⁾ Sodomitarum stupris majorem
in modum abhorrentem, sic angeli lo-
quuntur: ⁶⁾*Delebimus locum istum, eo*
quod increverit clamor eorum coram Do-
mino, qui misit nos, ut perdamus illos.
⁷⁾*Igitur Dominus pluit super Sodomam*
et Gomorrham sulphur et ignem a Do-
mino de caelo, et subvertit civitates has,
et omnem circa regionem. Neque tacet
Scriptura causas, quae ad hoc pergrave
peccatum Sodomitas impulerunt, et alios
itidem permovere possunt. Sic enim le-
gimus apud⁸⁾ Ezechielem: *Ecce haec fuit*
iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia,
saturitas panis, et abundantia, et otium

1) Gen. 13. 13.

2) 2. Petr. 2. 6-9.
3) Rom. 1. 23-20. 1.
Tim. 1. 9. sq. Ephes. 3.
5. 6. 12. Judic. 19. 2-
25. 20. 46-48.

4) Gen. 18. 20.

5) 2. Petr. 2. 6-9.

6) Gen. 19. 13.

7) Ibidem vers. 24. 25.
et Sapient. 10. 6-8.
Deut. 29. 22. 23. Judae
7. Gen. 13. 10. Vide Gre-
gor. 14. moral. cap. 10.
Aug. lib. 10. Aug. de civ.
Dei cap. 50. Tertul. in
Apologetico advers. gen-
tes cap. 39.

8) Ezech. 16. 49.

ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant.

B. Huic autem flagitio nunquam satis execrando sunt obnoxii, qui divinam, immo et naturalem legem in Levitico scriptam, violare non verentur. Ea

9) Levit. 18, 22. 23. Deut. 27, 21. Vide Chrysost. hom. 4. in epist. ad Rom. Tertul. in lib. de pudicitia cap. 4. Aug. lib. 5. Confess. cap. 8. et epist. 109.

sic habet: *9 Cum masculo non commiscearis coitu foemineo, quia abominatio est.*

Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Quod si fiat, terram ip-

sam tam tetris ac nefandis libidinibus pollui, ac iram divinam adversus popu-

lum majorem in modum concitari, tum

crimen ¹⁰ mortis supplicio expiandum esse, eodem ¹¹ loco monemur. Unde Paulus

10) Cum vir nubit. Cod. ad legem Jul. de adult.
11) Levit. 20, 17. 23. Exod. 22, 19. Joel. 3, 2. 3.
12) 1. Cor. 6, 10. Rom. 1, 25—20. 1. Tim. 1, 9. sq. Galat. 5, 19—21.

non semel etiam arguit masculorum ¹² concubitores: damnat praeterea immundos atque molles. E quibus unus erat

Onan ¹³ Judae filius, qui praesentem Dei ultionem effugere non potuit, quod in

13) Gen. 38, 8—10. Hieron. in cap. 5. epist. ad Ephes.

terram semen funderet, pejorque bestiis, naturae honestatem ac ordinem vellet per-

rumpere.

SCRIPTURAE.

Genes. XIII.: Homines autem Sodomitae etc., ut in textu.

II. Petr. II.: Et civitates Sodomorum et Gomorrhacorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens, et justum Loth

oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit; adspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Novit Dominus pius de tentatione eriperé, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos etc.

Rom. I.: Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. (Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis); qui contempserunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius, quam creatori, qui est benedictus in saecula Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam foeminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem (quam oportuit erroris sui in semet ipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniant, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione etc.

I. Timoth. I.: Lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis etc., fornicariis, masculorum concubitoribus etc. Et si quid aliud sane doctrinae adversatur.

Ephes. V.: Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus; (quod est idolorum servitus) non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Quae in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.

Judicium XIX.: Illis epulantibus, et post laborem itineris cibo et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius filii Belial, id est, absque jugo; et circumdantes domum senis, fores pulsare coeperunt, clamantes

ad Dominum domus, atque dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. Egressusque est ad eos senex, et ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, et cessate ab hac stultitia; habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam; educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne seculus hoc contra naturam operemini in virum. Nolebant acquiescere sermonibus illius etc.

Et cap. XX.: Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatore ad bella promptissimi. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere potuerunt et fugere in solitudinem, sexcenti viri, sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbès et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

Genes. XVIII.: Clamor Sodomorum etc., ut in textu. II. Petri II., ut supra.

Genes. XIX.: Delebitur locum istum etc., ut in textu.

Sapient. X.: Sapientia justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animae memoria stans figmentum salis. Sapientiam enim praetereantes, non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed et insipientiae suae reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quae peccaverunt, nec latere potuissent.

Deuter. XXIX.: Dicetque sequens generatio, et filii, qui nascentur deinceps, et peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas terrae illius, et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, sulphure et solis ardore comburens;

ita ut ultra non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subversionis Sodomae et Gomorrhae, Adamae et Seboim, quas subvertit Dominus in ira et in furore suo.

In epistola catholica Judae Apostoli: Sicut Sodoma et Gomorrha et finitimae civitates simili modo exornicatae, et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes. Similiter et hi carnem quidem maculant etc.

Genes. XIII.: Elevatis itaque Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quae universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrhham, sicut paradisus Domini, et sicut Aegyptus venientibus in Segor.

Ezech. XVI.: Ecce haec fuit etc., ut in textu.

Lev. XVIII.: Cum masculino etc., ut in textu. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, et quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.

Deuter. XXVII.: Maledictus, qui dormit cum omni jumento. Et dicit omnis populus: Amen.

Lev. XX.: Qui dormierit cum masculino coita foemineo, uterque operatus est nefas; morte moriantur; sit sanguis eorum super eos. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quae succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos. Et paulo post: Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim haec fecerunt, et abominatus sum eas.

Exod. XXII.: Qui coierit cum jumento, morte moriatur.

Joelis III.: Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et haereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. Et super po-

pulum meum miserunt sortem, et posuerunt puerum in prostibulum, et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.

I. Corinth. VI.: An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis seruietes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures etc. regnum Dei possidebunt.

Ad Romanos, et prioris ad Timotheum primo, ut supra.

Ad Galat. V.: Manifesta sunt autem opera carnis, quae sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria etc. Et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Genes. XXXVIII.: Dixit Judas ad Onan filium suum: Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introfens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.

P A T R E S.

Gen. 19, 24.

Poena Sodomorum accommodata fuit peccatorum.

1. A. GREGORIUS libro XIV. *Moralium in Job*, capite 10.: Quia per sulphur foetor carnis accipitur, ipsa sacri eloquii historia testatur, quae contra Sodomam ignem et sulphur pluisse Dominum narrat. Qui cum carnis ejus scelera punire decrevisset, in ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe foetorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perversa desideria ex carnis foetore arserant, dignum fuit, ut simul igne et sulphure perirent, quatenus ex justa poena discerent, ex injusto desiderio quid facissent.

Gen. 19, 24.

Supplicium Sodomorum specimen di-

2. AUGUSTINUS libro XVI. de civitate Dei, capite 30.: Post hanc promissionem liberato de Sodomis Lot, et veniente igneo imbore de caelo, tota illa regio impiae civitatis in cinerem versa est, ubi stupra in masculos in tantam consuetudinem convaluerant, quantam leges solent aliorum factorum praebere licentiam. Verum et hoc eorum supplicium, specimen futuri judicii divini fuit. Nam ad

quid pertinet, quod prohibiti sunt, qui liberabantur ab am-
 gelis, retro respicere, nisi quia non est animo redeundum ^{vini iudicii}
 ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur; ^{fuit.}
 si ultimum iudicium evadere cogitamus? Denique uxor Lot,
 ubi respexit, remansit, et in salem conversa, hominibus
 fidelibus quoddam praestitit condimentum, quo sapiant
 aliquid, unde illud caveatur exemplum.

3. TERTULLIANUS in apologetico adversus Gentes,
 cap. 39.: Nondum Judaeum ab Aegypto examen Palaestina
 susceperat, nec jam illic Christianae sectae origo consede-
 rat, cum regiones ac fines ejus Sodoma et Gomorrha ig-
 neus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, et si qua
 illic arborum poma orientur oculis tenuis, caeterum con-
 tacta cinerescunt.

Tertulliani
 tempore qua
 fuerit facies
 terrae Sodo-
 morum.

1. B. CHRYSOSTOMUS homilia 4. in epistolam ad
 Romanos, de masculorum concubitoribus loquens: Hos
 equidem iis etiam, qui sibi ipsi mortem consciscunt, dete-
 riores esse affirmo; praestiterit enim mori, quam tanta
 contumelia accepta vivere; nam qui se ipse interimit, is
 animam a corpore dissociat: at hic animam una cum cor-
 pore perdit. Quodcumque porro delictum nominaveris, nul-
 lum huic peccato par dixeris: quia si facta sua sentirent,
 qui patiuntur, sexcentas utique mortes obierint, ut ne hoc
 paterentur; neque enim est, neque inquam est hac injuria
 alia ulla nec gravior, nec rationis minus habens. Nam si
 de scortatione Paulus disserens dixit, peccatum omne,
 quodcumque commiserit homo, extra corpus esse, qui autem
 scortatur, eum in proprium corpus delinquere, quid de in-
 sania hac dixerimus, quae ipsa tanto est scortatione dete-
 rior, quantum ne verbis quidem exprimere licet? Neque
 enim hoc solum dico, quod foemina effectus sis, sed quod
 perdideris ipsum hoc, nimirum virum esse, et quod neque
 in hanc transieris naturam, neque quam haberes asservave-
 ris, sed communis utriusque effectus sis proditor, dignus
 quem tum viri, tum foeminae lapidibus a se exigant,
 tanquam qui utrumque genus injuria affeceris. Et paulo
 post: Quisquis scortum se facit, hoc nihil esse queat in-
 utilius; neque enim anima solum, verum et corpus ejus,
 qui haec patrat, infame est, ac certe dignum quod unde-
 quaque exterminetur, quot tandem, obsecro, gehennae his
 plectendis suffecerint? Quod si audito gehennae nomine,
 irrides, ac fidem non habes: illum ignem recordare Sodo-
 morum. Vidimus enim, vidimus et in praesenti quoque vita
 gehennae effigiem; quandoquidem enim multi futuri erant,

Masculorum
 concubitores
 sunt deterio-
 res homici-
 dia.

Peccatum
 gravissimi-
 mum.

1. Cor. 6. 48.

Insania.

Ignis Sodo-
 morum, effi-
 gies gehennae.

qui iis fidem minime habituri essent, quae post resurrectionem futura sunt, nunc quum iidem audiant, esse ignem inextinguibilem, a rebus praesentibus illos Deus erudit: tale est igitur Sodomorum incendium, et vastatio illa, id quod sciunt ii, qui ad ea loca profecti, plagam illam divinam ac caelestium fulminum opus oculis subjecere. Cogitato, quam grave illud sit peccatum, ut quod ipsam gehennam etiam ante tempus existere coegerit. Nam postquam permulti verba despicerent, illis Deus per ipsa demum opera, gehennae effigiem ostendit, nova quadam ratione; erat enim praeter omnium opinionem pluvia illa, quoniam quidem et praeter naturam ipsa coitio, atque ea quidem pluvia terram exussit, quoniam et illorum animos desiderium, ob quod pluvia eadem ferebatur contra quam solita ista ac quotidiana ferri soleat. Neque enim non excitabat modo terrae uterum ad fructuum generationem, sed et ad seminum susceptionem inutilem efficiebat. Talis enim erat ipsa Sodomorum coitio, ejusmodi corpus inutilius reddens. Quid enim viro corpus suum meretricio more prostituentem abominabilius? quid autem scelestius? O insaniam, o stupiditatem. Unde, malum, haec debacchata est concupiscentia, humanam naturam hostium incommodis, atque adeo tanto gravioribus afficiens, quanto anima corpore praestantior est? O vos et brutis insipientiores, et canibus impudentiores; nusquam enim hujusmodi congressus apud illos, sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus vestrum infamius brutorum genere effecistis, et in his, quae dico, injurii, et per vos invicem injurii. Unde igitur mala haec enata sunt? a deliciis, a Dei ignoratione. Quum enim excesserit quis Dei timorem, protinus bona omnia pessum eunt.

Canibus impudentiores.

2. TERTULLIANUS in libro de pudicitia: Reliquas autem libidinum furias impias in corpora et in sexus ultra jura naturae, non modo limine, verum omni Ecclesiae tectō submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.

Non sunt delicta, sed monstra.

3. AUGUSTINUS libro III. Confessionum, cap. 8.: Itaque flagitia quae sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quae si omnes gentes facerent, eodem criminis reata divina lege tenerentur, quae non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quae cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.

Vitia contra naturam, aemper detestanda ac punienda.

4. IDEM in epistola 109. ad monachas: Non carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio. Nam quae faciunt pudoris immemores, etiam foeminis foeminae jocando turpiter et ludendo, non solum a viduis et intactis ancillis Christi in sancto proposito constitutis, sed omnino nec a mulieribus nuptis, nec a virginibus sunt facienda nuptaris.

5. IN Codice Justiniani, libro IX., titulo 9.: Ad legem Juliam de adulteriis et stupro, lege trigesima prima Constantii et Constantis Imperatorum: Cum vir nubit, in foemina viros paritura quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor quaeritur, nec videtur? Jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis poenis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.

6. HIERONYMUS in cap. 5. epistolae D. Pauli ad Ephesios: Nisi philosophorum quidam Cynicus existisset, qui doceret omnem titillationem carnis, et fluxum seminis ex qualicunque attritu tactuque venientem, in tempore non vitandum, et nonnulli sapientes seculi in hanc turpem et erubescendam haeresim consensissent, nunquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios, ad fornicationem, etiam omnem immunditiam copulasset, et ad immunditiam junxisset avaritiam, non hanc, qua pecuniam cupimus congregare, sed illam de qua supra diximus, ne supergrediatur et avarus fraudet in negotio fratrem suum, quod scilicet insatiabilis et inexpletus, per omnia turpitudinum genera lasciviacque discurrat.

IV.

Quid scriptura de pauperum oppressione proponit?

Advenam non contristabis, dicit Dominus, neque affliges eum; advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti. Viduae et pupillo non nocetis: si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt

¹ Exod. 22, 21 - 21.
Deut. 15, 7 - 41, 24, 10 - 15, 17.
Eccles. 35, 16 - 19.
Jerem. 21, 12, et 22, 4 - 5.
Malach. 3, 5.
Reg. 12, 4 - 6.

- uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli. Quapropter*
- 2) Exod. 7. *propter Aegyptii tot plagis² attriti, et cum suo Rege crudelissimoque tyranno Pharaone, qui ne*
- 3) Exod. 1. *a parvulis³ quidem Hebraeorum occidendis sibi*
- 8 — 22.
- 4) Exod. 14. *temperavit, submersi⁴ demum fuere, videlicet*
27. 28.
- 5) Exod. 3. *ob suam in Israelitas plus quam barbaricam immunitatem. Vidi, inquit⁵ Dominus, afflictionem populi mei in Aegypto, et clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui praesunt operibus: et sciens dolorem ejus descendendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum. Hinc apud Esaiam quod*
- 6) Esa. 10. *que interminatur Dominus: Vae, qui condunt*
1. 2.
- Deut. 27. *leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent. Et apud eundem Prophetam de inhumanis et iniquis Magistratibus exstat haec querimonia: Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt mu-*
- 7) Esa. 1. *nera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad illos.*
- 23.
- Jerem. 5, 28.
- 29.
- Zach. 7, 8
- 11.
- Psal. 93, 3
- 11.
- Amos 5, 11
- 12.
- 8) Esa. 3. *Item Populum⁸ meum exactores sui spoliaverunt. Nec dubium, quin civitates et provinciae hoc ex-ecrando peccato, quod a tyrannicis Magistratibus perpetratur, in summum saepe discrimen adducantur.*

S C R I P T U R A E.

Exodi XXII: Advenam etc. ut in textu. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat; si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

Deuter. XV.: Si unus de fratribus tuis, qui moratur intra portas civitatis tuae in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad patipertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahas manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis, et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis, ad quae manum miseris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae, idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra.

Et cap. XXIV.: Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non pervertes iudicium advenae et pupilli, nec auferes pignoris loco viduae vestimentum.

Eccles. XXXV.: Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem laesi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? a maxilla enim ascen-

dunt. usque ad caelum, et Dominus exauditor delectabitur in illis.

Jerem. XXI.: Domus David, haec dicit Dominus, iudicate mane iudicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur, ut ignis indignatio mea et succendatur, et non sit, qui exstinguat propter malitiam studiorum vestrorum.

Et cap. XXII.: Haec dicit Dominus: facite iudicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniantis, et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique, et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus hujus reges sedentes de genere David super thronum ejus, et ascendentes currus et equos, ipsi et servi, et populus eorum. Quod si non audieritis verba haec, in memet ipso juravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus haec.

Malach. cap. III.: Accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, et humiliant viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

II. Reg. XII.: Misit ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. Dives habebat oves et boves plurimos valde, pauper autem nihil habebat omnino praeter ovem unam parvulam, quam emerat et nutriverat, et quae creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et praeparavit cibos homini, qui venerat ad se. Iratus autem

indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit.

Exod. VII. et sequentibus, ut supra de obstinatione.

Exod. I.: Surrexit interea rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Joseph, et ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terra. Praeposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus, aedificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phiton et Rameses. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant, oderantque filios Israel Aegypti, et affligebant, illudentes eis: Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur. Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebraeorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, praecipiens eis: Quando obstetricabitis Hebraeas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si foemina, reservate. Et post pauca: Praecepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite; quidquid foeminini, reservate.

Et cap. XIV.: Cum extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquae, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversaerque sunt aquae et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes, ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis.

Et cap. III.: Vidi afflictionem etc., ut in textu.

Esa. X.: Vae, qui cœdunt etc., ut in textu. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis?

Ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

Deuter. XXVII.: Maledictus, qui pervertit iudicium advenae, pupilli, et viduae. Et dicet omnis populus: Amen.

Job XXIV.: Ab omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduae. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terrae. Vim fecerunt depredantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. De civitatibus fecerunt viros gemere, et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur.

Matth. XXIII.: Vae vobis Scribae et Pharisei hypocritae, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Propter hoc amplius accipietis iudicium.

Esa. I.: Principes tui etc., ut in textu.

Jerem. V.: Incrassati sunt et impinguati, et praeterierunt sermones meos pessime. Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt. Numquid super his non visitabit dicit Dominus? aut super gentem huiusmodi non ulciscetur anima mea?

Zachar. VII.: Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: Iudicium verum iudicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. Et viduam et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde.

suo. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes, et aures suas aggravaverunt, ne audirent.

Psalm. XCIII.: Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Populum tuum Domine humiliaverunt, et haereditatem tuam vexaverunt. Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

Amos. V.: Idcirco pro eo, quod diripiebatis pauperem, et praedam electam tollebatis ab eo; domos quadrolapide aedificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra; hostes justii accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta.

Esa. III.: Populum meum exactores sui spoliaverunt. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus; vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?

V.

Quid postremo scriptura docet de mercede operariis retenta vel imminuta?

A. Apud Jacobum apostolum legimus, quamvis graviter divitibus exprobrat crudelē tenacitatem, summamque in defraudandis operariis iniquitatem. ¹ *Ecce merces, inquit, operariorum, qui* ^{1) Jac. 5, 4.} *messuerunt regiones vestras, quae fraudata est*

a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Ecclesiasticus² vero in hunc modum: Panis egentium, ait, vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

2) Eccl. 34,
25-27. 7,
22. 23.
3) Dent. 24.
14. 15. Lev.
19. 13. Tob.
4. 15. Ma-
lach. 3. 5.

B. Itaque lege divina sancitum est: Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.

SCRIPTURAE.

Jacob. V.: Ecce merces etc., ut in textu.

Eccl. XXXIV.: Panis egentium etc., ut in textu.

Et cap. VII.: Non laedas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

Deuter. XXIV.: Non negabis etc., ut in textu.

Levit. XIX.: Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.

Tob. IV.: Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.

Malach. III.: Et accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis et adulteris, et perjuris, et qui calum-

niantur mercedem mercenarii, et humiliant viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

VI.

Quo referenda est omnis haec de peccatis tractatio, et quis illius usus?

A. Haec tractatio ad priorem spectat christianae justitiae partem, quae in malis cognoscendis et fugiendis est posita. Usus autem ac fructus tractationis est, ea, quae vere mala, Deo contraria, hominibus perniciosam sunt, rite discernere, discreta prorsus cavere, et si quid horum admissum sit, sedulo expiare.

B. Hinc etiam discimus, quo modo sapiens a stulto, justus ab impio differat. ¹ *Sapiens enim* ^{1) Prov. 14, 16.} *timet, et declinat a malo: Stultus vero transilit, et confidit.* ² *Non enim recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde ejus, teste Salomone, qui hoc etiam scriptum reliquit:* ³ *Justorum semita quasi lux splendens, pro-* ^{3) Prov. 4, 18. 19.} *cedit et crescit usque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corruant. Plerique certe peccata, quae indicavimus, perniciosas illas animorum pestes, turpiter ⁴ ignorant; alii, ut norint maxime, non fugiunt tamen, neque detestantur. Pessimi vero illi sunt, qui peccati consuetudine ⁵ obduruerunt, de quorum genere dictum est illud: ⁶ *Impius cum in profun-**

A) Aug. de gratia et lib. arb. cap. 5. et lib. 3. de lib. arb. cap. 22. Bern. ep. 77. ad Hug. Chrys. hom. 26. in epist. ad Rom. B) Vide supra de obedi. et

Aug. in En-
chirid. c. 80.
c) Prov. 18, 3.

dum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur cum ignominia et opprobrium. Ea vero inprimis contemnit, quae christiana justitia non solum ad vitiorum observationem seu differentiam cognoscendam, sed etiam ad eorum devitationem et expiationem adhibendam postulat.

SCRIPTURAE.

Proverbiorum XIV., XVIII., et IV. capite, ut in textu.

PATRES.

Ignorantia
legis divinae
an excuset.
Rom. 2, 12.

B. AUGUSTINUS de gratia et libero arbitrio, capite 3.: Nec ipsi sine poena erunt, qui legem Dei nesciunt. Qui enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: Qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Quod mihi non videtur Apostolus ita dixisse, tanquam pejus aliquid significaverit esse passuros, qui legem nesciunt in peccatis suis, quam illos, qui sciunt. Pejus enim videtur esse perire, quam judicari. Sed cum hoc de gentibus et de Judaeis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autem legem acceperunt; quis audeat dicere, Judaeos, qui in lege peccant, non esse perituros, cum in Christum non crediderunt, quandoquidem de illis dictum est, per legem judicabuntur? Sine fide enim Christi nemo liberari potest, ac per hoc ita judicabuntur, ut pereant. Nam si peior est conditio nescientium, quam scientium legem Dei, quomodo verum erit, quod Dominus in Evangelio ait: Servus, qui nescit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis, vapulabit pauca: servus autem, qui scit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa. Ecce ubi ostendit gravius peccare hominem scientem quam nescientem, nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiae tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim, nescisse: aliud, scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt,

Lev. 12, 47.

Aliud est
nescisse, ali-
ud scire no-
luisse.
Psalm. 56, 4.

neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet, sed fortassis ut mitius ardeat; non enim sine causa dictum: Effunde iram tuam in gentes, quae te non moverunt. Et illud, quod ait Apostolus: Cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum. Veruntamen ut habeamus et ipsam scientiam, ne dicat unusquisque, nescivi, non audivi, non intellexi, voluntas convertitur humana, ubi dicitur: Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: quamvis peior appareat, de quo dictum est: Verbis non emendabitur servus durus; si enim et intellexerit, non obaudiet. Quando autem dicit homo: Non possum facere, quod praecipitur, quoniam concupiscentia mea vincor; jam quidem de ignorantia non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo, sed malum suum in se cognoscit et dolet; cui tamen dicit Apostolus: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Et utique cui dicitur: Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur; velle enim et nolle, *) propriae voluntatis est.

Psal. 78. 6.
2. Thess. 1. 8.

Psal. 31. 9.

Prover. 29. 1. 10.

Rom. 12. 21.

*) proprio

2. IDEM libro III. de libero arbitrio, cap. 22.: Non enim quod naturaliter nescit, et naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum, sed quod scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandae ad recte faciendum operam non dedit.

3. BERNARDUS epistola 77. ad Hugonem de sancto Victore: Is forsitan, qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantibus deprecatur, sed potius Prophetam irrideat deprecantem et dicentem: Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris: Forsitan et reprahendet Deum exigentem pro peccato ignorantiae satisfactionem. Loquitur enim in Levitico ad Moysen, dicens: Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quae lege Domini prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram aestimationemque peccati. Et rursus: Qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, et dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino. Si ignorantia nunquam peccatum est, cur dictum est in epistola ad Hebraeos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus pontifex intraret non sine sanguine, quem offerret pro sua et populi ignorantia? Si peccatum ignorantiae nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ig-

Per ignorantiam etiam peccari.
Psal. 24. 7.

Levit. 4. 2.

Ibidem.

Heb. 9. 7.

1. Tim. 1. 13.

norans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus et persecutor, et contumeliosus, quod erat spirans minarum et caedis in discipulos Domini, in hoc ipso quippe abundanter aemulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere: misericordiam consequutus sum, sed: mercedem recepi, quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, insuper et aemulatio remunerabilem judicabat. Si cum, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quoniam quidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se praestare Deo? Sed et frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus (ipso teste), quid facerent, et ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas est, ullatenus suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum, aperte perhibentem eos ignorare, quid facerent, et si forte de Apostolo dubitet quis, quod carnem suam aemulans, sicut homo mentiri potuit, ubi ait: Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Numquid non ex his satis apparct, in quantis jaceat ignorantiae tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam?

Gal. 1, 14.
1. Tim. 1, 13.

Joann. 16, 7.
Luc. 23, 34.

1. Cor. 2, 8.

Quae ignorantia excusationem non habeat.

Deus adjuvat ignorantes, cum faciunt (quod possunt).
Philip. 3, 15.

CHRYSOSTOMUS homilia XXVI. in epistolam ad Romanos: Stadium, praesens haec vita est, et innumeros oculos, quos circumquaque dirigamus, habere oportet, neque putandum, ad Apologiam sufficere ignorantiam; erit enim, erit inquam, quando et ignorantiae poenas dabimus, quando scilicet et ipsa ignorantia veniam non habebit. Nam et Judaei ignorarunt, sed ea ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur, et Graeci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quod si ea ignoraveris, quae sciri non possunt, praeter culpam eris; si vero quae scitu et possibilis sunt et facilia, extremas poenas merito dabis. Nisi enim vehementer pigri negligentesque fuerimus, sed quaecunque ad nos pertinent, simul attulerimus, et in his quae ignoramus, manum porriget Deus, id quod et Philippen-sibus scribit Paulus: Et si quid aliter, inquit, sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Si vero nihil eorum, quae nostrae sunt potestatis, expedire voluerimus, neque illius potiemur auxilio.

DE PECCATORUM EXPIATIONE.

I.

Quibus vero modis peccata expiantur?

A. Hic imprimis est extra contro-
versiam, Christum nobis esse ¹ propitia-
torem, et illum Dei ² agnum, qui tollit
peccata mundi, quique solus remissionem
peccatorum nobis potuerit promereri, et
purgationem eorum facere.

B. Deinde certum est, Deum fide
purificare corda, ut Petrus ³ inquit, quod
citra fidem (humanae salutis ostium ac
fundamentum) nullus peccatorum remis-

sionem aut expiationem consequi aut spe-
rare possit. Fide vero ⁴ destituuntur,
qui cum Ecclesiae fide non consentientes,
vana quadam ⁵ fiducia peccati remissio-
nem et justificationis gratiam propter
Christum sibi aliisque pollicentur.

C. Qui vero in ecclesiae fide et ejus
unitate persistentes, a peccatis cupiunt
liberari, multos illi modos ⁶ ad peccato-
rum suorum expiationem in Scriptura pro-
positos habent, inter quos principem tenet

Concil. Trident. sess. 6.
can. 3. et sess. 6. cap.
2 et 7.

1) Rom. 3. 24 - 28.

1. Joan. 2. 1. 2. 4. 10.

1. 7.

2) Joann. 1. 29.

Matt. 1. 21. 1. Cor. 1.

30. 31. 1. Tim. 2. 5.

0. Heb. 1. 3. 9. 11. 14.

Act. 4. 11. 12.

3) Act. 15. 7 - 9.

Hebr. 11. 1. 0. Gal. 2.

10. 3. 8. Rom. 3. 24

- 28. Luc. 7. 50. Ephes.

2. 8 - 10. Trident.

sess. 6. cap. 8.

4) Aug. tract. 67.

In Joann. J. eq. serm. 4.

de Nativ. Dom.

5) Vide sup. de praes.

assumptione.

6) Cyrill. libr. 2. in Le-

vit. Aug. lib. 2. cont.

Creac. cap. 12. Chry-

ost. concione 4. de La-

saro in sa. et hom. 0.

in Joan. 1.

7) Vide sup. de Sacram. poenitent.

locum Poenitentiae Sacramentum, quo neglecto, ⁷ frustra de reliquis lethalium peccatorum remediis adhibendis agitur. Hoc enim ut praesens, ita necessarium pharmacum Christus animarum medicus instituit, contra omnem peccati lepram valiturum, idque commendans dixit sacerdotibus: ⁸ *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

8) Joann. 20, 23.

II.

9) Tob. 4, 11. 12, 9.
Eccl. 5, 14 — 17, 33.
Prov. 13, 8. 15, 27. 16, 6.
Luc. 11, 41.

10) Dan. 4, 24. Esa. 1, 17. 18. Hebr. 13, 16.
Vide inferius de eleemosyna.

D. Secundo purgantur et expiantur eleemosyna: quia scriptum est: ⁹ *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras,* Monet igitur Propheta: ¹⁰ *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

III.

11) Matth. 6, 14. Luc. 6, 37. 38. Marc. 11, 25. 26. Eccl. 28, 2.

E. Tertio remittuntur peccata, dum quantumvis laesi, fratri offensam condonamus, dicente Domino: ¹¹ *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater caelestis delicta vestra.*

IV.

12) Jaco. 5, 20.

F. Quarto idem fit, cum peccantem fratrem corripiendo emendamus ac lucrifacimus, sicuti scriptum est: ¹² *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

V.

G. Quinto huc pertinet abundantia sincerae caritatis, ad impetranda et conficienda bona omnia praepotentis, ob quam

de Magdalena dicitur: ¹³ *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 13) Luc. 7, 47.

¹⁴ *Caritas enim operit multitudinem peccatorum.* 14) Prov. 10, 12. et 1. Pet. 4, 8.

H. Sexto ad idem valet ¹⁵ contriti cordis sacrificium, quod nunquam despicit Deus, et humilis cognitio sui, confessioque peccatorum. 15) Psal. 50, 19. Luc. 18, 13. Matth. 18, 32. Eccl. 21, 1.

¹⁶ *Respicit enim Dominus in orationem humilium, et non despicit preces eorum. Ut hinc etiam David de se ipso testetur: ¹⁷ Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* 16) Psal. 101, 18.

Ac Joannes generatim omnibus vere confitentibus hanc gratiam pollicetur: 17) Psalm. 31, 5.

¹⁸ *Si confiteamur, inquit, peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* 18) 1. Joann. 4, 2.

Igitur ¹⁹ Ninivitee cum humilitatis et poenitentiae operibus sedulo insisterent, praesentem Dei iram placaverunt, et jamjam imminens urbi ac patriae exitium averterunt. Quare de illis sic scriptum legimus; 19) Jon. 3, 5 — 9. Matth. 12, 41. Luc. 11, 32. 3. Reg. 21, 25 — 29. Sap. 11, 2. Cyp. lib. 1. epist. 8. et lib. 4. epi. 4. et lib. 5. epist. 12.

²⁰ *Fidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.* 20) Jonae 3, 10. Num. 23, 11 — 13. Psal. 105, 30. 31.

I. Sic demum Scriptura teste discimus, his ²¹ aliisque modis et officiis, 21) Prov. 10, 2. Act. 8, 22, 23. 2. Cor. 7, 9. 10.

rae pietatis Christi gratia editis, hoc effici, ut credentium et poenitentium in Ecclesia, sicut diximus, peccata expiuntur. Eoque spectans Apostolus monet:

22) 2. Cor. 7, 1. 2. Tim. 2, 19 — 21.

22) *Has habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Nec minus graviter*

22) Jacob. 4, 8 — 10. Ezech. 48, 27.

Jacobus: *Emundate, 23) inquit, manus peccatores, et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. Et*

24) Hom. 50. ex 50. cap. 15. Et in Enchir. cap. 70. et Cyprian. de lapsis in fine. et alii ut supra de satisfactione.

enim non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, ut Augustini verbis 24) iterum utamur, nisi etiam de iis, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

K. Alioquin quisquis de peccatis lethalibus in se aliqua dominari cognoverit, ut idem 25) Augustinus est auctor, nisi digne se emendaverit, et si habuerit spatium, longo tempore poenitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, et a peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit 26) Apostolus, purgari non poterit, sed aeterna illum flamma

25) Serm. 44. de Sanctis.
26) 1. Cor. 5, 12 — 15. Idem August. hom. 16. ex 50. in Enchir. cap. 67. Item de fide et operibus.

sine ullo remedio cruciabit. Non enim capitalia post hanc vitam, sed minuta peccata purgantur expianturque.

cap. 46. et quaest. 4. ad Dulcitium.

S C R I P T U R A E.

A. Rom. III.: Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.

I. Joan. II.: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Et cap. IV.: In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris

Item cap. 1. ejusdem epistolae: Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.

Joannis I.: Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Matth. I.: Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

I. Cor. I.: Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctifi-

catio et redemptio, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur.

I. Timoth. II.: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus, cujus testimonium temporibus suis confirmatum est.

Hebr. I. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.

Et cap. IX.: Christus autem assistens pontifex futurorum honorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae adpersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

Act. IV.: Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

B. Et cap. XV.: Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

Hebr. XI.: Est autem fides sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium. Sine fide autem impossibile est placere Deo.

Galat. II.: Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi; et non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

Et cap. III.: Providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenunciavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes.

Ad Rom. III., ut supra.

Luc. VII.: Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.

Ephes. II.: Gratia enim estis salvati per fidem, (et hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.

C. Joannis XX.: Hoc cum dixisset, insufflavit, et dicit eis: Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis etc.

D. Tob. IV.: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude; praemium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fides magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.

Et cap. XII.: Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.

Eccles. III.: Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius, et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua. Eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris

restituatur tibi bonum, et in justitia aedificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis, et Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam.

Prov. XIII.: Redemptio animae viri, divitiae suae.

Et cap. XV.: Per misericordiam et fidem purgantur peccata.

Item cap. XVI.: Misericordia et veritate redimitur iniquitas.

Luc. XI.: Verum tamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

Danielis IV.: Quam ob rem rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.

Esa. I.: Discite benefacere, quaerite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coctinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Hebr. XIII.: Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.

E. Matth. VI.: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Luc. VI.: Nolite judicare, et non judicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittimini. Date, et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Marc. XI.: Et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et pater vester, qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos

non dimiseritis, neque pater vester, qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra.

Eccles. XXVIII.: Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

F. Jacob. V.: Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit etc., ut in textu.

G. Luc. VII.: Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti; haec autem, ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti; haec autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

Prov. X.: Odium suscitatur rixas, et universa delicta operit caritas.

I. Petr. IV.: Ante omnia autem mutua in vobismet ipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.

H. Psalm. L.: Sacrificium Deo; Spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.

Luc. XVIII.: Et publicanus a longe stans, volebat nec oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.

Matth. XVIII.: Tunc vocavit illum Dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

Eccles. XXI.: Fili, peccasti? non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

Psalm. CI.: Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Psalm. XXXI.: Dixi etc., ut in textu.

I Joannis I.: Si confiteamur etc., ut in textu.

Jonae III.: Et crediderunt viri Ninivitae in Deum, et praedicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit verbum ad regem Ninivae, et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens: Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala et ab iniquitate, quae est in manibus eorum. Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore irae suae, et non peribimus?

Matth. XII.: Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae. Et ecce plus quam Jonas hic.

Luc. XI.: Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae. Et ecce plus, quam Jonas hic.

III. Reg. XXI.: Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini; concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus est, intantum, ut sequeretur idola, quae fecerant Amorrhaei, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit dimisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

Sapient. XI.: Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.

Jon. III.: Vidit etc., ut in textu.

Num XXV.: Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem foederis mei, et erit tam ipsi, quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel.

Psalm. CV.: Et stetit Phinees, et placavit: et cessavit quassatio. Et reputatum est ei in justitiam, in generatione et generationem, usque in sempiternum.

I. Proverb. X.: Nil proderunt thesauri impietatis; justitia vero liberabit a morte.

Act. cap. VIII.: Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse, ait S. Petrus ad Simonem magum.

II. Corinth. VII.: Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur.

II. Corinth. VII.: Has habentes etc., ut in textu.

Jacob. IV.: Emundate etc., ut in textu.

Ezech. XVIII.: Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit.

K. I. Corinth. III.: Si quis supraedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, foenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod supraedificavit, mercedem ac-

cipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

P A T R E S.

1. A. CONCILIUM Tridentinum sessione V., canone 3.: Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio, aut negat ipsum Christi Jesu meritum, per baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit, quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde vox: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Peccata tolluntur merito Christi merito per Sacramenta applicato.
1. Timoth. 2.
Rom. 5.
1. Cor. 4. 50.

Act. 4. 12.
Joan. 1. 29.
Galat. 3. 17.

2. Cor. 1. 5.

Galat. 4. 4.

Rom. 9. 50.
Galat. 4. 5.

Rom. 5. 25.
1. Joan. 2. 2.

2. ET sessione VI., capite 2.: Quo factum est, ut caelestis pater, pater misericordiarum, et Deus totius consolationi, Christum Jesum, filium suum, et ante legem, et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes, quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Christus meruit nobis justificationem.

3. ET cap. VII. ejusdem sessionis: Meritoria causa justificationis est dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster, Jesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit.

Rom. 5. 22.
24. 26.

Quomodo per fidem justificari dicimus.

4. B. IDEM Tridentinum sessione VI., capite 4.: Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et expressit, et scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis iustum, fundamentum, et radix omnis jus-

tificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. Rom. 11. 6. Ephes. 2. 8. 9.

2. AUGUSTINUS tractatu 67. in Evangelium Joannis: Proinde respuendi sunt a corde Christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum caelorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum caelorum intrare non potuerunt; haec fides non est fides, quoniam non est vera et Catholica fides. Sola Catholica fides est fides.

3. LEO Magnus sermone 4. de nativitate Domini: Magnum praesidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest, quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes et per omnia, et in omnibus nobis. Huic unitati (dilectissimi) inconcussis mentibus inhaerete, et in hac omnem sectamini sanctitatem, et in hac praeceptis Domini deservite: quia sine fide impossibile est placere Deo, et nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil vivum. Justus enim ex fide vivit. Quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus est. Quia sicut per fidem justitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur aeterna, dicente Domino Salvatore: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Fides nisi integra et una sit, fides non est. Ephes. 4. 5. Hebr. 11. 6. Abac. 2. 4. Joan. 17. 3.

1. C. CYRILLUS Alexandrinus libro II. in Leviticum: Audisti, quanta sint in lege sacrificia pro peccatis; audi nunc, quantae sint remissiones peccatorum. In Evangelio est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum; secunda remissio est in passione martyrii: tertia est, quae per eleemosynam datur. Dicit enim Salvator: Verum tamen date, quae habetis, et ecce omnia munda sunt, vobis. Quarta nobis fit remissio peccatorum, quando et nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit ipse Dominus et Salvator: Quia si remisistis fratribus vestris ex corde peccata, et vobis remittet peccata vestra pater vester; quod si non remisistis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet pater vester. Et ipse in oratione nos docere docuit: Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Quinta peccatorum remissio, quam conver- Varia modis in nova lege peccata remittuntur. Baptismo, martyrio, eleemosyna. Luc. 11. 41. Condonando offensam. Matth. 6. 15. Marc. 11. 26. Matth. 6. 17.

terit quis peccatorem ab errore viae suae. Ita enim dicit scriptura divina: Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvat animam ejus a morte, et cooperit multitudinem peccatorum. Sexta quoque fit remissio per abundantiam caritatis, sicut et ipse Dominus dicit: Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Apostolus dicit: Quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per poenitentiam remissio peccatorum, quum lavat peccator lacrymis stratum suum, et finit ei lacrymae suae panes die ac nocte, quum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, et quaerere medicinam, secundum eum, qui ait: Dixi; Pronunciabo adversum me injustitiam meam, et tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur et illud, quod Jacobus Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Et tu ergo, quum venis ad gratiam Baptismi, vitulum offers, quia in morte Christi baptizaris: cum vero ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia auctorem peccati diabolum jugulasti. Quum autem eleemosynam feceris, et erga indigentes affectum misericordiae sollicita pietate impenderis, altare sacrum hoedis pinguibus onerasti. Quod si ex corde peccatum remiseris fratri tuo, et iracundia, et timore deposito, mitem intra te et simplicem recolles animam, immolasse te arietem, vel agnum in sacrificio obtulisse confide. Porro autem si divinis lectionibus instructus, meditando sicut columba, et in lege Domini vigilando die ac nocte, ab errore suo converteris peccatorem, et abjecta nequitia ad simplicitatem eum columbae revocaveris, atque etiam adhaerendo sanctis, feceris eum societatem turturis imitari, par turturum aut duos pullos columbarum Domino obtulisti. Quod si illa (quae et spe et fide major est) caritas abundaverit in corde tuo, ita ut diligas proximum tuum, non solum sicut te ipsum, sed sicut ostendit ille, qui dicebat: majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis; panes similigineos in caritatis oleo subactos, sine ullo fermento malitiae et nequitiae in azymis sinceritatis et veritatis te obtulisse cognosce. Si autem in amaritudine fletus fueris, luctu, lacrymis et lamentatione confectus, si carnem tuam maceraveris, et jeuniis ac multa abstinentia aridam feceris, et dixeris, quia sicut in fraxorio confrixa sunt ossa mea

Convertendo proximum. Jacob. 5, 20.

Caritatis abundantiam. Luc. 7, 47. 1. Petr. 4, 8.

Poenitentia et confessione sacramentali. Psal. 6, 7. 41. 4 et 51, 6.

Extrema unctio. Jacob. 5, 14-15.

Praedicti modi comparantur cum sacrificiis et oblationibus veteris testamenti, quorum mentio fit in Levitico.

1. Cor. 13, 13.

Johan. 15, 13.

1. Cor. 5, 6.

tunc sacrificium similiae a sartagine vel craticula obtulisti. Et hoc modo invenieris tu verius et perfectius secundum Evangelium offerre sacrificia, quae secundum legem offerre non potest Israel.

2. AUGUSTINUS libro II. contra Cresconium Grammaticum, cap. 12.: Ideo vobis non videntur mundari, cum ad nos a vobis transeunt, quia non denuo baptizantur, quasi solo baptismo quem repeti non oportet, cum idem atque unus est, homines ab errore mundantur. Mundantur et verbo veritatis ab illo qui ait: Jam vos mundi estis, propter verbum, quod locutus sum vobis. Mundantur et sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Mundantur et eleemosynis ab illo, qui ait: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quae supereminet omnibus, caritate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Caritas coöperit multitudinem peccatorum: quae una si adsit, omnia illa recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt.

Non solum
baptismo a
peccatis
mundamur.
Joan. 15, 3.
Verbo.
Corde con-
trito.
Psal. 50, 19.
Eleemosy-
nis.
Lucae 11, 41.
Caritate.
1. Petr. 4, 8.

3. CHRYSOSTOMUS concione IV. de Lazaro, in fine: Ut igitur neque puniamur, neque poenas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamque explicet, cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam, quae haec patrauit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque suam ipsius mentem, supplicium a se ipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam poenitentiam, per lacrymas, per confessionem, per jejuniū, per eleemosynam, per continentiam ac caritatem, ut possimus omnes omni modo hic depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci.

Quibus me-
dis expiamus
peccata.

4. IDEM Chrysostomus homilia VI. in Joannem: Hac igitur perniciose inquirendi cura abiecta, nostra conteramus corda, peccata depleamus, ut a Christo nobis praeceptum est, et eorum gratia, quae perperam et inique egimus, compungamur, et summa cum diligentia, quidquid superiori tempore ausi sumus, quidquid maligne commisimus, animo repetamus atque abiciamus. Ad quod multas nobis Deus vias aperuit. Dic enim tu primus iniquitates tuas, ut justificeris. Et iterum: Dixi: Pronunciabo adversum me impietatem meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei. Neque enim parum nobis confert ad magnitudinem peccatorum imminuendam frequens eorum memoria et accusatio. Est et alia operosior, ut nemini, qui nos offendit, succenseamus, sed injurias omnes magno et generoso animo

Confessione
dolentur pec-
cata.

Esa. 43, 26.
Psal. 51, 6.

Condonando
offensam.

Eleemosy-
nia.
Dan. 4, 24.
Oratione as-
sidua.

Jejunio et
caritate.

Ecoli. 3, 53.

oblivioni mandemus. Vis et tertiam? audi Danielelem: Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Accedit et alia, jugis scilicet oratio, et in deprecationibus ad Deum cum puritate perseverantia, quae non parvam nobis affert consolationem, et a peccatis nos abluit. Jejunium ad haec cum proximi caritate, majorem in modum divinam in nos iram exstinguit. Ignem namque ardentem exstinguet aqua, et eleemosynis purgantur peccata. Decursis igitur his viis omnibus et repetitis, in iisdem assidue perseveremus. Hoc pacto non modo praeterita abluemus peccata, sed in posterum maximum consequemur emolumentum, quippe qui nullam dabimus diabolo occasionem, ut nos in vitae desidiam vel in exitialem aliquem affectum pelliciat.

Precibus
longa satis-
factione Do-
minus pla-
candus est.

Per Episco-
pos et Sa-
cerdotes
Domino sa-
tisfactionem
dum.

Bonis factis
Deo placen-
dum, et pro
peccatis sa-
tisfactionem
dum.

1. H. CYPRIANUS libro I., epistola 8. ad plebem de quinque presbyteris schismaticis: Nunc se ad lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt, ut aegros, et saucios, et ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinae suae minus idoneos, et minus solidos, a medela vulneris sui avocent, et intermissis precibus et orationibus, quibus Dominus longa et continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosae pacis invitent. Et paulo post: Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio, per quinque presbyteros Felicissimo copulatos, ad ruinam salutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Christum, eundem Christum, quem negaverat, deprecetur; post culpam criminis tollatur et poenitentia, nec per Episcopos et sacerdotes Domino satisfiat, sed relictis Domini sacerdotibus contra Evangelicam disciplinam nova traditio sacrilegae institutionis exurgat.

2. ET libro IV., epistola 4. ad clerum et plebem: Quamquam sciam, fratres carissimi, pro timore, quem singuli debemus Deo, vos quoque illic assiduis orationibus et enixis precibus instanter incumbere, admoneo tamen etiam ipse religiosam sollicitudinem vestram, ut ad placandum atque exorandum Dominum non voce sola, sed et jejniis et lacrymis, et omni genere deprecationis ingemiscamus. Et paulo post: Virgas igitur et flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus. Rogemus de intimo corde et tota mente misericordiam Dei.

3. ITEM libro V., epistola 12., quae est Moysis et Maximi presbyterorum et aliorum ad Cyprianum: Ubi divinus metus relinquitur, si tam facile peccantibus venia

praestetur? fovendi sunt sane ipsorum animi, et ad maturitatis suae tempus nutriendi, et de scripturis sanctis, quam ingens et supra omnia peccatum commiserint, instruendi. Nec hoc animentur, quia multi sunt, sed hoc ipso magis reprimantur, quia non pauci sunt. Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit, sed pudor, sed modestia, sed patientia, sed disciplina, sed humilitas atque subjectio, sed alienum de se exspectasse iudicium, sed alienam de suo actu sustinuisse sententiam: Hoc est, quod poenitentiam probat, hoc est, quod impresso vulnere inducit cicatricem, hoc est, quod dejectae mentis ruinas erigit et attollit: quod ardentem delictorum aestuantium vaporem restinguit et finit. Non ea, quae sanorum sunt corporum, medicus aegris dabit, ne importunis cibus tempestatem valetudinis saevientis non reprimat, sed accendat, scilicet, ne quod potuisset maturius jejunio attenuante sanari, videatur per impatientiam longius pasta cruditate produci. Eluendae sunt igitur, impio sacrificio manus inquinatae, operibus bonis, et nefario cibo ora misera polluta, poenitentiae sunt verae sermonibus expianda, et in secretis cordis fidelis, novellendus et consecrandus est animus, crebri poenitentium gemitus audiantur, et iterum fideles ex oculis lacrymae profundantur, ut illi ipsi oculi, qui male simulacra conspexerunt, qui illicita commiserant, satisfaciens Deo fletibus deleant.

Delicta expiantur et restinguuntur operibus bonis.

1. I. AUGUSTINUS in libro 50. homiliarum, homilia 50., cap. 15., sive in libro de poenitentiae medicina, cap. 5.: Non sufficit mores etc. ut in textu.

2. ET in Enchiridio ad Laurentium, cap. 70.: Sane cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, et eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

1. Cor. 6. 10.

Per eleemosynas propitiandus Deus de peccatis.

3. CYPRIAN. de lapsis: Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum hic jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejuniam, iustis

Peccata quibus operibus purgantur, et redimantur.

Act. cap. 2, et 4.

Quorum miseretur Deus, et quibus ignoscat.

Eze 18, 32, et 33, 41.

Johel. 2, 13.

Satisfactionibus movetur et placatur Deus.

operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animae liberantur. Quod adversarius auferebat, Christus accipiat, nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus et vendenda. Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut inde crimen et culpa redimatur. Incunctanter et largiter fiat operatio, census omnis in medelam vulneris erogetur, opibus et facultatibus nostris, qui de nobis judicaturus est Dominus, foenoretur. Sic sub Apostolis fides viguit, sic primus credentium populus Christi mandata servavit. Prompti erant, largi erant, distribuendum per Apostolos totum dabant, et non talia delicta redimebant. Si precem toto corde quis faciat, si veris poenitentiae lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui et misericordiam suam protulit, dicens: Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies, ubi fueris. Et iterum: Nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat. Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipso jubente, declarat: Revertimini, inquit, ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius est, et patiens, et multae miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas. Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres, et fecerint Sacerdotes, vel si quis plus eum satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursus, quibus victus armetur, reparat et corroborat vires, quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, provocabit hostem, et quidem factus ad proelium fortior per dolorem. Qui sic Deo satisfecerit, qui poenitentia facti sui, qui pudore delicti, plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, laetam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.

1. K. AUGUSTINUS sermone XLI. de Sanctis, qui est sermo quartus de animabus fidelium defunctorum: Quicumque aliqua de capitalibus peccatis in se dominari cognoverit, nisi digne etc. ut in textu. Latius vide supra de Sacramento poenitentiae, quaestione nona, C 3.

2. IDEM Augustinus in libro 50. homiliarum, homilia 16., ut supra de Sacramento Poenitentiae, quaestione 9. C 2.

3. ITEM in Enchiridio ad Laurentium, cap. 67.:

Creduntur autem a quibusdam etiam qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel haeresi praeceduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quae nec diluant poenitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitae ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno, non tamen aeterno, igne puniri. Sed qui hoc credunt, et tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quaestione scripsi, cujus titulus est: De fide et operibus. Ubi secundum scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi, eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus Apostolus, dicens: In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, nec praecipitium, sed fides, quae (bene) per dilectionem operatur. Si autem male et non bene operatur, procul dubio secundum Apostolum Jacobum mortua est in semetipsa. Qui rursus ait: Si fidem dicat se quisquam habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum? Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum, quod ait B. Paulus Apostolus: Ipse enim salvus erit, sic tamen quasi per ignem; poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit, quod dixit ejus coapostolus Jacobus. Falsum erit et illud, quod idem ipse Paulus dixit: Nolite, inquit, errare. Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

Nulli catholici non salvabuntur per ignem Purgatorii.
1. Cor. 5, 16.

Sola fides viva salvat.
Galat. 5, 6.

1. Cor. 5, 16.

1. Cor. 6, 9.

4. ET in libro de fide et operibus, cap. 16., ut supra de Sacramento poenitentiae, quaestione 9., B. 5.

5. ITEM in libro de octo quaestionibus Dulciti, quaestione prima, ut ibidem.

II.

Quid vero de minutis peccatis est sentiendum?

Aug. in Enehirid. cap. 78. 70. et lib. 21. de civ. Dei cap. 27. Isidor. lib. 2. de summo bono, cap. 18.

1) Jacob. 3, 2. 1. Joan. 1, 10. Eccles. 7, 21. Prov. 24, 10. Psal. 31, 5.

2) Aug. de decem choridis cap. 11. et in psalm. 120. serm. 244. de temp. Item tract. 12. in Joann.

3) Ephes. 4, 30. Chrys. homil. 87. in Matth. et 8. in Cor. et serm. de lev. peccator. periculis Bern. serm. 1. de conver. Pauli. et in tract. de praecepto et dispensatione.

4) Eccl. 10, 1.

5) Ibidem. 3, 27.

6) Eccl. 9, 18.

7) Apoc. 21, 27. Psalm. 14, 1 - 3. 23. 34.

8) Vide sup. de satisfactione.

A. Id scilicet, quod ejusmodi leviora, uti mentis evagatio, verbum otiosum, risus immoderatus, et consimilia, quae quotidiana seu venialia peccata dicuntur, et sine quibus haec vita non ducitur: ¹ *In multis enim offendimus omnes*, ut antea quoque monuimus, etsi lethalia non sunt, et in speciem minuta videntur, tamen haud quaquam sunt ² contemnenda. Siquidem Deo displicent, seu ut Paulus loquitur, ³ contristant Spiritum sanctum, obfuscant conscientiam, caritatis fervorem imminuunt, virtutumque profectum remorantur, et ad graviora saepe vitia periculaque pertrahunt. Unde scriptum est: ⁴ *Qui spernit modica, paulatim decidet.* ⁵ *Qui amat periculum, peribit in illo.* ⁶ *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.*

B. Cavendae sunt igitur, quantum licet, haec labe et sordes animae, quoniam ut legimus, ⁷ *non intrabit in caelestem Hierusalem aliquid coinquinatum.* Ac nisi in hac vita illae diluantur, etiam ⁸ post mortem hominem gravant, nec sine poenis quidem acerbis purgatorii ignis

expiantur. Qui quidem ignis, etsi perpetuus non sit, tamen, si Augustino ⁹ credimus, gravior est, quam quidquid homo in hac vita potest perpeti.

⁹ In Psal. 37. et serm. 41. de sanctis Greg. in 3. Psal. poenitentialem.

SCRIPTURAE.

Jacob. capite III.: In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

I. Joann. capite I.: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

Eccles. VII.: Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet.

Proverb. XXIV.: Septies in die cadet justus, et resurget. Impii autem corrueant in malum.

Psal. XXXI.: Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Ephes. cap. IV.: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.

Eccles. XIX., et III., et Eccles. IX., ut in textu.

Apocal. XXI.: Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni.

Psal. XIV.: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Psal. XXIII.: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et

mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

P A T R E S.

1. A. AUGUSTINUS in Enchiridio ad Laurentium, capite 78.: Quae sint autem levia, et quae gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio. Videmus enim quaedam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa, quale illud est, quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum ad ipsum revertimini, ne vos tentet satanas, propter incontinentiam vestram, quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugii non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiae mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest, tentante satana, libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo (ut dixi) hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus, Apostolica auctoritas fateatur? Tale quiddam est, ubi dicit: Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? Et paulo post: Secularia igitur iudicia si habueritis, inquit, eos, qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad iudicandum: Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem et fratrem iudicare, sed frater, cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles? Nam et hic posset putari, iudicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus, adjungeret. Jam quidem omnino delictum est inter vos, quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vellet a se iudicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et iudicio tecum contendere, dimitte illi et pallium. Et alio loco: Qui abstulerit, inquit, tua, noli repetere.

Gravium et levium peccatorum discrimen subinde difficile.

1. Cor. 7. 5.

1. Cor. 6. 1.

Matth. 5. 40.
Luc. 6. 30.

Prohibuit itaque suos de saecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum. Tamen cum sinit in Ecclesia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est etiam hic, quod secundum veniam concedatur infirmis. Propter haec atque huiusmodi peccata et alia, licet his minora, quae fiunt verborum et cogitationum offensionibus, apostolo Jacobo confitente ac dicente: In multis enim offendimus omnes; *Jacob. 3, 2.* oportet, ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus: Dimitte nobis debita nostra, nec in eo, quod *Matth. 6, 12.* sequitur, mentiamur: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

2. ET cap. 79.: Sunt autem quaedam, quae levissima Ex scriptura, quorum peccatorum gravitatem cognoscimus. *Matth. 6, 23.* putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennae putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuo medicinam, praeceptum fraternae reconciliationis adjungens. Mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te etc. Aut quis aestimaret, quam magnum peccatum sit, dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant, qui certis diebus sive mensibus sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum, fausta vel infausta existiment tempora, nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensarem, qui talibus ait: Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis? *Gal. 4, 10.*
Ibidem, vers. 11.

3. IDEM Augustinus libro XXI. de civitate Dei, capite 27.: Sed quis iste sit modus, et quae sint ipsa peccata, quae ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, difficillimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat: Quoniam si scirentur, quae vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitae melioris assumptis intercessio sit inquirenda et speranda justorum, eis secunda se obvolveret humana segnitias, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodo quaereret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset. Nunc vero dum venialis iniquitatis etiam si perseve-

Difficultas in distinguendis peccatis gravibus a levioribus.

Aliorum meritis liberamur a quibusdam peccatis. *Luc. 16, 9.*

ret, ignoratur modus, profecto et studium in meliora proficiendi, orationi instando vigilantius adhibetur, et faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.

Sine crimine,
non tamen
sine peccato
vivitur.

1. Joan. 4, 8.

Levia peccata
cur vitanda
etiam sint.

Quibus operibus
purgantur
quotidiana
peccata.

Levia peccata
cur non
spemenda.
Vide Thomam
1. 2. q.
88. et 89.

2. ISIDORUS II. de summo bono, capite 18.: Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato non possunt. Nam quamvis in hoc saeculo magna justitiae quisque claritate resplendeat, nunquam tamen ad purum peccatorum sordibus caret, Joanne apostolo testante, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Quaedam sunt facta similia peccatis, sed si bono animo fiant, non sunt peccata, utpote potestas, si non se ulciscendi cupiditate, sed magis corrigendi studio, ulciscatur in reum, qui delinquit. Item sunt peccata levia, quae ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, quae tamen a perfectis viris vel magna crimina evitantur. Quid autem homines peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando etiam perfecti levia quoque delicta quasi gravissima lugent? Non solum gravia, sed et levia sunt cavenda peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt, sicut solent ex parvissimis guttis immensa flumina crescere. Numerositas enim in unum coacta, exundantem efficit copiam. Peccata, quae incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. Tanto enim majus cognoscitur esse peccatum, quanto major, qui peccat, habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, et saepe, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.

5. AUGUSTINUS de decem chordis, capite 11.: Si quae delectationes saeculi subrepunt in anima, exercete vos in misericordia, exercete vos in eleemosynis, in jejniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quae non possunt nisi surrepere in animam, propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt. Attendite fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat, sed bestiae plerumque minutae multae necant. Si projiciatur quisque in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi? Non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quae etiam minutissimis bestiis interim potest. Sic et modica peccata attendite, quia modica sunt, et cavete, quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenae? si arenae amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat. Quam minutae sunt guttae pluviae? nonne flumina implent, et domos dejiciunt? Ergo

ista nolite contemnere. Sed dicturi estis: Et quis potest sine istis? Ne hoc dices, quae habere nemo potest: Deus misericors videns nostram fragilitatem, posuit contra remedia. Quae sunt remedia? Eleemosynarum, jejuniorum et orationum, ipsa sunt tria. ^{Tria potissimum remedia contra levia peccata.} Ut autem verum dicas in oratione, perfectae implendae sunt eleemosynae. Quae sunt perfectae eleemosynae? Ut ex quo tibi abundet, des ei, qui non habet, et cum te laedit aliquis, ignoscas illi. Et paulo post: Illa dico quotidiana peccata, quae aut per linguam facile committuntur, ut est verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. ^{Quotidiana peccata quae sunt.} In ipsis concessis peccata sunt. Cum ipsa uxore si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitum, etiam peccatum est. Ad hoc enim ducitur uxor; nam id etiam tabulae indicant, ubi scribitur liberorum procreandorum causa: quando tu uti uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam peccatum est, et ipsa talia peccata quotidianae eleemosynae mundant. In ipsis alimentis, quae utique concessa sunt, si forte excedis modum, et amplius accipis, quam necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista, quae dico, sed tamen peccata sunt, et non levia, quia plura. Quia vero quotidiana et plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Talia peccata dicimus, fratres quotidianis eleemosynis posse mundari. Sed facite eleemosynas, et nolite cessare. Attendite vitam vestram quotidianam ipsis peccatis scaturientem, minutis ipsis dico.

6. IDEM in psalmum CXXIX.: Si contemnebas minus peccatum, vel poenae magnitudine detertere, sed dicis: Minora sunt, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, et faciunt ingentem acervum. Nam et grana minuta sunt, et tamen massam faciunt, et guttae minutae sunt, et flumina implent, et moles trahunt. ^{Minuta peccata vitanda.}

7. ET sermone 244. de tempore: Sed dicis: peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est, sed tamen si frequentius exercetur, et jejniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despiciere peccata tua, quia parva sunt. Nam et pluviarum guttae sunt, sed flumina implent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. Tu, qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire, quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, et tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste

^{Venialia peccata jejniis vel eleemosynis redimenda sunt, et non parvi pondenda.}

tua scissuras, vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis?

Minuta peccata quomodo occidunt etiam animam. Vide S. Thomam in 1. 2. q. 88. artic. 4. Remedia adversus minuta peccata. Principiis peccatorum obstandum.

8. ITEM tractatu 12. in Joannem. Quomodo minuta plura peccata, si negligentur, occidunt? Minutae sunt guttae, quae flumina implent, minuta sunt grana aresae, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens, paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando et non exhauriendo, mergit navem. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, ut non obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo?

Peccata parva non parvi pendenda, et quam ob causam.

9. CHRYSOSTOMUS homilia 87. in Matthaeum: Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad majora prima non progredierentur peccata, non esset tamen negligendum; nunc vero per istam incuriam gradatim semper ascendunt, qua propter omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda. Non enim vim delicti solam consideres, nec quia parvum sit cogites, sed illud praecipue tene, quia, si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescet. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva et vilia; illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit; haec autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt: et dum contemnuntur, non potest ad expansionem eorum animus generose insurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt, negligentia nostra. Nemo enim repente ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quendam animam pudorem atque innatum, quem subito calcare atque projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit. Consideremus autem, si nimium quidam ac importune risit, reprehensus a quopiam est, respondet alius, nihil esse id mali. Quid enim est risus, aut quid unquam ex risu mali sequetur? Ortu tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, a scurrilitate turpiloquium, a turpiloquio operatio turpis profecta est.

Risus importunus, quae peccata pariat.

Non negligenda minima peccata.

10. IDEM in priorem epistolam ad Corinthios, homilia 8: Etenim corpus, si parum ab ense dividatur, corrumpitur, et aedificium, si parum fatiscat, dissolvitur: etsi vel minimum palmas a radice abscindatur, inutilis redditur. Itaque id parum non est, sed fere totum existimandum. Cum igitur parum peccaverimus, vel desidia torpuerimus, nolimus ut exiguum despiciere. Siquidem id

neglectum quam primum in immensum evadet, sic et vestis, quae scindi coeperit, neglecta tota discinditur, et tectum paucarum tegularum casu contempto, totam domum diruit. Haec nos reputantes, nunquam parvum contemnamus, ne procidamus in majora.

11. ET in sermone de levium peccatorum periculis: Neque enim leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit, cum scriptum sit: Qul modica spernit, paulatim decedit. Ecol. 49, 4.

12. BERNARDUS sermone 1. de conversione S. Pauli: Ideo Paulus consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. 1. Tim. 1, 10. Discite ex hoc, fratres, justum judicem Deum, non modo, quid fiat, sed et quo animo fiat, considerare, et cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Haec est enim, dilectissimi, impenitentia: Haec blasphemia in spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. Contemnere peccata venialia, est peccatum in spiritum sanctum.

13. ITEM in tractatu de praecepto et dispensatione: Esto; sit crimen, cui poenalis illa gehenna vel gehennalis poena assignatur, quale, quaeso, illud definiemus esse crimen, quod veritate iudice reum tantum facit iudicio? Nec tamen diffitebimur esse reatum, quod vel hactenus reum statuit. Matth. 5, 22. Quod si reatum, et peccatum. Porro omne peccatum, contra Dei mandatum praesumitur. Quod autem contra mandatum praesumitur, inobedientia dicitur. Hinc colligitur, quod irasci fratri, et inobedientia sit, et crimen non sit. En unum inventum est monacho leve ac veniale peccatum, quodque non humani, sed divini mandati statuat transgressorem. In hoc genere sunt transgressionis nonnulla stultiloquia seu vaniloquia, et quaeque otiose dicta, facta, et cogitata. Hujusmodi enim nunquam nisi venialia peccata transgunt per contemptum et consuetudinem in criminalia. quippe sunt, et Deus prohibet omne peccatum, et tamen venialia non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in usum et consuetudinem, et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, aut impenitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis, naevum satis levem simplicis transgressionis.

1. B. AUGUSTINUS in Psalmum XXXVII, ut supra in Sacramento poenitentiae, quaest. 9. B. 3.

2. ITEM sermone XLI. de sanctis, ibid. C. 3.
 3. GREGORIUS in III. Psalmum Poenitentialem. ibid.
 F. 8.

III.

Quibus autem remediis peccata leviora purgantur?

Ut ejusmodi animae sordes in hac vita diluantur, Ecclesia vetus remedia isthaec ¹⁾ agnovit et in usu habuit, humilem sui accusationem, dominicam precationem, pectoris tusionem, et alias id genus pias in Deum ac etiam erga proximum exercitationes, corporisque afflictiones sponte ac religiose susceptas. Quae quidem remedia tanto lubentius ac studiosius amplectuntur sapientes, quanto rectius norunt et diligentius expendunt divinae justitiae in vindicandis ²⁾ peccatis severitatem. Quod vel ex illa metuenda Christi sententia planum fieri potest: ³⁾ *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Itemque ex illo dicto Petri: ⁴⁾ *Justus vix salvabitur.* Ut hinc Job vit ⁵⁾ *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Et Apostolus Paulus: ⁶⁾ *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* ⁷⁾ *Quod si nos ipsos dijudicaremus, ut idem admonet, non utique judicaremur!* Beatus ⁸⁾ igitur homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est durae, corruet in malum.

1) Aug. epist. 108. In enchir. cap. 71.
 72. In Joann. traoc. 2. ser. 41. de sanctis. lib. 21. de civit. ca. 27. et homil. 50. ex 50. cap. 8. concil. Tolet. 4. can. 9.

2) Job 24. 12. Prosper in sententiis. Aug. cap. 210. et Aug. in Psal. 58.
 3) Matth. 12. 36.

4) 1. Pet. 4. 18.

5) Job 9. 28.

6) Heb. 10. 31.

7) 1. Cor. 11. 31.

8) Fro. 28. 14.

SCRIPTURAE.

Job XXIV.: De civitatibus fecerunt viros gemere, et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur.

Matthaei XII., I. Petri IV., Job IX., Hebraeorum X. I., ad Corinth. XI., et Proverbiorum XXVIII., ut in textu.

PATRES.

1. AUGUSTINUS epistola 108. ad Seleucianam: Est etiam poenitentia bonorum et humilium fidelium poena quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis demitti volumus, quae dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa utique, quae humanae fragilitati, quam vis parva, tamen crebra subrepunt. Quae si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta, impleat navem atque submergat? Propter haec, jejunia et eleemosynae et orationes invigilant, in quibus cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus, manifestamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in iis verbis, humiliantes animas nostras, quotidianam quodammodo agere poenitentiam non cessamus.

2. ITEM in Enchiridio ad Laurentium, cap. 71.: De quotidianis autem, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere: Pater noster, qui es in caelis, qui jam patri tali regenerati sunt ex aqua et spiritu sancto. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata, discedit; si quemadmodum veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt, quae dimittantur: ita veraciter dicitur: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, id est, si fiat, quod dicitur, quia et ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

3. ET cap. 72.: Multa sunt genera eleemosynarum, quae cum facimus, adjuvamus, ut dimittantur nobis nostra peccata.

Pectoris tunditio, et oratio Dominica pro impetranda remissione venialium. Matth. 6, 12.

Remedia quibus purgantur quotidiana peccata. Matth. 6, 12.

Oratio Dominica satisfacit de levibus peccatis. Matth. 6, 9.

Oratio Dominica delet peccata.

Eleemosynas dimittuntur peccata.

4. IDEM in tractatu 12. in Joannem, ut supra quaestione praecedenti, A. 8.

5. SERMONE 41. de Sanctis, ut supra de sacramento poenitentiae, quaestione nona, C. 3.

6. IDEM Augustinus libro 21. de Civitate Dei, cap. 27., ut supra quaestione praecedenti, A. 3.

7. ITEM libro 50. homiliarum, homilia 50., cap. 8., et libro de poenitentiae medicina, cap. 2.: Piget cuncta colligere, quae quisque in se ipso certus comprehendit atque repraehendit, si divinarum scripturarum speculum non negligenter attendat. Quae quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium et adulterium, vel caetera hujusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quo plura sunt, necant, et nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi forma prae filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianae poenitentiae dissecentur. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus, unde etiam orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim ea dimitti precamur, quae jam in baptismo dimissa sunt, et nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus, sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.

Lethali vulnere singula non feriant. Psalm. 43. 5.

Peccata venialia contaminant etiam. Vide S. Thomam. in 1. 2. q. 89. art. 1.

Quibus modis expiantur. Vide etiam D. Thom. n. 5. i. p. q. 87. Matt. 6. 12.

8. CONCILIUM Toletanum 4., Canone 9.: Sanctus Augustinus dicit: De quotidianis autem, etc. ut sup. ex enchiridio ejus.

9. PROSPER in septentiis Augustini, sententia vel cap. 210.: Peccata sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine poenitente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio praecurrat humana. Amat enim Deus confidentibus parcere, et eos, qui semetipsos judicant, non judicare.

Peccata sive minuta, sive magna, impunita esse non possunt. 1. Cor. 11. 28.

10. AUGUSTINUS. in psalmum 58., ut supra de peccatis in Spiritum sanctum quaestione 7. A. 2.

IV.

Anne satis est a peccatis abstinere?

A. Justitia quidem Christiana, de qua hucusque diximus, duas partes proponit, et velut aequae necessarias nobis commendat hisce verbis: ¹⁾ *Declina a malo, et fac bonum*, sicut et Paulus docet: ²⁾ *Odientes malum, et adhaerentes bono*. Non sufficit igitur, quod ³⁾ Augustinus perspicue dixit, abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est, et parum est nemini nocere, nisi ⁴⁾ studeas multis prodesse.

B. Quapropter absoluta utcunque Justitiae priore parte, quae mala prohibet, consequens est, ut favente Christo, de altera porro, quae in bonis consecrandis est posita, dicere pergamus.

Ber. ser. 54. ex parvis sermonibus. Chrysost. in Psalm. 4. et homi. 16. in Epist. ad Ephes. August. serm. 19. de temp. 1) Psal. 36, 27. et 33, 16. et ibid. August.

2) Rom. 12, 9. 4. Pet. 3, 10. 11. Tob. 4, 22. Esai. 1, 16. 17. Eccli. 3, 32. Colos. 3, 8 — 10. Epho. 4, 22 — 32.

3) Jac. b. 4, 17. Mat. 5, 10. 7, 19.

4) In sententiis Prosp. c. 86. Aug. lib. 19. de civit. Dei cap. 14.

SCRIPTURAE.

Psalm. 36. et 33. item ad Romanos 12. 1., Petr. 3., Tobiae 4., Esai. 1., Ecclesiastici 3., ad Colossenses 3., et ad Ephesios 4., ut supra quaestione 1. de peccatis.

Jacobi 4.: Scienti igitur bonum facere et non facienti, peccatum est illi.

Matthae III.: Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Et Math. VII.: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

PATRES.

1. A. BERNARDUS sermone 34. ex parvis sermonibus: Integra et perfecta moralitas in duobus praecipue consistit, in evitandis vitiis, et appetendis virtutibus, quo-

Perfecta moralitas in duobus est posita.

niam non sufficit a malo abstinere, si non et bonum faciamus. Inde Psalmista: Declina a malo, et fac bonum. Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes.

2. CHRYSOSTOMUS in psalmum IV., et homilia 16. in epistolam ad Ephesios: Augustinus item sermone 59. de tempore, ut supra de peccatis quaest. prima, A. 1. et 3.

Psal. 86. 27.

Non sufficit
a malo ab-
stinere.

3. AUGUSTINUS in psalmum XXXVI. Super illum versum: Declina a malo, et fac bonum: Noli tibi putare sufficere, si non expoliasti vestitum: non expoliando enim vestitum, declinasti a malo, sed noli arescere et sterilis esse, sic noli spoliare vestitum, ut vestias nudum. Hoc est enim declinare a malo, et facere bonum. Et quid inde habebis, dicturus es? Jam tibi commendavit ille quem foeneras, quid tibi dabit? Vitam aeternam dabit tibi, da illi securus. Audi et id quod sequitur: Declina a malo, et fac bonum: Et inhabita in seculum seculorum.

Parum est a
malo absti-
nere.

4. ET in psalmum XXXIII. super versum: Declina a malo: Parum est, nulli noceas, nullum occidas, non fure-
ris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testi-
monium dicas, declina a malo. Cum declinaveris, dicis, securus sum, perfecti omnia, habebis vitam, videbo dies bonos. Non solum declina a malo, sed et fac bonum. Parum est ut non expolies vestitum, vesti nudum: Si non expoliaveris, declinasti a malo, sed non facies bonum, nisi cum peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina a malo, ut facias bonum.

5. PROSPER sententia 86. ex sententiis decerptis ex Augustino: Non sufficit etc. ut in textu.

Nulli noc-
as, et pro-
sis, cui po-
tes.

6. AUGUSTINUS libro XIX. de civitate Dei, cap. 14.: Ordinatae concordiae hic ordo est: primum, ut nulli noceat; deinde, ut etiam prosit, cui poterit.



I N D E X

Succinctus Rerum ac Verborum, in Praecedentem III.
Partem seu Tomum Auctoritatum Sacrarum, quas D.
Petrus Canisius e sacris literis Patribusque, suo in
Catechismo vel passim allegat, vel obiter alle-
gandas innuit.

A.

<p>A Dei excidere gratia, quantae sit miseriae 25.</p> <p>A malo quantopere declinandum aut divertendum 4.</p> <p>A nimio vino cur abstinendum 102.</p> <p>Aaronisa populo ad tabernaculum fuga, quid exitus habuerit 24.</p> <p>Abire, quorum vel sit, vel ad quos pertineat 155.</p> <p>Abironis et Dathanis superbia quali supplicio plexa 180.</p> <p>Ablui per poenitentiam peccata, dum vivimus, posse 301. 302.</p> <p>Abominatio Domino via quae 17.</p> <p>Abreptitiis quomodo aut cur iracundi similes 134.</p> <p>Abscensio quae quam ostentatione melior 53.</p> <p>Absque peccato hominem non esse 10. 12.</p> <p>Absque crimine vivi posse, absque peccato non posse 382.</p> <p>Abstinentia quae quo maxime conducatur aut valeat 112. 113.</p> <p>Abstinere a malo aut peccatis, ad salutem satis non esse 3. 4. 389.</p> <p>Abusum vini, non ipsum vinum, damnandum 101.</p>	<p>Accusatorem qualem quae sibi circumferat conscientia 26.</p> <p>Achab quantopere ab uxore sua depravatus 166.</p> <p>Acedia quid, quaeve habeat proles 142. 143.</p> <p>Acediae species aut filiae quae 51.</p> <p>Acediae obnoxii qui 143.</p> <p>Abimelech sacerdos unde quam impie occisus 172.</p> <p>Achior Ammonita quomodo Judaeos apud Holophernem commendaverit 21. 22.</p> <p>Achioris alienigenae de Israëlitis apud Holophernem oratio 21. 22.</p> <p>Achitophelis consilia qualia 163.</p> <p>Acies mentis quibus potissimum vitiis obtundatur 112.</p> <p>Activa seu actualia peccata baptismi perinde ac originalia tolli 12.</p> <p>Archytæ Tarentini apophthegma de ira 139.</p> <p>Adam, Eva et serpens, quibus tribus peccandi gradibus apte conferantur 50.</p> <p>Adæ et Evaë et serpentis inter se qualis conventio et collusio 32.</p>
---	--

Adversus haereticos, seculi potestatem concitari	239.	Ambrosiana peccati definitio	8.
Adulando qui peccatis alienis inquinemur	187.	Ambulandum qui sit	37.
Adulatione ali delicta	199.	Amentia sobrios irradientium quantata	108.
Adulator quis, qualis aut quantus sit hostis	200.	Amicorum delectus quis quibus habendus	161.
Aegyptii cur qualibus ubi legantur affecti poenis	23. 24.	Amissio quam quo supplicio gravior	25.
Aenea cur quibus minus sit terra	19.	Ancyрани concilii de homicidis sententia quae	356.
Aequales qui quandove sint omnes homines	115.	Angelus cuique proprius custos, qui unde profigitur	27.
Aerugini cur aut qui similis invidia	88.	Angelis peccantibus quas Deus intulerit poenas	18.
Agendum circa id quod non intelligimus, quid sit	307.	Anima alioqui immortalis, qui moriatur	16.
Agnitam justitiae viam dereliquisse, quanto gravius quam non agnosce	15.	Animae virtutes quibus destruantur potissimum vitii	113.
Agricolae otiosi descriptio, et merces ejus quae	4.	Animae mors, mystice quid	297.
Alienum qui participando contrahatur peccatum	244. 245.	Animam qui suam quis occidat	15. 16.
Alieni peccati defensor, quo se reatu implicet	262.	Anna Samuelis mater, unde cur aut qui afflicta	183. 184.
Alienum avaros panem edere	66.	Apopula quid	9.
Aliena bona, nostra qui sint aut fiant	88.	Antiochus quibus calamitatibus Judaeos affixerit	175. 176.
Aliena peccata quae et quot	156. 160.	Antiochi dux ubi a quibus sacerdotibus interceptus	170.
Alienis peccatis qui aut quomodo communicetur	158.	Apothecae in futurum certissimae quae	58.
Alienis meritis qui a nostris liberemur peccatis	381.	Appetitum gulae quadruplicem esse	113.
Altare hoedis pinguibus onerare, mystice quid	372.	Applausus quis qualis, aut unde qui excipiendus	40.
Amanis consilium quod quo sibi cesserit	168.	Arbitrii liberi et Dei gratiae conventio et cooperatio	5.
Amanis in Judaeos scelus	173.	Arbitrii liberi ex scripturis assertio et ostensio	5. 6.
Amasiae regis idololatria qualis aut quanta	167.	Armatura quae cur seu ad quid nobis utenda	38. 39.
Ambitio cur ventis tempestuosius conferatur	43.	Arenae et minorum peccatorum comparatio efficax	382. 383.
Ambrosii de libidine et ebrietate sententia	73. 74.	Arguendi quae quibus imposita sit necessitas	210.
de febre et libidine	76.	Armis qualibus aut quibus, quo aut qua in re sit opus	154.
de iracundia seu ira	138.	Arrius qualis ubi sciaticilla fuerit	241.
de justa et injusta misericordia	231.	Ascendere (seu ascendere) ex adverso, quid sit	208.
de clamante sanguinis voce	338.	Asinos ebrioso homini longe praestare	102.
Ambrosii in divites avaros invecio	65.	Avaritia quid, quasve habeat filias	54.
in libidinem carnalem	76.		
in ebrietatem	114.		

Avaritia quae ab Apostolo damnata qualis sit servitus	54. 56.	Augustini de peccatoribus defen- rendis	209.
Avaritiae species aut filiae quae	51. 54.	de clericorum omnium peri- culo	209. 210.
Avaritiae nomen quale	65.	de mala aut inutili misericordia	253.
Avaritiam esse peccato peiorem	64.	de schismaticis cogendis	234.
Avarus quis sit	65.	de trahendis ad salutem haere- ticis	238.
Avari seu avaritiae pernicies quae	54.	de regenda sua cuique familia	241.
Avari quomodo a Basilio incre- pati	59.	de misericordia Dei et spe mi- sericordiae	278.
Avari etiam ditissimi, quomodo aut cur sint vel summe pau- peres	60.	de solam fidem jactantibus	280.
Avarorum vox peculiaris quae	59.	de mansuetudine simul et ju- stitia Dei	285.
Avarorum in pauperes technae seu strophae quae quales	61.	de timoris necessitate	288.
Avarorum liberis carentium in- crepatio	61. 62.	de non desperando	296. 300.
Avaros semper egere	64.	de oppugnatione fraternitatis	309. 310.
Avaros, quanto plus habent, eo plus appetere	66.	de spernente remissionem pec- catorum	315.
Auditoribus etiam invitatis aut ne- gligentibus praedicandum	214.	de Pharaonis obduratione	318.
Auditu jucunda non semper au- diri seu dici expedire	216.	de impenitentiae peccato	325.
Augustinus viperam et aerugini qui conferat invidiam	88.	de peccatis in consuetudinem ductis	331.
Augustinus quam suam sententiam qui emendarit	235.	de evaginato Petri gladio	338.
Augustini de justitia sententiae	3.	de Sodomorum eversione	344. 345.
de fidei dotibus	5.	de vitiis innaturalibus	346.
de bono faciendo, maloque ca- vendo	4.	de ignorantia legis divinae	356.
de avaritiae vocabulo	65.	de vi catholicae fidei	371.
de fornicatione simplici	74.	de mundatione peccatorum	373.
de invidia	87.	de peccatis eleemosyna redi- mendis	375.
de mutua superbiae et invidiae societate	94.	de peccatis expiandis	376.
de ebrietate seu ebriosis	105. 106.	de levium et gravissimorum peccatorum discrimine	380.
de irascendo et non peccando	140.	de quotidianorum peccatorum purgatione	382.
de ira non ita gravi publice existimata	142.	de ordinatae concordiae or- dine	390.
de peccatis alienis vitandis	159.	Augustiniana de libero arbitrio et gratia Dei, sententia	5.
de laudatoribus malitiae	199.	Augustiniana peccati definitio	7. 8. 9.
		Auctoritate seu potestate sua non utentium increpatio	234.

B.

Baptismi munus cur aut quo no- bis donatum	12.	Basillii Magni contra avaros seu avaritiam dissertatio	55. 59.
Baptista qui ab Herode caesus	177.	ejusdem de invidia disputatio	80.
Baptistae caput unde qua techna quae petitura	171. 172.	in invidiam investio	82.
		in luxum et ebrietatem	104. 105.

Basilii in iram seu iracundiam	123-128.	Bestiae quae in re hominibus rationabiliores	102.
de operibus sequentibus et praecedentibus	157.	Bestias frugalitate hominum superare	94. 95.
de vitii virtutum nomine pal-liatis	199.	Bibacium qui non inebriantur, increpatio	114.
Beatitudo hominis et salus perfecta in quo consistat	16.	Bibendum qui aut quantum	41. 110.
Bedae de peccati et iniquitatis conversione aut conventionis sententia	8. 9.	Bibendi abusus qui sensim tollerendus	107.
Belvina potandi consuetudo quae	114.	Bibere vinum, quale quid, et qui distinguendum	101.
Benedictio quae qui paranda	40.	Bibere vinum in dulcedine, quid sit aut prae se ferat	113. 114.
Benevolentiae seu bene faventium aliis lucrum quod quantum	84.	Bibonum inebriari haud potentium increpatio	114.
Bernardus quot aut quos statuatur superbiae gradus	45.	Blasphemia aut blasphematores spiritus sancti, quae aut qui	304.
Bernardi de vitando malo, bonoque faciendo sententia	4.	Blasphemia quae qua gravior	326.
de pondere aut gravitate peccati apophthegma	25.	Blasphemia remissibilis aut irremissibilis quae	328.
de quadruplici specie superbiae	53.	Blasphemiam alicujus pueri exemplum terribile	242.
de ira seu irascentia	137.	Boni facienti quanta necessitas et utilitas	3. 4.
de voluntate et intellectu hominum	150.	Boni omnis auctor quis	48.
de impiorum consiliis	154.	Bonum non facere, esse, malum facere	4.
de conversionis dilatione	279.	Bona qui multa, Tobiae consilio, habenda	2.
de mystico ac triplici osculo	291.	Bona omnia corrumpi superbia	50.
de proprietate illa Dei, quae est misereri	300.	Brachium seculare cur olim ab ecclesia non invocaretur	234. 256.
de cordis duritie	317.	Bruta quae cur quibus praeferrantur hominibus	107.
de correctionis contemptu	319.	Brutis peiores esse ebriosos	104.
de ignorantiae peccato	357.	Burchardus episcopus quid de poenitentia potioribus seu ebriis injungenda scriptum reliquerit	117.
de minutis peccatis	385.		
eiusdem in detractionem aut detractorem invectio	89. 90.		
de perfecta moralitate sententia	389. 390.		

C.

Caecitas quae quanta	76.	Cainis in Abelem scelus, ex invidia ortum fuisse	78.
Caedes quanta cur ubi per Moysen laudabiliter facta	126.	Cainis maledictionem qui potissimum incurrant	105.
Caelebs quid sonet aut sit	202.	Cainem sibi plus quam Abeli nocuisse	92.
Cain quae fratricidii poenas dederit	23.	Caiphas consilium quod, quale	160.
Cain unde in fratrem insurrexerit	81.		

Calceari qui debeant pedes	39.	Christum meruisse nobis justificationem	370.
Calumnia qui ferenda	126.	Chrysostomi de abstinendo a malo, sententia	3.
Canis qui aut qua in re homine praestantior	102.	de gehenna et amissione gloriae aeternae	25.
Canibus impudentiores qui	346.	de ventis saevitis et ambitione	43.
Cantici Canticorum libellus cur quibus iam olim legi prohibitus	72.	de invidiae execratione	91.
Capitalia peccata quot, quae, aut unde sic dicta	39. 40.	de vino modice utendo	110.
Capitalia peccata omnia ex superbia oriri	51.	de servanda in concionando discretione	216.
Capitalium vitiorum differentia seu divisio quae qualis	51.	de meritorie educandis liberis	242.
Cardui et cedri lepida inter se collatio	167.	de potestatem habentibus, et ubi opus est, non utentibus	233.
Carere solam invidia miseriam	86.	de misericordia Dei contra desperationem	299.
Caro quid sit	76	de Sodomorum peccato	345.
Carnis opera quae	11.	de ignorantia	358.
Carnis et vermis seu putredinis collatio	76.	de peccatorum expiandorum modis	373.
Carnem edere, quale quid sit	101.	de repellendis malorum initiis	384.
Carnes quae qui aut cur secandae	241.	Chrysostomi in libidinem carnalem invecio	74.
Carnifex sui ipsius quis	86.	in ebrietatem	101.
Catena peccatorum quae qualis (28.)	34. 35.	in luxum et crapulam	109. 110.
Cathedra pestilentiae quid, ejusque pedes quot aut qui	155.	in iracundiam aut iracundos	128.
Cathedrae pars eminens, quid	155	Cibus qui sumendus	103.
Catholica de malo aut peccato fides aut sententia quae	8.	Ciborum non tam qualitas, quam cupiditas cavenda	113.
Catholicam fidem solam, fidem esse	371.	Clamantia in coelum peccata quae	329.
Catholici eos ab haereticis irrisorie Romanos dici	256.	Clamare de terra, quid	338.
Cenodoxia quid cur dicatur	44.	Clamor in scripturis, quid	331. 332.
Christianae justitiae partes duae praecipuae quae	1.	Claves quae quibus quale sit confugium	287.
Christianum esse, aut eo de nomine praesumere, satis non esse	286.	Cleri Romani (tempore Cypriani) de in peccata aliena consensu sententia	182.
Christiani qui cur et quomodo graviores quam ethnici, poenas daturi	15.	Clerici qui quanto sint periculo obnoxii	209. 210.
Christus quale exemplum quibus reliquerit	20.	Coactionem ecclesiae activam, salutarem et piam esse	238.
Christus a quibus qui iterum crucifigatur	15.	Cogere ad bibendum, quale quid sit	106.
Christus cur et qui nos a peccatis nostris laverit	15.	Cogitanda nobis ex Pauli consilio aut jussu, quae	38.
Christo peccata nostra quid aut quae intulerint	14. 15.	Cogitationes quae quibus ad quid conducant	45.
		Cohibitio quae quibus necessaria	138.
		Coluetatio quae nobis cum quibus habenda	38.

Colubri instar fugiendum quid sit	16.	Convertit nos Deus, utque convertamur monet	5. 6.
Combibonum quale certamen	115.	Cor sapiens cur unde se abstinereat	3.
Comedere domos viduarum	42.	Corban quid aut quale	178.
Communicare, quid sit	160.	Core cum suis complicibus cur quam horrenda sit poena affectus	24.
Compotorum, inter se graphica per Ambrosium depictio	115.	Corpora nostra qualis debeant esse hostia	56.
Compunctio unde in nobis fiat	4.	Correctio aut correptio quae cur fiat	215.
Concionatores qui aut cur suspecti, aut fugiendi	187.	Correptor quis quam gratiam mereatur	183.
Concordiam ira rumpi	134.	Corrigendi aut corripiendi dissimulatio quae quam sit periculosa	211.
Concupiscere et videre ut concupiscas, qui differant	29.	Corripiendi publice qui	213.
Confidentiam de misericordia Dei aliquam esse inordinatam	276.	Crapula et ebrietas qui quibus cavenda	100.
Confitenda et Deo et sacerdoti peccata	289. 290.	Crapulae aut gulae in homines dominium seu tyrannis quae,	95.
Confortari quomodo aut in quo nos oporteat	38.	Crapulam quid generet	113.
Confugiendum quibus quo sit	287.	Cras seu crastinum polliceri aut sperare diem, quale	58. 59.
Conniventia quae quomodo alienis peccatis implicetur	219.	Creatos nos esse ad salutem, non poenam	301.
Conscientia quae qualem in se habeat accusatorem	26.	Creaturae abusum, non creaturam, damnandum	101.
Conscii qui quantis sint sibimet suspicionibus obnoxii	26.	Crimen omne, peccatum, non vero peccatum omne, crimen esse	12.
Consensum viro conferri	30.	Cruciatu animae quis quo alio cruciatu gravior aut levior	25.
Consensu quem alieni peccati reum fieri	178. 179 etc.	Cruciatu inferni differre, non aequales esse	13.
Consilium impiorum quid aut quod	154.	Culparum gradus qui quales	10.
Consilium quibuscum aut habendum, aut non habendum	162.	Cupiditas quae qui restringatur	43.
Consilio qui peccatum alienum committatur	162.	Cupiditatis imperium quale	65.
Consilia quae per sacram scripturam expedita	163. 164.	Cupiditas quae qualis	64.
Consilarii qui quales	162.	Cura qui quam laborent praeposteram	243.
Consuetudo quae quam sit mala	35.	Curnam hic illeve sit pauper aut dives	59.
Consuetudo potandi quae cur et quomodo tollenda	107.	Cypriani de cavendo aut fugiendo malo sententia	79.
Consuetudo quae quando non maculet	160.	de expiandi peccati modis	174. 375.
Constantiae martyrum, et apostatarum pertinaciae, collatio et discrimen	240.	Cyrelli Alexandrini de variis remittendi peccati modis sententia	371. 372.
Contumelia quae qui perferenda	125.		
Conversio an ulla sera	298.		
Conversionem veram nil morae pati	302.		

D.

Daemon saevissimus mystice quis	132.	Desiderii carnalis vincendi mo- dus optimus quis	76.
Daemonem voluntarium esse pec- catum	27.	Desperando qui decipiamur	285.
Daemonem hominibus non tam nocere, quam peccatum	27.	Desperandum de nemine dum vi- vit	326.
Daemone miserabilior quis	129.	Desperandum nec ulli, nec de ullo	300.
Daemones quibus vitiis aut vi- tiosis maxime familiares	72.	Desperandum nulli, quamvis mag- no, peccatori	297.
Daemones quando et ubi seu apud quos agant choreas	101.	Desperandum nec animam ef- flanti	299.
Daemonibus ubi potissimum sit chorearum locus	101.	Desperantium exempla quae qua- lia	293. 294.
Daemoniacis assimilari iracundos	129 150.	Desperare mystice quid sit	297. 298.
Damni poenam graviolem esse sensus poena	25.	Desperationis remedium quod	291.
Daniel quorum consiliis quo re- ductus	168.	Desperationis auctor quis	299.
Daniel quas unde calumnias per- pessus	174.	Desperationi quomodo potissi- mum aut medeatur, aut obvie- tur	299.
Dare viro edendum cibum veti- tum, mystice quid	31.	Desperatione qui peccetur in spi- ritum sanctum	292.
Dathan et Adiron cur et quomo- do a terra devorati	24.	Detrahitur qui a divo Bernardo exsibilata	89. 90.
David qui Uriam prodiderit	69.	Detractionis species quae quales	89.
Debitor quibus qui fiat Deus	67.	Deum et nos convertere, et ut convertamur, monere	5.
Declinare a malo, et facere bo- num, quo spectet, aut cuius potissimum intersit	1.	Deum, ut faciamus, facere	6.
Declinare a malo, ad quid et quantopere sit necessum	1.	Deum qui nobis debitorem red- damus	67.
Defensio quae quanta sit iniqui- tas	316. 322.	Deum nil nisi fidem requirere, haeticam vocem esse	283.
Defensione qui sua quis alieno se peccato obnoxium reddat	262.	Deum homines nunquam dese- rere priorem	319.
Delectationi illicitae consentire, magnum esse peccatum	30.	Deum, cum non irascitur, irasci maxime	322.
Delectationem, mulieri comparari	30.	Diabolus quibus potissimum prae- sit vitiis	94.
Delendus de libro Domini, quis	22.	Diaboli, seu ex diabolo, quis sit	2.
Deliciae et ebrietas quorum vi- tiorum fons et origo	101.	Diaboli proprium aut pecul are vitium quod	82.
Delicta qui expianda	375.	Diaboli in haeticorum corda potestas quanta	240.
Denarii numeri laus	8.	Diabolo qua superbiae specie ho- mo fiat similis	48.
Deo aut ejus misericordiae tem- pus praescribere, quale pec- catum sit	180.	Diabolum esse peccati auctorem, nec tamen peccantes omnes, esse diaboli filios	12.
Deponenda Pauli concilio quae quibus	2.		

Diabolum esse ebriosorum legis auctorem	105.	Dissimulatione qua quomodo peccetur	220.
Differentiae peccati quot, et quae quales	31.	Dives beatus quis	57.
Dilatio bene merendi in mortis aut ultimum vitae tempus, quam sit periculosa	62.	Divitis erga Lazarum immiseri-cordia, qui tandem punita	22 23.
Dilecti aut diligibiles Deo qui	17.	Divitum bona qui pauperum sint, aut non sint	59.
Diligenti vitam, quid necessarium	2.	Divitum nullos habentium libe-ros increpatio	62.
Discendum, Esaiiae jussu aut consilio, quid	1.	Divitibus cur opes datae	61.
Discessus quis quibus a Deo mi-natus	21.	Divitiae quibus qua nihil pro-desse queant	67.
Disciplinam et correctionem cari-tati mistam oportere	217. 218.	Doctores qui cur vitandi	187.
Discretio quae ubi aut cui quan-topere necessaria	216.	Dogmata quae cur et hodie ma-xime plausibilia	201.
Discretionem qua quibus ubi sit opus	211.	Dominari vitiis omnibus cupien-ti, quid ante omnia agen-dum	113.
		Durities quae qualis	318.

E.

Ebrietas et crapula quantopere vitandae	100.	Ebriosorum lex qualis aut unde	105.
unde generentur	113.	Ebriosos regnum Dei non pos-sessuros	95. 107.
Ebrietas qualis, aut quid insaniae sit	102.	Ebrius quid creaturae sit	111. 117.
quibus aut qualibus e potibus fiat	103.	Ebrius de somno excitatus, quid aut qualis	104.
quid daemonis sit	104.	Ebrii nullam esse utilitatem	111. 112.
unde fiat, quantorumve malo-rum sit radix	111.	Ebrii graphica per Chrysosto-mum descriptio	151.
Ebrietatis vituperium	41.	Ebrium nunquam esse castum	116.
Ebrietatis perniciēs quanta aut quotuplex	105.	Ebriorum lepida per Ambrosium depictio	111.
Ebrietatis fructus	106. 113.	Ebrius esse idolorum gentilium instar	105.
Ebrietatis vitium usu parari	107.	Ecclesiae tempora duo qui per Evangelicam parabolam desig-nata	259.
Ebrietatis detestatio et nocumen-tum quantum	116.	Ecclesiam perditos, ut redeant, recte cogere	338.
Ebrietatem esse libidinis fomitem	73.	Ecclesiam, quos cogit, ad bonum non malum, cogere	258.
Ebrietatem esse vitiorum omnium fontem	101.	Edendum qui sit	41.
Ebrietatem, non potum, dam-nandum	111.	Elationis quanta perniciēs	45.
Ebrietate statum mentis everti	103.	Eleemosyna an differenda in cr-estinum	58. 59.
Ebriosi quomodo per Basilium Magnum et S. Augustinum suis depicti sint coloribus	104. 105.	Eleemosynae faciendae quanta aut utilitas, aut necessitas	3.
Ebriosorum de ebrietate excusa-tionis quae quales	106. 108.	Eleemosynae quae quid mudent	333.

Eleemosynarum vis et usus	375.	Excidere a gratia Dei, quanta sit aerumna	25.
Eleemosynis dimitti peccata	388.	Excommunicationis poena qualis aut quanta	301.
Episcopus quis cur ab Hieronymo ob toleratum Vigilantium increpitus	232.	Excusatio divitum avarorum propter liberos multos, qualis	61. 62.
Epistolae Apostolorum Catholicae, contra quid proprie scriptae	280.	Excusatio vacantium ebrietati	108.
Erroris pertinaci defensione haereticos fieri	307. 308.	Exemplum quale nobis a Christo relictum	20.
Esaias quid discendum et unde quiescendum moneat	1.	Exemplum pueri blasphemi mirum et horrendum	242.
Esse qui invicem debeamus	38.	Exhaurire, mystice quid	384.
Eunomii de sola fide haeresis iam olim quae aut qualis	283.	Exire in sepes et vias, quid sibi clam velit	239.
Euthymii de his, qui obnoxii sunt peccatis alienis, sententia	158.	Expiatio peccatorum qui fiat, aut facienda sit	359. 360.
Exactor qualis quantusve sit venter	113.	Expiandi peccata modi qui quales aut quot	359—363.
		Ezechiel propheta cur quibus legi jam olim vetitus	72.

F.

Facere bonum quo seu ad quid spectet	1.	Filii qua cura educandi	243.
Facere nos quidem cum facimus, sed Deum ut faciamus, facere	6.	Filii quales aut quibus debeant esse moribus	244.
Facere ut faciamus, quid sit	6.	Flammae quae quibus timendae	211.
Febris et libidinis collatio	76.	Flammarum infernalium cruciatus quo alio cruciatus tolerabilior	25.
Felicitatem aut infelicitatem aeternam, ad vivum exprimi non posse	25.	Foedissimum homini quid	94. 95.
Fervor et tepor quis quorum sit	152.	Foeminae temulentae suis apte coloribus depictae	117.
Ficus aut ficulnea quae cur eradicaanda	147.	Formidine qua cur semper laborandum	284.
Fides ipsissima, de qua hodie agitur, quae	371.	Fornicatio cur quantopere fugienda, et qui vincenda	68. 69.
Fidem solam jactantium vanitas quanta	280. 281.	Fornicatio simplex quale quantumve sit peccatum	74. 75.
Fidem qualem existimarit Paulus cum de illa ad Galatas scriberet	280.	Fornicationis scelus quantum	73.
Fidei vivae vis quanta	377.	Fornicationibus qui medendum aut obviandum	72. 73.
Filiae peccatorum omnium capitalium quae quales	51.	Fortitudine quibus aut quo maxime sit opus	154.
Filiarum cura quibus potissimum mandata	243.	Fugam peccati quantopere aut doceat, aut jubeat scriptura	16. 17.
		Fulmina quot feras facilius, quam iratum Dei vultum videas	25.
		Funeralium pompae ad spectio quibus ad quid conducatur	45.

Furi aut furato, quid poenitendo agendum	68.	Furor quis quid daemonis sit	132.
		Furtum alienum qui fiat tuum	362.

G.

Galea qualis assumenda	39.	Gratiae praevenientis et subsequents ostensio	6.
Galenii de gulosis sententia	103.	Gratiae Dei voluntatem bonam accepto ferendam	5.
Gaudendum qui aut in quo potissimum sit	149.	Gratiam Dei libero cooperari arbitrio	5.
Gehenna cur quibus a Christo comminata	217.	Gravatio ex crapulo et ebrietate, quantopere cavenda	100.
Gehennae poenam, amissione gloriae leviolem esse	25.	Gravitas peccati quanta	27.
Gehennae cogitatio quo maxime conducat	45.	Gravitas peccatorum quomodo ex scripturis noscatur	381.
Gehennae effigiem esse ignem Sodomorum	345.	Gravitatem peccati ex remedii difficultate colligi	25.
Gelasii de blasphemia, ejusque remissione sententia	327. 328.	Gregorii de ira sine voce, in voce, et sermone sententia	11.
Geneseos liber cur quibus antiquitus legi vetitus	72.	de tribus tentandi modis	52.
Gladus quis cui utendus	39.	de superbia et Leviathan	46.
Gladium accipere, quid	338.	de voluptate aut libidine carnali	76.
Gladio haereticos arceri aut cogi, expedire	240.	de filiabus invidiae	97.
Gloria hominum quam sit vilis	44.	de invidiae ac invidentiae caecitate etc.	88.
Gloriae amissionem, ipsa gehennae poena duriolem esse	25.	de invidio et invidioso	95.
Gloriae vanae appetitus qui restringendus	43.	de tentatione gulae quintuplici	98.
Gloriae inanis filiae quae	51.	de filiabus irae	125.
Gradatio peccati quae qualis	28. 29.	de refrenatione irae	135.
Gradus peccati aut culpae (ex Evangelio) qui quales	11.	in iram investio	135. 131.
Gradus superbiae qui aut quot	45.	de pigritia aut pigris	152.
Gradus irae et poenarum ejus qui quales	13.	de refrenanda ira	141. 142.
Gradus peccandi aut peccatorum, quot, qui aut quales	14. 28. 51. 34.	de silentio discreto	207.
Gradibus quot et quibus ad peccatum perveniatur	28.	de requirendo pereuntium sanguine	215. 216.
et in profundum descendatur	33.	de vitanda unius aut paucorum scabie	241.
Gravis et levis peccati lepida comparatio	382. 383.	de claudendo parvulis regno caelorum	242.
Gratia Dei quo nobis promissa et necessaria	1. 6. 7.	de tribus peccandi modis	270.
Gratia Dei nostrae quid praestet voluntati	5.	de responsione Heli pia et humili	276.
Gratiae Dei et arbitrii liberi concursus, ex scripturis ostendi	5.	de media inter desperationem et praesumptionem via	277.
		de peccato ad inferos et ad mortem	290.

Gregorii de permanendo in peccatis	316.
de obduratione Pharaonis	319.
de peccatis in caelum clamantibus	332.
de Sodomorum excidio et scelere	344.
Gregorii Nysseni graphica invidiae descriptio	87.
Gregorii Turonensis, mira de imperatoris filia etc., narratio	252-254.

Gregorio quae unde nascantur vitia	73.
Gula quid, ejusque filiae quae aut quot	51. 94. 101.
Gulae tentationis quod triplices	98.
Gulae perniciēs quae	101.
Gulae deditos nil caeleste cogitare posse	105.
Gulam ad libidinem provocare	112.
Gulosos ad nihil utiles	110.
Guttae aut stillae aquarum ad peccata levia collatio	383.

H.

Habitationum duarum aeternarum quae qualis	13.
Haeresiarcae qui cur potissimum tot habeant discipulos	201.
Haeresiarcharum mortuorum poenae quae cur quotidie augeantur	157.
Haereses unde sint natae	307.
Haeresum seu haeresion principis qui obsistendum	240.
Haereticus cur quis sit aut fiat	307.
Haereticum, et deceptum ab haeretico, differre	307.
Haereticis an Hieronymi iudicio connivendum	232.
Haereticos legibus Imperatoris pie ac juste coerceri	235.
Heli sacerdos propter iniquitatem filiorum damnatus	212.
Heli sacerdotis exemplum quos cur merito teneat	242.
Herodes qua in re cui Pharaoni similis	172.
Herodiadis peccatum quod quale	161.
Hester (aut Hesteris) ad Deum pro Judaeis oratio qualis	181.
Hieremias quid quibus de prophetis praenunciavit	190-192.
Hieronymi de fornicatione et ebrietate sententia	73.
Hieronymi in mollium invectione	75.
Hieronymi de invidia et zelo sententia	87. 88.
Hieronymi in saturitatem et ebrietatem invectione	102.

Hieronymi in violentum episcopum invectione	118.
Hieronymi de blanditiis haereticorum sententia	200.
Hieronymi de reticendo Dei verbo sententia	213. 214.
Hieronymi de misericordia inutili sententia	232.
Hieronymi de obsistendo haeresum principis auctoritas	240.
Hieronymi de gloria et jactatione haereticorum sententia	283.
Hieronymi de temere promittentibus remissionem peccatorum, sententia	284.
Hieronymi de mollium aut mollii vitio sententia	347.
Hippocratis de obesitate aut crassitudine iudicium	103.
Homicidarum poena aut reconciliatio quae qualis	336. 337.
Homicidii voluntarii vindicta seu poena quae	332-334.
Homo quis quomodo vel exuendas, vel induendus	1. 37.
Homo qui bestia aut brutum fiat animal	73.
Hominem superbia daemonem fieri	45.
Hominem frugalitate a bestia vinci, quale quid	94. 95.
Homines quibus potissimum vitii tententur aut vincantur	72. 73.
Homines qui fiant sues	101.

Honore dignis, sed eo destitutis, quomodo aut cur gaudendum	44.	Humilitas quam sit cuivis et ubi vis necessaria	52.
Gratiam vitae socialis ira amitti	134.	Humilitas quotuplex	53.

I.

Jacob quibus qua in re quomodo imitandus	138.	Industria seu sponte quomodo peccetur	270.
Jerusalem (seu Hierusalem) muri mystice quid	100.	Inebriantibus se aut alios poenitentia qualis injungenda	117.
Ignem Sodomorum, esse gehennae effigiem	345. 346.	Inebriatum, mortuum ac sepultum esse	118. 119.
Ignorantia qui sit aut fiat ebrietatis causa	109.	Infernalium poenarum inaequalitas aut differentia	13.
Ignorantia divinae legis an quoniam excuset	356.	Inferni vocabulo desperationem aliquando intelligi	297. 298.
Ignorantia excusationem habens aut non habens, quae	358.	Infirmirate quomodo peccetur	270.
Ignorantia qui peccatur, aut non peccatur	270. 357.	Ingurgitatores qui quales inimicus qui tractandus	106. 37.
Illecebrae quae cur velut Eva existimandae	31.	Iniquitas Latine quid	9.
Immunditia quae qualis	75.	Iniquitatis et peccati conversi seu identitas	8.
Impietas quae cui non nocitura	21.	Iniquitatis operatores quales	14. 15. 17.
Impius verba Dei non audiens, cur meriatur	214.	Iniquitatem Deo odibilem esse nullam impanitam abire	22. 315.
Impii qui, et quod eorum caput	154.	Initorum quorum quanta ubi habenda cura	364.
Impatentia unde oriatur	321. 322.	Injustitia quae cui et cur non obfutura	21.
Impoenitentia quibus potissimum sacramentis repugnet	327.	Innocentia falsa, Augustino qualis aut quae	241.
Impoenitentiae peccatum quando committatur	323.	Inobedientibus quibus quae unde minata sint mala	18.
Impotentiam esse peccatum in spiritum sanctum	325. 326.	Inquietudo haeretica quae quomodo pie coercenda	235.
Impugnations qua qui peccatur in spiritum sanctum	203.	Insaniae ebrietatis quae aut quantae	118.
Incitantium aut cogentium alios ad potum, repraehensio	116.	Insanire illos, qui id, quod malum est, laudant	199.
Incommoda corporis et animi ex gula, qualia aut quanta	110.	Intolerabili gehenna quidnam aliud intolerabilius	23.
Incommoda quae qui patienda	126.	Identitia gratiae fraternae, quale sit in spiritum sanctum peccatum	303.
Induenda quae cur nobis armatura	38.	Invidentia quae qualis aut quid	309-311.
Indulgentiae aut remissionis peccatorum promissores temerarii qui	284.	Invidia quid, quasve habeat filias	77. 80. 87.
Indulgentiam seu misericordiam latroni exhibitam, esse crudeliter	231.		

Invidia quam sit, Cypriani iudicio, fugienda	79. 80.	Jovinianicae conciones aut doctrinae propemodum quales	201. 202.
Invidia quantam malorum illidem secum advehat	84.	Jovinianistarum grex qualis	202.
Invidia cui vermi cur merito comparetur	84.	Ira quae qualis aut quotuplex	10.
Invidiae species aut filiae quae	51. 87.	Ira iudicio, concilio, aut gehennae obnoxia quae	10.
Invidiae malum quae scripturae qui exaggerent	78. 79.	Ira quas habeat filias	119.
Invidiae fructus qui	79. 80.	Ira quid sit	119.
Invidiae vituperatio	81.	Ira laudabilis quae	126.
Invidiae lepida per Augustinum depictio	87.	Ira qui aliquando bonarum sit actionum ministra	127.
Invidiae et zeli discrimen	87. 88.	Ira, quis qualisve sit Chrysostommo ignis	129. 130.
Invidiae non studendum	77. 78.	Ira undenam suas habeat vires	129.
Invidiae qui medendum	82.	Ira quid aut qualis sit bestia	129. 132.
Invidiam nocere invidenti potius quam invoco	80.	Ira quo subinde prosiliat	134.
Invidiam omni carere venia et excusatione	83.	Ira per vitium quae	136.
Invidiam fornicatione et adulterio peiorem esse	83.	Ira bona quae	136.
Invidiam ex superbia oriri	85.	Ira per zelum, sive ex zelo, quali egeat moderatione	137.
Invidiam vertere homines in daemones	92.	Irae species aut filiae quae	51.
Invidiam, diabolicum esse vitium	82. 93.	Irae fructus qui	123.
Invidia hominem, diabolo similem fieri	77.	Irae cuius poena quae	119. 120.
urbesque excindi	84.	Irae in commoda qui ferenda	126.
Invidia repleri aut laborare, qualis sit poena	78.	Irae filii aut filiae quae	127.
Invidia Siculos non invenisse tyrannos majus tormentum	80. 81.	Irae in nobis origo aut occasio quae	127.
Invidiosi et invidi discrimen	85. 88.	Irae descriptio egregia	128.
Invidus quid de invidioso prae se ferat	92. 93.	Irae seu iracundiae miseria quanta	129.
Invidi familiaritas cur teste Basilio fugienda	81.	Irae perniciēs quanta	130. 133. 134.
Invidi exterior species quae	93.	et deinde	
Invidum esse sui ipsius carnificem	86.	Irae intrinsicae non erumpentis foras, descriptio	134.
Invidiorum ingenii graphica descriptio	82. 85.	Irae comprimendae modi quot et qui	135. 136.
Invidorum miseria	89.	Irae cur dandus sit locus	37.
Invidos feris bestiis esse deteriores	83.	Irae qui medendum	124.
Invidos membra diaboli esse	94.	Iram in corde reservare, quale quid sit	130.
Jovinianus qualis, aut qualibus usus haereseos suae asseclis	200. 201.	Iram bestiae instar mitigandam at mansuefaciendam	132.
		Iram corpori animoque nocere	132.
		Iram comprimere bifariam	135.
		Iram rationis pedissequam, non dominam, esse debere	137.
		Iram perseverantem cor corrumpere	140.
		Iram inveterascentem odium fieri	140.
		Iram mansuetudine temperandam	145.

- Ira hominem fieri feram aut be-
 luam 123.
 Ira nihil esse stultius 126.
 Ira pro armis quomodo sancti
 sint laudabiliter usi 126.
 Ira et corpus et animam laedi 128.
 Ira (seu ab ira) vinci, quam sit
 dedecorosum 140.
 Irarum divisio quae qualis 136.
 Iracundia quid quantumve mor-
 bi sit 128.
 Iracundiae pestis quanta 128.
 Iracundiae perniciēs quanta 132.
 Iracundiae culpa quanta 133.
 Iracundus quam cui ebrius com-
 parandus 131.
 Iracundi hominis per Chrysosto-
 mum descriptio 128.
 Iracundi cur porcis merito con-
 ferantur 131.
 Iracundo nullam esse iracundiae
 excusationem 130.
 Iracundi cur intempesto mari et
 daemonibus comparentur 129.
 Iracundos aegrorum instar trac-
 tandos 132.
 Iracundos esse insaniam miserabi-
 liores 133.
 Irascendum quibus quī sit, aut
 non sit 38 127. 137. 138.
 Irascentium genera quot aut quae 135.
 Irasci Deum maxime, cum non
 irascitur 322.
 Irasci fratri, quomodo et ino-
 bedientia sit, et crimen non
 sit 385.
 Irasci nulli, melius esse quam
 juste irasci 140.
 Irascimini et nolite peccare, quī
 intelligendum 140.
 Iratis hominibus quomodo resi-
 stendum 124.
 Iratos, a daemonibus nihil aut
 parum differre 124.
 Irenaei de vitandis aut fugiendis
 peccatoribus sententia 182.
 Irritatione quī nobis aliena pec-
 cata confitemur, aut affricemus 183.
 Irremissibile peccatum quod quī
 aut dicatur, aut intelligatur 269.
 Isidori de superbia et superbis
 dictum aut sententia 50.
 in libidinem carnalem invec-
 tio 72. 73.
 de luxuria etc. iudicium 112.
 de temporibus docendi aut ta-
 cendi 211.
 de poenitentia et veniae con-
 secutione 287.
 de modo recedendi a Deo 298.
 de peccati et criminis diffe-
 rentia 381.
 Israelitarum in deserto murmu-
 rantium punitio 22.
 Israelitarum aliquot reproborum
 concilia suos in fratres qua-
 lia 169. 170.
 Israelitis cur quae poenae a Deo
 per Moysen minatae 24.
 Judaeorum apud Holophernem
 commendatio quae qualis 21. 22.
 Iudices qui quorum sint aut fiant
 scelus rei 233.
 Iudicium divinum quī quibus me-
 deatur vitis 73.
 Juliani cujusdam sacrilegi, quī
 fuit apostatae Juliani avuncu-
 lus, scelus ac poena 261.
 Ivo quid ubi de poteribus aut
 ebriis tractet 116.
 Jussio quī sit aut fiat alienum
 peccatum 172.
 Justificari per fidem quī dica-
 mur 370.
 Justificatio per fidem sine ope-
 ribus legis quī fiat 280.
 Justitia quid sit, aut in quo con-
 sistat 1. 3. 154.
 Justitiae nomen quid sit aut sig-
 net 3.
 Justitiae ratio in quo consistat 4.
 Justitiae Christianae quae aut
 quot potissimum attingant 1.
 Justitiam ira derelinqui 133.
 Justitia quibus potissimum sit
 opus 15.
 Justitiae quae cui aut quibus
 frustra sint factae 31.
 Justitiae quae cur obliviscendae 31.
 Justus quis sit 1.
 Juventus fere cujusmodi sit fe-
 ra 242.

L.

Labor quis quibus quomodo periturus	18.	Libidinem esse febre ardentiorum	66.
Laborandum qui aut quid sit	2. 38.	Libidinem usu crescere	73.
Latronis misereri, eive parcere, quid secum perniciosi ferat	231.	Libidinem pasci conviviis	119.
Laudandi aut non laudandi qui	198.	Libidine hominem servituti miserimae subijci	74.
Laudibus aut vituperiis falsis quomodo affici debeamus	125.	Libidinosorum caecitas quanta	76.
Laudatores qui quomodo se peccatis alienis inquinant	187.	Libri scripturae authenticae aut sacrae, cur quibus legi vititi	72.
Lectiones sacrae scripturae quae cur quibus iam olim prohibitae	72.	Lingua cui aut cur unde coerenda	2.
Legum adversus haereticos latarum utilitas quanta	234.	Lingua quae qualis sit gladius	91.
Legum Caesararum de Sodomitico vitio sententia	347.	Lingua unde cohibenda	138.
Lenitatis quae ubi cura habenda	213.	Linitio aut litura quae, qualis	189.
Leonis Magni de resipiscentibus in articulo mortis, sententia de pertinacia haereticorum	302. 306.	Loquacitas quae cujus sit vitii capitalis filia	99. 100.
de vera et integra fide	371.	Loquendum qui sit	2.
Leviathan quomodo aut cur sublimis videre describatur	46.	Lorica qualis induenda	39.
Levia peccata cur potissimum vitanda, aut non spernenda	382.	Loth unde per Deum ereptus	18.
Levium peccatorum remedia potissima quae et quot	383.	Lucem viritatis, ira amitti	134.
Levibus etiam peccatis qui occidatur anima	334.	Luciferi casus et peccatum, qui a quo descripta	17, 18.
Levitatem operis, ex gula sequi	100.	Luxuria quid, quaeve ex se gignat vitia	68.
Lex aeterna quid	8.	Luxuria seu actus libidinosus cur quantopere fugi debeat	68. 69.
Lex peccati quid	35.	Luxuria gulam qui sequatur	99. 100.
Liberi arbitrii assertio	6.	Luxuria unde gignatur	114.
Liberum arbitrium divinae cooperari gratiae	6.	Luxuriae species aut filiae quae aut quot	51. 73.
Libido carnis quo demum adegerit Salomonem	70.	Luxuriae qui medendum	73.
Libidinis mala quae aut qualia	71.	Luxuriam fuga potius qua pugna vincendam	68.
Libidinis fomes aut seminarium quod	73. 102.	Luxuriam semper ebrietati jungi	103.
		Luxuria fieri ex homine bestiam seu brutum	73.
		Luxuriosorum quanta caecitas	76.
		Lysimachi sacrilegia, ejusque ob ea interitus	170. 171.

M.

Magistratus qui quomodo sunt peccatis alienis obnoxii	219.	Magistri qui cur tacendo sanguinis rei sunt	214.
---	------	---	------

- Maledictio quae quibus timenda aut infligenda** 19. 20.
Malitia quid sit 155.
Malitiam laudare, quid aut quale 199.
Malum pro malo qui aut reddatur, aut non reddatur 235.
Malorum consuetudo quae quando non maculet 160.
Mandata Dei, si volumus, servari posse 5.
Manducare de ligno vetito, quid 31.
Manibus qui utendum 38.
Mansuetudo falsa et crudelis quae 235.
Materiam criminum omnium esse cupiditatem 64.
Media inter praesumptionem et desperationem via incedendum 277.
Medici quamvis molesti, laus et utilitas quanta 235.
Medici qui quales 199.
Medicis qua in re non utendum misericordia 231.
Membra qui invicem alter alterius esse debeamus 37.
Membra Christi qui faciant membra meretricis 69.
Mendicus quis aut quando contemnat locupletem 115.
Mendici quibus qua in re quomodo imitandi 53.
Menelai alicujus apostatici Judaei facinora 170. 171.
Mercedis operariorum detentio, quantum sit peccatum 353. 354.
Metendum qui sit 40.
Metrias martyr qui suum de sacriligo templum ultus 254.
Metus quis cujus vitii remedium 73.
Metus quis ubi aut inutilis, aut perniciosus 211. 212.
Mille gehennis quod supplicium intolerabilius 25.
Milvis cur aut quomodo conferantur invidi 37.
Minuta peccata qui et quantopere cavenda 378 etc.
Misereri cur Deo magis proprium quam judicare aut damnare 300.
Misera quid praerebus omnibus privilegii habeat 86.
Misericordia et justitia Dei, qui aut diligenda, aut metuenda 279.
Misericordiae quibus in rebus qua cautione studendum 232.
Misericordiam aliam esse justam, aliam injustam 251.
Misericordiam Dei, peccatis nostris majorem esse 300.
Misericordiam qui suam quibus impendat Deus 376.
Misericordiam pater Deus, non judiciorum 300.
Modi peccandi quot aut qui 270.
Modi remittendorum peccatorum quales et quam varii 371. 372.
Modestiae qui studendum 38.
Molles aut mollities, cujusmodi scelus aut scelerati 547.
Mollitiei peccatum a quibus philosophis approbatum 75.
Moloch (aut Molochi) dare de semine suo, quantum sit peccati 179.
Momentaneam insaniam esse iram 125.
Moralitas perfecta in quibus aut quot posita 389. 390.
Morientem oblivisci sui, oblitum, dum adhuc viveret, Dei 292.
Mors cujus sit rei stipendium 10.
Mors secunda quid, aut quibus obventura 11.
Mors cujus aut quorum sit stipendium 21.
Mors quae aut quorum, qualis 21.
Morti secundae obnoxii qui 11.
Mortem sempiternam inferre haereticos, et ob id temporalem pati, conqueri 240.
Mortes quae et quot, quibus peccandi differentiis apte conferantur 31.
Mortale peccatum quid 16.
Mortuis peccato, qui aut vivendum, aut ambulandum 16.
Mortuis peccato quid agendum 16.
Mortuorum genera tria a Christo resuscitata, mystice quid 16.
Mortuorum ad sepulturam elatio quibus ad quid proficiat 16.
Moyse alioqui mansuetissimus, quam ubi cur merito excusaverit 126.

Moysis et Aaronis erga se affligentes affectus aut zelus quis	24.	Mulierum amor quo tandem adegerit Salomonem	70.
Mulieres quae quomodo suos in scripturis legantur afflixisse viros	183.	Muri Hierusalem seu Jerusalem mystice quid	100.
		Murmurantium quorum poena quae	22.

N.

Nabuchodonosor qui aut cur qua poena affectus	23.	Neque parcentem quemvis amicū, neque non parcentem inimicum esse	235.
Nabuchodonosoris statua qui aut quibus instrumentis honorata	174.	Nescire, et scire noluisse, multum differre	271. 256.
Nabuchodonosor quomodo et persecutoris et protectoris ecclesiae typum gesserit	234.	Nicanor qui se erga Machabaeum gesserit	184.
Nabuchodonosor qui trium puerorum exemplo quodammodo conversus	239.	Nihil boni facere, quid	4.
Nanaeae sacerdotes ubi quomodo Antiochum ejusve ducem exceperint	170.	Noë unde qui custoditus.	18.
Navi cui quis venter cur merito conferatur	109.	Nómos quid	9.
Necessitas, quae quibus incumbat	210.	Non esse qui non peccet	12.
Negligentiae mater quid aut quae	278	Non habeo, non dabo, quorum sit vox propria	59.
Nemini non, quantumvis justo, timendum	281.	Novem esse peccata aliena, et quae	160.
		Nuditas qui sua cuique assidue revolvenda	125.
		Nyssenus Gregorius invidiam qui depinxerit	87.

O.

Obdurare qui corda dicatur Deus	317.	Occulta longe aliter ac publica, vel arguenda, vel corrigenda	218.
Obdurationis Pharaonis causae	319.	Ochosias unde quo adactus	167.
Obduratus quis sit aut vivat	279.	Ociositatis fructus qui	144.
Obduratum qui dicatur cor Pharaonis.	318.	Ociosus quis, unde qui aut flagellandus aut castigandus	4.
Observatione praeceptorum quo duplici genere contineatur	3.	Ociosorum increpatio	143.
Obstinata peccandi voluntas, qualis sit phrenesis	318.	Odiosi aut odibiles Deo qui	14. 17.
Obstinatione qua qui peccetur in spiritum sanctum	311. 312.	Offendiculum unde qui poni dicatur	317.
		Oniae viri boni et innocentis miserabilis interitus.	170.

Onerariis navibus cur qui ventres comparentur	109.	Orationis Dominicae vis et usus	387.
Operanda seu agenda quae, quo studio exsequenda	148.	Origenis de misericordia inutili sententia	231. 232.
Operariis quibus quis discessus a Deo minatus	21.	Originale peccatum quid sit aut ostendatur voluntarium	7.
Operarios iniquitatis Deo odiosos	14. 17.	Originale peccatum quid	9.
Operarios sua fraudari mercede, quale sit peccatum	353. 354.	Originalis peccati ex scripturis assertio seu ostensio	11.
Operatio vini immoderate sumpti qualis	104.	Originali peccato baptismum praecipue donatum, alia etiam peccata tollere	12.
Operum bonorum vis et usus	375.	Origines peccati quot	158.
Oppressio quae, quale quantumve sit peccatum	347 — 353.	Ossa mystice quid	94.
		Ostentare sua bona opera cupienti quid cogitandum	43. 44.

P.

Palmes quis cur tollendus	147.	Patrum de faciendo bono malo que cavendo sententiae	3 — 7.
Palpones qui quomodo se peccatis inficiant alienis	187.	Patribus quid in filios a Paulo vetitum	184.
Paludibus cur unde comparati sint ebriosi	105.	Paulum Apostolum quodammodo ad fidem compulsulum esse	238.
Parentes qui qua praepostera laborent cura	243.	eundemque ethnici imperatoris auxilium implorasse aut poposcisse	238.
Parentum conniventia et indulgentia quae quam periculosa	219. 220. 233.	Pavor cur quibus et unde utiliter injiciatur	100.
Participando qui alienum tibi peccatum contrahas	244.	Pauperes qui cur quando non cedant etiam summe diviti	115.
Participatio aut communicatio cum malis, quotuplex	158.	Pax cui et cur inquirenda	2.
Parvulis quibusdam etsi baptizatis, cur regnum coelorum praecludatur	242.	Pax quibus quantopere curanda	37.
Pascha cum amaritudinibus comedere, quid sibi velit	200.	Pax Dei qualis, et quo nobis petenda	38.
Pastorem reticentia sua pereuntium mortis reum fieri	215.	Peccandi voluntate sola damnari quem posse	32.
Pastores qui quales, et quanto periculo obnoxii	207. 208. 209.	Peccandi consuetudinem, peccato ipso pejorem esse	33.
Pastorum aut praelatorum pericula quanta	215. 216.	Peccans, quantillo aut quali pretio animam suam vendat	3.
Pastores multos pro iniquitate populi damnari	212.	Peccantium consuetudo quae qualis	3.
Patientia qui et cur quibus necessaria	41.	Peccantium in hac vita prosperitas aut impunitas quid portendat	27.
Patientia minime laudabilis quae	238.	Peccantes laude prosequi, qui plus sit quam delinquere	194.

Peccare etiam Dei filios	12. 13.	Peccata quae quos quomodo aut praecedant, aut sequantur	157.
Peccatum quid sit	7. 8. 9. 10.	Peccata in Spiritum sanctum quae et quot	265
	26. 27.	Peccata in Spiritum sanctum qui distinguantur	268.
Peccatum quantopere Deo odio- sum	14.	Peccata in caelum clamantia, quae	329.
Peccatum qui aut cur daemone sit pejus	27.	Peccata qui merito Christi per sacramenta applicato tollantur	370.
Peccatum per quae tria implea- tur	30.	Peccata quae quibus modis ex- pianda	373. 374.
Peccatum ad inferos, et ad mor- tem quid	290. 309. 311. 328.	quae quibus amplius evitanda	384.
Peccati definitio	7. 8. 9. 10.	Peccata quibus modis, operibus aut remediis purgentur seu re- dimantur	371. 376. 386.
Peccati et iniquitatis conventio seu identitas	8.	Peccatorum inaequalitatem ex Evangelio ostendi	10. 11.
Peccati divisio	9.	Peccatorum gradus qui quales	28.
Peccati differentia quae qualis	10.	Peccatorum inter se discrimen qua sit difficile	380. 381.
Peccati et criminis differentia	12.	Peccati resistendi modi quot et qui	36.
Peccati auctor quis	12.	Peccata nulla qualiacunque, im- punita manere	389.
Peccati fugiendi causae	14.	Peccata modis fieri tribus	270.
Peccati execrandi causa potissi- ma quae	14.	Peccatorem omnem, superbum esse	50.
Peccati natura et malignitas qualis aut quid	16.	Peccatores aliquot singulares quas Deo poenas dederint	16.
Peccati servus quis	16.	Peccatores qui quali a Deo cruci- atiui addicti	18.
Peccati fuga et execratio qui- bus scripturae verbis innua- tur	16.	Peccatores qui qua poena affec- ti seu afficiendi	22. 23.
Peccati gravitas unde potissi- mum colligatur	25.	Peccatoribus quibus quae mina- tae aut infligi poenae praedictae	18. 19.
Peccati lex quid	35.	Peccatores aut peccatrices de- ferre apud superiores, quale quid sit	209.
Peccati genus omne ex superbia nasci	45.	Pectoris tunsio quid aut quan- tum valeat	387.
Peccati in Spiritum sanctum de- scriptio seu definitio	264.	Pectore et ventre reperere, mys- ticae quid	100.
Peccati in Spiritum sanctum ir- remissibilitas qui intelligenda	269.	Perfidiae matrem, ebrietatem esse	114.
Peccatum omne contra legem Dei esse aut fieri	9.	Persecutionem patientes non om- nes, beatos esso futuros	236.
Peccatum aliud alio gravius esse	10.	Persequentibus quid officii aut beneficii exhibendum	37.
Peccatum tribus impleri modis	33.		
Peccatum, peccatum trahere	35.		
Peccato qui generetur mors	21.		
Peccato insipientiam fieri	26.		
Peccato nil esse immundius	26.		
Peccato etiam corpora infici	26.		
Peccato etiam non perpetrato, qui quis fiat gehennae obno- xius	28.		
Peccata quibus et qui Deus di- mittat	11. 12.		
Peccata qui facile devitentur	35.		

- Pertinacia quae, quale aut quid peccati sit** 307.
Petitiones quae nostrae apud Deum innotescere debeant 38.
Pharao cum suo exercitu quae cur poenas dederit 23.
Pharao et Herodes qua in re comparandi 172.
Pharaonis obduratio unde 320.
Philargyria quid 65.
Phinees quantam qua ira consecutus laudem 127.
Pietatem aut zelum pro Deo, crudelitatem non esse 233.
Pietatem Dei, quavis impietate aut iniquitate majorem esse 300.
Pigri, qua de re admonendi 152. 155.
Placatio Domini quae qui facienda 374.
Plumbo cur peccatum comparatur 27.
Pluvia quali peccatores plagandi seu afficiendi 22.
Poenae quae quibus sit salutaris 232.
Poenae secundum animarum merita, an dici seu exprimi possint 14.
Poenae quae qui evadendae 17.
Poenae animarum quae quibus duriores 25. 26.
Poenitens quis quando a quoque absolvi queat sacerdote 302.
Poenitenti quomodo et timeandum, et confidendum 298.
Poenitentibus quid Deus promittat, aut non promittat 285.
Poenitentia ad mortem usque dilata, quam sit periculosa 288. 289.
Poenitentiae cur tantopere insudandum 273. 274.
Poenitentiam nullam esse seram 293.
Poenitentiam veram semper amplecti seu acceptare Deum 301.
Porta qua qui intrandum 150.
Possessio certissima quae 63. 64.
Possidendi avido, quid ut possideat, potissimum optandum 63.
- Potare multum, nec tamen inebriari, quale quid** 113. 114.
Potandi nimietas qui sensim aut minuenda, aut tollenda 107. 108.
Potentium multum bibere, nec tamen inebriari, increpatio 115. 114.
Potiores quibus aut qualibus velentur seu initio utantur potulis 115.
Praeconi officio mystice qui fungantur 208.
Praedestinationem incertam esse, cur et qua sit utile 289.
Praedestinos se praesumentium increpatio 289.
Praedicandum aut dicendum, etiam si auditor non obtemperet 214.
Praedicatores qui cur suspecti aut fugiendi 187.
Praepositi qui cur constituti 210.
Praepositorum Ecclesiasticorum status quid praeter vitam bonam exigat 210.
Praesulum quorum libertas quae 212.
Praesumptione qui peccetur in Spiritum sanctum 271. 272.
Princeps cocorum (seu coquorum) mystice quis aut quid 100.
Principes rationem reddituros, si non contra Ecclesiae hostes moveantur 259.
Principum quid potissimum intersit 237.
Principiis quibus qui obstandum 240.
Procrastinatio quae quam sit periculosa 237.
Prohibendi a malo, et cogendi ad bonum, utilitas quae 238.
Prophetarum quae cur maledicti 188. 189.
Propitiatio pro peccatis nostris quis sit 15.
Propitiator noster quis 359.
Prosperi de justitiae ratione sententia 4.
de superbia 48. 49.
de peccati omnis initio 52.
Prosperi de ferreo cupiditatis imperio axiomata 62. 63.

Prosperi de invidia seu invidio sententia	87.	Pulvilli qui quales aut sint, aut unde consuuntur	189.
de propositorum Ecclesiae statu	210.	Pulvinar quid aut quale	155.
Prudentia quid	154.	Purgatorio quinam se vane sal- vandos sperent	282.
Pseudoprophetae qualia fere do- ceant seu praedicent	202.	Purgatorio igne non salvandi qui	377.
Pueris delinquentibus an septua- gies septies ignoscendum	217.		

Q.

Quae duo justitiae Christianae inprimis attineant	1.	Quibus aut quot de causis ver- ba Dei periculose reticeantur	213.
Quae tria operetur in nobis Spi- ritus sanctus ad declinandum a malo	4.	Quid quibuscum tractandum	162.
Qualis ex peccato oritur me- tus	26.	Quiescendum unde sit	1.
Quali aut quanto utendum sit cibo	103.	Quiescere agere perverse, quo maxime spectet	1.
Quam tenax sit carnalis volup- tas	76.	Quintuplicem esse gulae tentatio- nem	101.
Quanta inter praesumptionem et desperationem cura inceden- dum	277.	Quis quomodo et captivus, et liber sit	34.
Quatuor modis et corde et ope- re peccatum perpetrari	52.	Quo vitio fiant ex hominibus sues	101.
Quatuor irascentium genera, quae	135.	Quotidiana peccata, quae aut qualia	378. 383.
Quatuor modis adimpiorum con- siliium iri	154.	Quotidiana peccata quam vitan- da	378 — 380. et deinde
		Quotidiana quae, quibus quoti- dianis curanda	383.
		Quotidianorum peccatorum re- media	387.
		Quotuplex appetitus gulae dis- tinctio	113.

R.

Racha quid	13.	Recedere a malo, nec facere bonum, Augustino quid sit	3.
Radix malorum omnium, quid aut quae	54.	Recedere a Deo quis qui dicatur aut intelligatur	298.
Raphaelis censura, hostes ani- mae suae qui sint	15.	Recidivantium seu in idem pecca- tum relabentium pericula quan- ta	15. 20. 296.
Rapina seu praeda qui feren- da	126.	Recidivatio in peccatum, quan- to quam ipsum peccatum, per- iculosior	26. 27.
Raram esse virtutem, nulla affi- ci invidia	90.	Reconciliatio qui quaerenda	290.
Reatus qui quos habeant gradus	13.	Reconciliationem nulli, na in fine quidem, negandam	302.
Reatus haeresiarcharum quanti	157.		
Rebecca consilium mystice quid	158.		

Recta seu vera timuisse dicere, pastori quid sit	207. 208.	Remissione peccatorum stare ecclesiam	12.
Redarguere, quid sit	160.	Reorum iudicio, concilio, et ge- hennae, differentia quae	13.
Reges qui serviant Domino in timore	236.	Resistendi peccatis modi qui quales aut quot	35. 36.
Reges qui quomodo se alienis obligent peccatis	219.	Reticentia quae quibus quam sit perniciosa	203. 204.
Regina vitiorum omnium quae	50. 51.	Reticentiae cuius causae quae	209. 210.
Regnum Dei non possessuri, jux- ta Paulum qui	11.	Revelationem de remissione pec- catorum ambire, curiosum aut reprehensibile esse	278.
Regnum Dei quibus potissimum vitiis amittatur	71.	Reum esse iudicio, concilio, aut gehennae, quid sit	10. 11.
Relabi in peccatum, quanto sit periculo obnoxium	26. 27.	Rhomphaeae quali cur iniquita- tem scriptura comparet	22.
Remedia adversus invidiam quae qualia	82. 94.	Risus quis quae pariat peccata	384.
Remedia adversus quotidiana peccata, quot aut qualia	382. 386.	Roboam quod consilium quo periculo deseruerit	166.
Remedia contra superbiam quot et quae	53.	Romana urbs qui ab Hierony- mo laudata	202
Remedia luxuriae quae	73.	Ruina quorum sit gravissima	48.
Remissionem quis in nobis ope- retur	4.	Ruina virtutum omnium unde	50.

S.

Sacerdos quis quot passim occi- dat	215.	Sapientia quae quibus et quam paucis manifesta	148.
Sacerdotis summi imperio ino- bediens, quas dare solitus aut jussus poenas	42.	Sapientiae studium quibus maxi- me rebus impediatur	102. 103.
Sacerdotum quorum libertas quae	212.	Sapientiam ira perdi	153.
Sacrificare sacrificium iustitiae, quid sit	3.	Satisfactio quae qui aut per quos facienda	375.
Sacrilegi praedia aut vasa Eccle- siae tollentis poena	254.	Satisfactionibus moveri et placari Deum	376.
Sacrilegorum aliquot mira hor- ribilibusque poena	253. 254.	Satis ad salutem non esse, absti- nere a malis aut peccatis	3. 219.
Salomon qui tandem dementa- tus	70.	Saul qui parcendo regi Agag, peccarit	219.
Saltu aut saltatione quali etiam terra polluat	117.	Saulis in Davidem invidia qua- lis aut unde	79.
Salus quorumnam sit nulla	286.	Scabellum quid	155.
Sanguinis vocabulo quid aliquan- do signetur	215.	Scripturae de declinando a ma- lo, bonoque faciendo testimo- nia	1.
Sapientes quo vitio vel amentes sunt, vel pecudes	68.	Scripturae contra avaritiam alle- gatae seu allegandae quae	55-58.
		Scripturae in crapulam, gulam	

et ebrietatem invehentes, quae	95. 96. 97. 98.	Sobrios qui irrident, eos am-	
Scripturarum de peccati gravita-		tes esse	108.
te, peccatique vinculis senten-		Sodoma cur quorum quale sit	
tiae	29.	exemplum	18.
Scripturarum in luxuriam invo-		Sodomorum poena quae ipsorum	
hentium allegationes	69--71.	peccatis accommodata	344. 445.
Scripturarum contra acediam		Sodomitarum peccata aut sup-	
testimonia quae qualia	144-150.	plicia quae	23.
Scripturarum adversus iram aut		Sodomitarum descriptio	339.
iracundiam testimonia quae		Sodomiticum peccatum esse ho-	
	120-122.	micidio gravius	345.
Scripturis arbitrii liberi et gra-		Sodomitici sceleris rei qui	339. 340.
tiae Dei concursum probari	5.	Sodomitica scelera, non esse de-	
Scurrarum quid sit	118.	licta, sed monstra	346.
Scurrilia loquentes aut tractan-		Solem non occasurum super iram	
tes, quam diabolo rem faciunt		aut iracundiam nostram	2.
gratam	101.	Solliciti quomodo esse debeamus	37. 38.
Scutum quale qui et ubi uten-		Spatium peccandi datum a Deo	
dum	39.	nemini	14.
Securitas pernicioosa aut non ha-		Speculator quis qualis	211.
benda quae aut qualis	282. 288.	Sperando qui decipiamur	285.
Securitatis promissores qui qua-		Speculatori quae duo praedicanda	216.
les	288.	Spiritus sanctus quid in nobis ad	
Securitatem de remissione pec-		faciendum bonum, malumque	
catorum affectare, cur sit pe-		vitandum operetur	4.
riculosum	278.	Spiritus sanctus quibus et quali-	
Seminandum qui sit	40.	bus peccatis singulatim offendi	
Sentiniae neglectae et fluctus ir-		dicatur	264-266.
ruentis collatio	384.	Spiritus sancti splendorem ira ex-	
Septies in die cadere justum et		cludi	134.
resurgere	379.	Spiritum sanctum a nobis non con-	
Sepulcra dealbata	43.	tristandum	2.
Sermo quis nobis aut vitandus,		Stantibus quibus quid videndum	
aut utendus	2. 38.	aut cavendum	20.
Sermonem malum nullum ex ore		Stipendium peccati quid	10.
nostro processurum	2.	Stulti proprie aut vere qui	58.
Serpens quando et qui mystice		Stultiloquium quid	76.
alloquatur foeminam	31.	Sua cupide servantem, etiamsi	
Servari a nobis mandata Dei si		aliena non appetat, avarum	
volumus, posse	6.	esse	65.
Servitus libidinis quanta	74.	Suadentes, ut peccent, aliis, pec-	
Servus quis cur mittendus in te-		catum alienum admittere	158.
nebras exteriore	142.	Sues qui fiant ex hominibus	101.
Servus peccati quis	16.	Sufficere nulli ad salutem, si a	
Severitas quae ubi sit maximo		malis tantum absteineat	3.
opportuna aut utilis	217.	Suggestionem serpenti apte con-	
Sex Deo odibilia quae	43.	ferri	30.
Sicera quid sonet	104.	Suggestione qua aut cujus qui	
Sicera et vino gigni luxuriam	114.	peccemus	28.
Sobrietatis laus	41.		

Sulphur super quos cur aliquando a Domino de caelo missum	23.	Superbiae quibus aut quot remediis obvietur aut medeatur	53.
Superbia quam sit vitanda, odibilis aut perniciosa	42.	Superbiam quae scripturae loca potissimum taxent	42. 43.
Superbia quid, et quas gignat filias	41.	Superbiam bona omnia corrumpere	49.
Superbia unde nascatur aut deprimatur	45.	Superbi inter se quales	43.
Superbia quibus potissimum insidietur	49.	Superborum gestus ac mores externi quales	46.
Superbia quotuplex, et quae qualis	53.	Supplicationem quis in nobis operetur	4.
Superbiae filiae quae	41. 42.	Supplicium quod quot gehennis intolerabilius	25.
Superbiae perniciēs quanta	45. 46.	Supplicio aeterno qui cur potissimum dati	3.
Superbiae species singulares quot aut quae	47. 48.	Sympoton aut sympotarum lepida et artificiosa descriptio	115.
Superbiae initium quod	48. 49.		

T.

Taciturnitas qui alienis se foedet peccatis	203. 204.	Timor quis quam seu quantum vim habeat	73.
Talionis reddendae modus optimus quis	125.	quomodo cum qua spe iungendus	291.
Tabis et carnis collatio	76.	Timore quo qui unde non impediendi	211. 212.
Tela ignea qui extinguenta	39.	Timotheo permissum aut jussum modico uti vino, quid prae se ferat	102.
Temperantia quo aut quibus maxime sit opus	154.	Titus ac Timotheus quam disparis fuerint animi	216.
Temulentorum seu ebriosorum qualia sint corpora	116.	Tobias quid potissimum filio suo praeceperit aut injunxerit	2.
Tentati qui quomodo aut vicent, aut succubuerint	33.	Tobiae consilio, qui bona multa habenda	2.
Tentationi cui quomodo aut quam facile resistatur	73.	Tollenda seu proicienda a nobis quae	37. 38.
Tentationem tribus modis peragi	32.	Tormentum gehennae poena durius quod	25. 26.
Tepidorum excitatio	152.	Tormenta inferni vel minima, quanto mundanis etiam maximis majora	13.
Tepiditas quae qualis et unde	151. 152.	Torturam inferni, inaequalem non aequalem, esse	13.
Terrae hiatu quali qui cur aliquando absumpti	24.	Tractatio de peccatis, quo referenda, et quis illius usus	33.
Tepor quis qui profigendus	151.	Tragoedi et potores qua in re similes aut comparandi	115.
Tertulliani de Sodomorum excidio et scelere sententia	345. 346.	Tres peccati gradus qui	28.
Testamenti veteris libri qui cur quibus legi vetiti	72.	Tres restus gradus qui	12.
Theodoreti de sacrilegiis sub Juliano apostata admissis, sententia	261.	Tres peragenda tentationis modi	32.
Thesauri a tineis, carie, praedonibus aut furibus liberi, qui	58.		
Thomae Aquinatis de peccatis in spiritum sanctum explicatio	267. 268.		

Fria, quibus peccatum impletur, quae 30.
 Tribus peccari modis 270,
 Triburien. concilii de homicidis, eorumque poenitentia aut poenis, sententia 336.

Tridentini concilii de fiducia et certitudine remissionis peccatorum, sententia 284.
 Tridentini Concilii de tollendis peccatis sententiae seu decreta 370.
 Triplex esse peccatum 9.

U.

Unitas quae qui curanda 37.
 Unum pro salute multorum condemnari, praestare 241.
 Urbis Romanae laus 202.
 Urias qua techna per Davidem interfectus 69. 172. 177.

Usus rerum legitimus, quid, qualis aut quis 8.
 Uxore amplius uti, quam debitus usus exigit, Augustino quid 383.

V.

Vae quibus cur instet 188. 189.
 Venerea res fugienda, non contrapugnando, vincenda 33.
 Veniae facilitas quid, quantumve mali adferat 231.
 Veniale peccatum quid 10.
 Veniale absque peccato vitam non agi 12.
 Venialia peccata qui expianda, et quam non spernenda 383. 384.
 Venialia spernere peccata, quale quantumque sit peccatum 385.
 Venialia qui tandem evadant aut fiant criminalia 385. 386. 388.
 Venienti saevi cur ambitioni et avaritiae comparentur 43.
 Venter quibusnam sit quasi Deus 100.
 Venter qualis quantusve sit exactior 113.
 Ventris unam aut quando vis quanta 100.
 Venti deditos, saepenumero in vitios peccare 109.
 Ventrem pro Deo qui habeant 100.
 Verberumne an verborum correptio magis commoda 217.
 Virginitas inter quos cur quibus vitanda 2. 38.
 Virginitatis praedicatores quales 202.
 Virginitatis impugnatione qui aut quando peccetur in spiritum sanctum 203.
 Virginitatem ira amitti 134.

Vestigia Christi quomodo a quibus sequenda 20.
 Via peccatorum quid 155.
 Victimae quae aut quorum abominabiles 17.
 Victor episcopus Afer, quid de sacrilegis aliquot narret 262.
 Viduae quae quales 43.
 Vigilandum qui aut cur sit 149.
 Vindex peccati seu peccatorum quis aut qualis 17.
 Vindictae seu ultionis Divinae in sacrilegos aliquot exempla 253-262.
 Vinum qui sumendum 41. 115.
 Vinum cur creatum 102.
 Vinum qui a Salomone descriptum 103.
 Vinum quod, quomodo aut quid operetur 104.
 Vinum qui Apostolice bibendum 114.
 Vinum qui faciat homines omnes aequales 115.
 Vini abusum, non usum, damnamandum esse 101.
 Vini et ignis collatio 115.
 Vino inesse luxuriam 95.
 Vinum in Christi sanguinem verti 104.
 Vino cur nimio abstinendum 102.
 Vino et sicera quid gignatur 114.
 Vinolentia quorum sit 118.
 Vinolentiae fructus qui 111.

Viperæ cur merito assimiletur invidia	88.	Vitiis seu vitiosis quibusnam quam daemones congaudeant	101.
Viri qui quid aut quomodo ab uxoribus suis passi	183.	Voluntas ut bona sit, undenam aut qui fiat	5
Virtus invidia nulla caret sua	86.	Voluntas quanti sit momenti	52
Viscera quae quibus induenda	40.	Voluntatem a Domino praepa- rari	6
Virtute praeditis, qui de bona fama gaudendum	40.	Voluntatem retinendi aut conse- quendi quod justitia vetat, pec- catum esse	7
Virtutes septem, septem capita- libus vitiis contrariae, quae	40.	Voluntatem semper liberamesse, bonam non semper	5
Virtutum insidiatrix potissima quae	49.	Voluntariam in cogitatione illicita oblectationem, peccatum esse	31
Virtutibus omnibus adversam esse superbiam	46.	Voluntarie peccantibus nobis quid tandem expectandum	15
Vitam diligere, quid unde re- quirat	2.	Voluptas quae quam sit tenax	76
Vitii alieni probator, cui se pe- riculo ingerat	199.	Vomentium ex ebrietate poeni- tentia qualis aut quae	115. 116
Vitia inter nos ne nominanda quidem, quae aut qualia	68.	Vota Domino placita aut Macabi- lia quae	11
Vitia daemonibus maxime fami- liaria quae	72.	Vox sanguinis qui clamare dica- tur	53
Vitia gulae quae qualia	99.	Vulnera qui tractanda	196
Vitia quae quarum virtutum no- mine pallientur aut laudentur	199.	Vulnera quae cui haud negligenda	214
Vitiis omnium mater, prin- ceps, regina aut causa quae	41. 46. 50. 51.	Vulneratus propter nostra pecca- ta, quis aut quantus	11
vitiis capitalium mutua inter et ex se generatio qualis	51. 52.		
Vitiis omnium perniciosissi- mum quod	85.		

Z.

Zambri flagitium impudens unde qui punitum	127.	Zelus quem potissimum minime deceat	8
Zelare cuiquam minime liceat	80.	Zeli et invidiae quanta sit diffe- rentia	87. 81

Errata Textus, quae in tertio hujusce operis Tomo inveniri poterunt

Latere.	Linea.	Loco.	Leg.	Latere.	Linea.	Loco.	Leg.
41.	1.	Eccles.	Ecclesi.	80.	16.	Serm. 14.	Serm. 14.
42.	18.	Patres	Scripturas.	93.	8.	Gregorius.	Gregorius.
42.	19.	Eccles.	Ecclesi.	114.	9.	belluina	belluina

Errata hujusce Tomi tertii in notis.

Latere.	Linea.	Loco.	Leg.	Latere.	Linea.	Loco.	Leg.
114.	8.	belluina	belvina.	243.	9.	Nota	Nota sub





